59

78
F
8.8

Digitized by Google

7
S-C
57

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
18 A
52

Bibliotheca
ri Coll. Rom.
ociet. Jesu

2.29

Digitized by Google

K
248

Digitized by Google

Digitized by Google

MICHAELIS AB ISSELT

DE BELLO CO-LONIENSI LIBRI QVATVOR.

Hoc eſt,

RERVM AB ELECTIO-NE GEBHARDI TRVCHSESII IN

Archiepiſcopum Colonienſem, vſque ad recu-peratam ab ERNESTO Duce BAVARIÆ eius Succeſſore, Weſtphaliam, tota Diœce-ſi geſtarum, vera & ſuccincta narratio.

CVI PRÆFIXA EST HISTORIA DEFE-ctionis & Schiſmatis Hermanni Comitis de VVeda, Co-lon. quondam Archiepiſcopi; & ad calcem ſubiuncta re-rum per totam Diœceſin, & in ipſa Ciuitate Colonienſi geſtarum, ab anno 1584. ad noſtra vſq; tempora, fidelis itidem & perbreuis relatio.

Auctore

ARNOLDO MESHOVIO Lippienſi.

COLONIÆ

Apud Gerhardum Greuen-bruch, Anno

M. DC. XX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Principi ac Domino, Dno.

FRANCISCO À LOTHARINGIA, MARCHIONI in Moy & Keures. Comiti Cernyenſi, Baroni in Tuygni, d'eu Freuille, d'Eſpian & Nehoult, Domino in Moncornay & Beauuoiſis, &c. Decano Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis digniſſimo, Principi ſuo clementiſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI quod vnquam benè conſtitutis Rebuspublicis exitio fuit, Illuſtriſſime atq; Reuerendiſsime Princeps, fuit certè & eſt, hæreſis, malorum omnium fons & origo. Ea enim, præterquam quod concor-

Digitized by Google

diæ vincula rumpat, quod humanam ſocietatem tollat, ſeditiones & bella magiſtratum inter & ſubditos excitet, vsq; adeò effera eſt & crudelis, vt nihil in ſuo ſtatu quietum, nihil ſanum & rectum eſſe patiatur, ſed omnia turbet, omnia ſummis calamitatibus ruinis atq; interitionibus inuoluat atque implicet. Quod ſanè, ſicubi caput exerit, & luctuoſiſsimis ſemper principijs aggreditur, & fine plerumq; cruento terminat: vt proinde mirum ſit, adhuc reperiri, qui malo quorundam ſuaſu, tam atrocem & humani ſanguinis auidiſsimam multorum capitum belluam tolerent & ſuſtineant:

Digitized by Google

Atque vtinam illi tandem aliquando circumſpiciant & quam ſibi ſuiſq; ea re male conſulant, apud animum ſeriò reputent; credo, facili negotio aduertent, hæreſi nihil ſub ſole nocentius repertum eſſe vnquam, aut etiamnum poſſe reperiri. Proinde maximas, meo iudicio laudes meruere qui hoc edocti finibus ſuis omni conatu, peſtem tam exitialem arcere, aut ſi quando irrepſerit, actutum inde, ne radices ageret, propulſare conſueuerunt. Quorum ſanè laus tantò apud poſteros celebrior erit, quò maior fuit religionis zelus ac feruor, quo moti rem adeò præclaram perfecere

? 3 Hinc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Hinc vt alios, quorum propè innumeri ſunt, prætereamus, immortalem maiores tui, Princeps Illuſtriſſ. & Reuerendiſſime Domus Lotharingicæ *viri vere Principes ac Heroes Catholiciſſimi, quorum plurimi sãctitate claruere, nominis ſibi gloriam acquiſierunt, quod ſuis ditionibus nullum genus hæreſeos illabi, aut inibi exercitium eius vigere permiſerint; ſed quod auitam fidem, Romanam inquam Catholicam, Apoſtolico ore laudatam, alijs rebus omnibus mundi huius longe antepoſuerint, in ea vitam egerint, in ea & te, te, inquam Illuſt. ac Reuerendiſſ. Princeps partem corporis*

Digitized by Google

poris ſui, columen ac baſin patriæ, ſumma induſtria feruoreq́ue educari curarint. Quorum zelum ac pietatem, quemadmodum præclaro exemplo imitaris ita quoq́ue & eius, quod felix fauſtumq́ue ſit, diuino Numine, Eccleſiæ te membrum & luminare, communibus omnium ſuffragijs publicoque applauſu datum & gaudemus meritò, & iure gratulamur; eius dico Eccleſiæ, quæ ſummo ſemper ſtudio, & religionem Catholicam coluit, & hæreſes plurimum fuit auerſata, quæque pro pietate & religionis cauſa, grauiſſimas quasq́ue iniurias, pericula, clades & bella, multis annis ſuſtinuit, nihilq́ue vnquam

de vera pietate ſua remiſit; imò qua hoc fecit ſedulo, vt ſi quando è ſuis per ſchiſma aduerſarios, quod ſecundò poſt Lutherum obtigit, acciperet, eos illis heroes oppoſuerit, præſulesq́ delegerit, qui & ipſi quoq́ non minus auctoritate ſua & eruditione, quã maximo religionis zelo, & hoſce, malumq́ omne inde manans, ab imis patriæ huius viſceribusglorioſe depulerunt. Imitatur in hoc matrẽ ſuam filia fideliſſima, Romanam inquam Eccleſiam, cuius vt fidem ſine relapſu illibatam virgo tenet, ita & laudabile hoc inſtitutum, per tot ſecula, ſalua ſui corporis compage, obſeruauit. Quod quidem cum

Digitized by Google

in alijs multis, tum vero in ijs videre licet, quæ & ſuperiore, & hoc quod excedit, ſeculo noſtro, exempla, à Michaele ab Iſſelt libris quatuor, & Arnoldo Meshouio Lippienſi, breui compendio conſcripta poſteritati reliquit.

Quæ omnia, quod cunctis documento, maximeq; Chriſtianis Rebuspubl. vt ab hæreſibus ſibi caueant, prodeſſe poßint, ſub nobilißimi nominis tui patrocinio, Princeps Reuerendiſs. & Illuſtrißemittere volui; idq; eò potißimum, vt & adeptam recens dignitatem Reuerendiß. Cels. Tuæ hoc facto gratularer, & ea quæ coram videre non potuit,

quæq;

Digitized by Google

quæq; ſub duobus, quorum defe-ctionem damus, Archipræſulibus, adhoc vsq; tempus, in religionis negotio, toto penè Archiepiſcopatu, acciderunt, (quibus nihil exiſtimaui R. Tuæ Celſitud. nunc hic præſenti, imò quod maius, præcipuo iam eiuſdem Archiepiſcopatus membro, Metropolitani Colon. Eccleſiæ Capituli Decano meritiſsimo, principiq; ac Domino omnibus gratioſiſsimo, aut gratius, aut iucundius futurum) contemplanda atq; euoluenda humiliter dedicarem conſecraremq;. Tuum nunc eſt. Illuſt. & Reuerendiſs. Princeps, à te vt impetrare patiare, vt hoc, quantulumcunque

que eſt, quod. Illuſtriſsimæ Reuerendiſsimæq; Cels. Tuæ vt Patrono meo fauentiſsimo ſuppliciter offero, æqui boniq; conſulas. Deus interim te Illuſtriſs. atq; Reuerendiſs. Princeps Eccleſiæ huic, Tibi, Tuis, Nobisq; omnibus, diutiſsime incolumem ſoſpitet & conſeruet. Vale. Datum Coloniæ. 7. Aprilis. Anno M. DC. XX.

Tuæ Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cels.

Humilis & deuotus cliens

Gerardus Greuenbruch.

ER-

ERRATA.

FOlio 5. li. 27. lege ducimus. Fol. 6. lin. 12. lege quinquageſimum. Fol. 7. lin. 22. pro Metropolitanæ lege Cathedralis. Fol. 10. li. 26. lege opum. Fol. 12. li. 13. lege ſeditioſè. Fol. 15. lin. 25. lege Cathedralis pro Metropolitanæ. Fol. 34. li. 10. pro Metropoli lege vrbe Colon. Fol. 55. lin. vlt. lege voto. Fol. 109. lin. 6. à fine quatenus redundat.

Digitized by Google

ARNOLDI MESHOVII LIPPIENSIS.

DE ORIGINE ET PROGRESSV DEFECTIONIS ET SCHISMATIS

Hermanni Comitis de VVeda, Colonienſis Eccleſiæ quondam Archiepiſcopi.

LIBER VNVS.

POST Romam Eccleſiarum matrem, neſcio ſi qua in occidente vel antiquitate celebrior, vel dignitate maior ſit Colonienſi. Hanc D. Maternus magni Apoſtoli Petri diſcipulus, anno poſt natum Chriſtum 96. fundauit: hanc poſtea multi ſanctiſſimi & grauiſſimi Archiepiſcopi rexerunt: hanc Catholici Duces, Principes, Reges & Imperatores pretioſiſſimis ornamentis dotarunt. Hæc trium Magorum, qui puſionem Chriſtum in Bethleem adorauerunt, corporum hierotheca: hęc ſeptem fratrum Machabæorum & Matris oſſium monumentum. Hæc Diuum Gereonem cum ſuis Thebeis, Gregorium & Mauros: hæc Evvaldos, Albinum, Seuerinum, Cunibertum, alioſque innumerabiles Sanctos feliciter habet, piè cōſeruat, & ſancte veneratur. Hanc denique ab Arcto veniens Vrſula cum 11000. ſanctarum & nobiliū

De antiquitate & ornamentis Colon. Eccleſiæ.

[library stamp]

Digitized by Google

" Virginum agmine; caſto & purpureo ſanguine " ſuo tinxit & fœcundauit. Si fidei conſtantiam, ſi " ſacerdotum ac Religioſorum vtriuſq; ſexus fre- " quentiam, ſi populi pietatem ſpectes, non habet Germania ſecundā, nec quæ cum hac poterit cō- ferri. Eſt autē Colonia Vbiorum antiqua ſedes, non illa quidē, quam pōte per Rhenum facto, & exercitu traducto, Iulius Cęſar ab obſidione Sue- uorum liberauit (erat enim ea ad vlteriorē Rhe- " ni ripam poſita) ſed quam Auguſti tempore ij- " dem Vbij, imperante Auguſto, vt infeſtationi- " bus Sueuorum, Vſipetum, Tenchterorumque " cederent, in citeriori ripa, finibuſque Treuiro- " rum ædificarunt, paruam quidem initio, ſed " quam poſtea Marcus Agrippa Auguſti cæſaris " gener amplificauit, in eamq; Coloniam deduxit: vnde & nomen Coloniæ ſortitur Agrippinæ. " Hanc Childericus Frācus circa Annum Domini " 462. Romanis extorſit: ſed Otto primus eius no- " minis Imperator, poſt annos 487. Imperio " Romano reſtituit, à quo tempore in hodiernum " vſque diem, liberis Imperij ciuitatibus annu- " meratur: inque conſeſſu earum, quoties con- " gregantur, de rebus arduis diſceptaturæ, pri- " mum locum meruit obtinere. Anno deinceps " 1395. annuente Vrbano Pontifice ab Ampliſſi- mo Vrbis magiſtratu, Vniuerſali ſtudio lite- " rarum, artium & facultatum nobilitata eſt. " Status Reipublicæ ferè popularis eſt: niſi quod " adhuc gentes antiquæ nobilitatis reſtent, per " quas Conſulatus dignitas vnà cum patricijs per- " petuo penè adminiſtratur: in multis verò flo- " rentem Romanæ Reip politiam videtur refer- " re. Senatus Colonienſis omni ſeculo pruden- " ter, ſed prudentiſſime hoc vltimo tot bellis æſtuan-

De Vbijs vide Iul. Cæſ lib. 4. Com.

æſtuantibus, tot hæreſibus infectis circumquaque prouincijs, imperauit: & ſtrenuè, quam in maiori ſigillo circumfert inſcriptionem, defendit: eſt autem ea, *S. Colonia Fidelis Romanæ Eccleſiæ filia.* Nec vnguem latum Senatus vigilantia hucuſque à matre ſua deſciuit. Sed omiſſis politicis, ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem redeamus.

Inſigne vrbis Colon. elogium.

Fuit Eccleſia Colonienſis ſedes Epiſcopalis, ab eius fundatore Materno, ad Agilolphum, circa ſeptingenteſimum quadrageſimum tertium annum: quo tempore facta eſt Archiepiſcopalis. Cui deinde poſt 260. annos ſeptemuiratus vel Electoratus dignitas acceſſit. Diœceſis illius ampla eſt, multaque habet non incontemnenda oppida & caſtra, in quorum pleriſque Archiepiſcopus merum habet imperium. Huic tam celebri diœceſi poſtea Fridericus Imperator, deſtituto Henrico Leone, VVeſtphaliæ Ducatum adiecit. Archiepiſcopi, itaque Colonienſes tam longè lateque cum in politicis tum in Eccleſiaſticis imperantes, multa præclara collegia, plurima Monaſteria per ditiones ſuas fūdarunt, ac dotarūt, vbiq; ſuę pietatis monumēta relinquentes. Cæterū priuſquam ad noſtri tēporis hiſtoriam veniamus, vnum hoc de tam ſancta Colonienſi hac Eccleſia libet cōmemorare. nunquam ſcilicet eam fidei naufragium feciſſe, aut ſi fecerit, confeſtim è fluctibus errorum enataſſe: adeo vt merito de ipſa in officio diuino cantetur.

Eccleſia Colon. in fide conſtantia.

Poſtquam fidem ſuſcepiſti,
Ciuitas prænobilis:
Recidiua non fuiſti,
Sed in fide ſtabilis.

„ Nec mirum: eſt enim ab ipſius Beati Petri diſ-
„ cipulo fundata, de cuius Apoſtoli fide dictum
Luc. 22. eſt: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.
„ Nam cum omnes omnium aliorum Apoſtolorũ
„ Eccleſiæ conciderint, aut ſi quæ veſtigia reman-
„ ſerint, tot ea erroribus, perfidijs & hæreſibus
„ reſperſa ſint, vt verarum Eccleſiarum ſimula-
„ chrum nullum agnoſcas: ſola Petri Eccleſia
„ immota manſit & impolluta. Huius filia Co-
„ lonienſis eſt matris conſtantiam ſemper imi-
„ tata. Poſt obitum Sancti Materni, cum non-
„ dum radices egerat, paganiſmus hanc infe-
„ ſtauit: nunquam tamen qui veram religionem
„ colerent, defuère. Euphrata Photinianus hæ-
„ reticus, Colonienſis Epiſcopus à Gothis
„ conſtitutus, execrando Arianæ hæreſeos ve-
„ neno eam inficere voluit: ſed à Iulio primo
„ Pontifice Romano, conuocato Coloniæ Ger-
„ manorum Epiſcoporum concilio, damna-
„ tus, proſcriptus & è ſede ſua pulſus eſt. Con-
„ tigit hoc anno poſt natum Chriſtum 356. poſt
„ cuius expulſionẽ ſub ſuccedentibus Epiſcopis
„ mitius habuit Eccleſia, & optata cum tran-
„ quillitate Catholicam Romanam fidem ſar-
„ tam tectam conſeruauit: donec ſub Archiepiſ-
copo Hermanno, noua Lutheranorum hæreſi
infeſtari rurſum & concuti cœpit. Is enim cum
Princeps eſſet natura bonus, ac minore fe-
licitate in literis à puero verſatus, ſub ſpe-
cioſo Chriſtianæ reformationis velo, ſub ex-
terminandorum abuſuum, & introducendæ
purioris doctrinæ prætextu, à monacho quo-
dam apoſtata, Martino Bucero, homine ver-
ſuto & mirè callido, incautè deceptus, perpe-
ram Dei verbum doceri crederet, eò ſe ab-
duci

Hermannus Archiepiſcopus à Lutheranis ſeducitur.

duci paſſus eſt, vt repudiata maiorum fide, exorta nuper, & abs ſe ſemel atque iterum damnata Martini Lutheri hæreſiarchæ dogmata amplexus ſit, atq; ea publicè in Colonienſi vrbe ac tota diœceſi, in Eccleſijs & pulpitis, profiteri voluerit, edito ob id magno volumine vernaculo idiomate conſcripto, quo omnes ad ſuſcipiendum ea inuitabat. Id negotium quî primum cœperit, ac Archiepiſcopo ipſi poſtmodum ſucceſſerit; fideliter, ſine fauore vllo & odio, ſcripturus, operæpretium facturus mihi videor, ſi altius paulo narrationis huius exordium duxero, ab ipſo nimirum Principis huius primo inaugurationis anno, vt, quàm ab initio auitæ fidei deditus ſemper fuerit, & quam facilè poſtea, vel ſemel admiſſis nouorum dogmatum concionatoribus, ſenſim in erroribus progreſſus ſit, & demum cum nollet à malè cœpto propoſito deſiſtere, depoſitus, poſteritati plenius innoteſcat, quæ & hinc, ne faciles hæreſibus aditus indulgeat, inſigne exemplum petierit.

Natales & adoleſcentia Hermãni Archiep.

Hermannus itaq; ex illuſtri Comitũ VVedenſiũ apud Belgas familia, anno poſt Chriſti incarnationẽ ſupra milleſimũ quadringẽteſimum, ſeptuageſimo ſecundo, patre Guilelmo, natus, cũ eam ætatem attigiſſet, quam ferendis laboribus plerunque aptam dicimus, in ſcholam à parentibus miſſus, literis operam dare cœpit; atque in ijs quidem non leues adoleſcẽs progreſſus fecit: Sed quia negligentiores præceptores nactus, non ea, qua par erat, ingenium literarum ſedulitate exerceret, factum eſt, vt pedetentim ſe liberalium artium ſtudijs ſubtraxerit, animumque venationi alijſque aulicis exerci-

Digitized by Google

tationibus tradiderit. Quibus tamen non multo poſt, ſingulari quodam deuotionis zelo relictis, cum Spiritalis ſiue Eccleſiaſticæ ſibi vitæ genus delegiſſet, ſcriptis per Guilelmum patrem ad Colonienſe Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum literis, omnium ſuffragijs eiuſdem Collegij canonicus electus receptuſque fuit. Ibi ſingulare pietatis exemplum cunctis præbuit, atque ijs ſe virtutibus excoluit; quas vel maximè in Principibus viris deſiderare & amplecti boni quiq; ſolent. Quo factum eſt, vt anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, non vt ſcribit Panthaleon decimo, ſed quinto decimo, cum Philippus de Thuyn, Comes Oberſteinius, eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus, fatalem diem obijſſet, ipſe vnanimi omnium Capitularium conſenſu votiſque communibus Archipræſul & Imperij Elector conſtitutus ſit. Atque licet difficile ſit, functionem tam arduam ſat commodè, pro omnium iudicio, ſuſcipere ac adminiſtrare, ille tamen ſic ſuſtinuit, nemo vt eſſet, qui vel minimum in Archipræſule reprehendere poſſet & culpari. Quod regimen ciuile, ſiue politicum attinet, laborauit ſemper, & prouidit, ne vel rigidus nimis, vel leuis ſubditis videretur. Tributa & cenſus aut nullos prorſus, aut raros impoſuit. Diœceſim difficultatibus quibus grauabatur, leuauit plurimum, & vbi neceſſitas requirebat, prorſus ſuſtulit. Concordiæ quoque amantiſſimus, publicæ tranquillitatis ſeruandæ cauſa, ſæpenumero diſſidentes inter ſe Principes adijt, ac mirifico ſtudio animis denuo coniunxit. Chriſtianæ Reip. vtilitatem maximoperè promotam cupiuit, eique ne quid deeſſet, vnicè allaborauit. Cumque ob Maximiliani

Herman. fit Archiepiſ. Colon.

Cæſa-

Cæſaris obitum ſupremo capite orbata varijs difficultatibus laboraret Carolum V. Hiſp. Regem, vnà cum reliquis Electoribus Imperatorē renūciauit,annoq;poſt ſolenni cęremonia Rempub.ipſi,tradito primū euaginato enſe, commēdauit,deinde,vt verbis Panthaleonis vtar,annulum digito inſeruit,palliū regale induit, ſceptrū & pomum (quo orbis imperium denotatur) obtulit. Religionis zelum ſi ſpectes, neminem hoc Principe feruentiorem, cultuique diuino ſic deditum fuiſſe, facilè dixeris. Id cum cottidie ferè proprio exemplo declararet, tum verò vel maximè oſtendit, quando exurgente per Germaniā Lutheri hæreſi,noui paſſim concionatores in ciuitates & oppida irreperent, noua contra Chriſtianam catholicæ Romanę Eccleſiæ doctrinam dogmata plebem edocturi. Tunc etenim per totam diœceſin publicis mandatis ſeuerè edixit , ne ſubditorum quiſquam eò audaciæ & temeritatis ex praua hæreticorum inſtructione progrederetur , qui vel aditum concionatorum taliū vni aut altero præberet,aut iſtic clā virus ſuum diſſeminandi locum concederet, ſed & in ipſam vrbem ad Parochos literas dedit , quibus quemlibet officij ſui admonitum ad vigilantiam ſeriò inuitauit , ac deinde ſibi & vniuerſitati mire aggratulatus eſt , quando ab ipſis Theologis nefariam hanc hæreſin condemnari didicit. Quæ res adeò benè catholicis Principibus placuit , Summo præſertim Pontifici & Imperatori , illum præcipuè vt deinceps in fidei & religionis negotijs, cōſilio ſuo adhibere , eiuſq; iudicio quodāmodo ſtare pretiū operæ duxerint. Nam cū Anno vigeſimo primo Carolus V.recēs electus Imperator Comitia

Prohibet ſubditis Lutheraniſ.

Pontificis rogatu VVormaciam indixiſſet, miſſoque in Saxoniam Imperij Fiſcali, Lutherum reddendæ fidei ſuæ, cauſa eò accerſiri curaſſet, voluit quoque Principem hunc præſentem ſibi ibidem adeſſe, vt & ipſe coram Lutheri cauſam cognoſceret, & eâ perſpectâ, ſententiam pro arbitratu ferret. Id quod profectò, quemadmodum inſignem fidei Chriſtianæ defenſorem decet, verè & conſtanter præſtitit. Quippe hæreſiarchæ Lutheri inconſtantiâ æquè atq; intolerabilem arrogantiam, à qua ne quidem in pleno Principum conſeſſu temperare ſibi poterat, animo identidem reuoluens, vnà cum reliquis S. Imperij Ordinibus, Imperatori ipſi in ferendo contra hominem edicto adſtipulatus eſt; edictumque ipſum Coloniæ apud Gaſparem Gennepæum typis publicatum tota diœceſi euulgari iuſſit. Quin & ſub grauiſſima comminatione omnes à lectione librorum Lutheri deterruit, & vniuerſitati Colonienſi, poſtquam Pariſienſium contra Martini Lutheri libros cenſuram legiſſet, in maturanda condemnatione peſtiferæ hæreſeos calcar addidit; idque eo zelo ac feruore egit, vt, qui ſpreto hoc eius mandato, vel libris Lutheri legendis tempus impenderent, vel depromptas inde hæreſes rudi plebeculæ ad ſeditionem excitandam proponerent, eos impunitos nequaquam tranſmitteret. Senſit hoc Adolphus Clarenbachius, ſenſit Fliſtedius, ſenſit Ioannes Clopris, ſensêre alij, qui pœnam præuaricatione promeritam non effugerunt. Anno 1530. Auguſtæ Vindelicorum rurſum Imperator Comitia celebrauit: Ibi cum confeſſionem ſuam Princeps Elector Saxoniæ, & Haſſiæ Landgrauius

Damnat vnà cum alijs Principibus Lutherum VVormaciæ.

Zelus eius ac feruor in fide Catholica.

Impe-

Imperatori exhibuiſſent, eam iam ante, vt Cæſarea Maieſtas ratam habere dignaretur, precati, nihil prorſus gratiæ, nedum quod publicè legerentur, impetrarunt; ſed quemadmodum par erat, vt contrariam S. Scripturæ, Patribus, & toti Eccleſiæ Catholicæ confeſſionem ſuam reuocarent, & cum reliquis DD Statibus Imperij cætui Catholicorum ſe rurſum aggregarent, rogati ſunt; vel vt tradit Philippus Melanchton, qui Confeſſionis eius cum Luthero auctor eſt, condemnati. Hîc Hermannus Archipræſul vnà quoque cum cæteris Principibus eum ſe exhibuit, qui & verè Catholicus, & vnitatis in fide Chriſtiana amantiſſimus dici queat. Sed quo manifeſtius feruentiſſimum in religione Romano-Catholica Principis huius animum aduertas, alia quædã nobis exempla ſubiungenda ſunt, ex quibus veritas ipſa per ſe eluceat. Anno 32. Epiſcopo Padebornenſi rebus humanis exempto, Metropolitanæ Eccleſię canonici, & ij, penes quos electio erat, Archipręſulem hunc communibus ſuffragijs in Adminiſtratorẽ Eccleſię Padebornẽſis elegerunt, idq; ob nullã cauſam aliam, quam ob zelũ illum, quo erga fidem catholicã, ſuprà quã dici poteſt, deflagrabat. Etenim cũ ann. 1525. Lippiæ primùm in dulciſſima patria mea, & mox in finitimis circũquaq; vrbibus per Cõcionatores quoſdã factionis Lutheranæ, fauore ciuium quorundã qui clanculũ admiſerant, ſcintillæ quædã nouę hæreſeos prodire cœpiſſent, & nuper admodũ in ipſa ciuitate Padebornenſi in publicum incẽdium, magno multarũ cum animarũ ſcandalo erupiſſent, aliter extingui non poſſe exiſtimarunt, quam ſi talem Principem Epiſcopatui ſuo præfectum videant, qualẽ iam ante experti fuerant.

Eligitur in Adminiſtratorem Padeborn.

rant. Nec fefellit eos opinio, ſiquidem Epiſcopo vrbem magno Catholicorum applauſu ingreſſo, cum nouitiæ religionis ciues libellum ſupplicem obtuliſſent, quo publicum doctrinæ ſuæ exercitium obtenturos ſe ſperabant; atque interim irruptione in Eccleſiam & Chorum violenter facta, altaria & reliqua ornamenta diripuiſſent, erectas ad parietes ſanctorum imagines in terram deiectas pedibus protriuiſſent, libros etiam, quibus in decantandis Pſalmis Clerus vtitur, poſt multos clamores atque inſulſas cantiunculas ad Chori concentum editas conſcidiſſent, non ſolum ſpe ſua fruſtrati, repulſam ab Epiſcopo meruêre, ſed & bis mille aureis grauiter multati & aliquibus priuilegijs priuati ſunt, tum & iureiurando eò redacti, vt ſe nunquam Lutheri doctrinam admiſſuros, fidem dare principi debuerint. Atque tempore non multò poſt, cum iuſiurandum prætergreſſi ex præcipuis Eccleſijs vnam alteramuè, violenta manu Concionatoribus Lutheranis ad Cathedram deductis, occupaſſent, ſolis ſibi dominium vrbis in fidei & Eccleſiæ rebus arrogare conati. Hermannus Archiepiſcopus, vt oſtenderet, quemadmodum contemptim in Iſagoge ſua hiſtorica ſcribit Dreſſerus, ſibi ſatis eſſe virium atque opus ad comprimendos omnes Euangelicorum motus, cum mille equitibus & aliquot ducibus atque comitibus Padebornam ingreſſus eſt, & ſtatim concionatores iſtos abduci in cuſtodiam iuſſit. Qui cum præcipuis fautoribus in carcerem coniecti, pœnam longa detentione exoluêre. Aliqui ex ijs ad terrorem reliquorum ad ſupplicium tracti, capite pro meritis plectendi, interceſſione quorundam & ipſius clementia principis incolu-

incolumes euaſêre. In vrbe tamen ita Princeps totius cum Cleri, equitum, & diœceſianorum conſenſu egit, vt vel omnibus, ne quis de cætero motus fieret, ſtrictè ſeuereque edixerit, vti videre licet in ſcripto eo quod Kleinſorgio teſte, 16. Octobr. ann. 32. edidit & promulgauit, id quod hoc loco ſubijcere viſum fuit. Sic enim habet.

Edictum Herm. Archiep. contra Lutheranos.

Nos Hermannus Dei gratia ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius & Septemuir, Dux VVeſtphaliæ & Angriæ, & Adminiſtrator Padebornenſis Eccleſiæ, Fatemur & hoc ipſo omnibus & ſingulis notum facimus, quod „ cum elapſo anno poſt tranſitum ex hoc mundo, „ Reuerendiſſimi ac illuſtriſſimi nobis in Deo di- „ lectiſſimi, fratris noſtri & anteceſſoris Domi- „ ni Erici Epiſcopi Padebornenſis & Oſnabru- „ genſis, poſt idem poſtulationem noſtram in „ nouum Principem & Dominum Epiſcopatus „ Padebornenſis, incolæ ciuitatis noſtræ Padebor- „ nenſis, contra omnes laudabiles & hactenus be- „ ne vſurpatas Chriſtianas ordinationes, vſus & „ cæremonias ſacroſanctæ Eccleſiæ, præterea con- „ tra expreſſum Eccleſiaſticum & politicum ius, „ Pontificis item maximi & Imperatoris editum „ VVormaciæ Edictum, & communes Sacri Ro- „ mani Imperij Receſſus & Decreta, imò & con- „ tra propria ſua à ſemet erecta & ſigillis corro- „ borata pacta, ex deliberato propriæ proteruiæ „ propoſito, innouationes quaſdam, prohibi- „ tas illas quidem & indictas omnibus in Eccle- „ ſia Catholica Chriſtiana, cum adſumptione „ quorundam ad hoc à magiſtratu inordinatorum „ prædicantiũ variarumq; germanicarũ cantionũ, „ contra morẽ Eccleſiæ inſtituerint, vſurparint ac „

propa-

„ propalam introduxerint, ex quo paulatim om-
„ nis generis motus & tumultus, diſcordiæ & ſe-
„ ditiones communium ciuium contra Conſules,
„ antiquum ęquè ac nouum Senatum, vt ordina-
„ rium magiſtratum ibidem exoriri cœperunt,
„ qui eò ſenſim excreuêre, vt inſcio & inuito Ma-
„ giſtratu vires ſuas coniunxerint, percuſſoq; fœ-
„ dere publicum in vrbe motum dederint, Conſu-
„ libuſque & Senatui clauibus ereptis ciuitatis
„ portas aliquot dierum ſpatio præcluſas tenue-
„ rint, ac poſtmodum expanſis nouis vexillis ad
„ noſtram Niggenhauſenſem arcem petulanti ac
„ hoſtili animo profecti ſediosè mentem ſuam
„ pro arbitratu magiſtratui declararint, Nos ideo
„ pincipio per Droſſardum noſtrum generalem
„ Ioannem Quade, & poſtmodum proprio iuſſu
„ illos ſæpe varijsque modis admodum clemen-
„ ter officij ſui ſcriptis, in rem eam literis ſerio
„ commonuerimus, & per Legatos noſtros ſubin-
„ de rogauerimus, quatenus huiuſmodi introdu-
„ ctas & contra omne ius factas immutationes ad
„ ſui commodum & emolumentũ reuocare, ac rur-
„ ſum abrogare maturarent, eoq; modo deinceps
„ ab omni motu ſibi temperarent, illi verò è con-
„ tra poſthabitis mandatis & petitionibus no-
„ ſtris cœpto pede ſeditioſe adeò pergerent. Nos
„ indicto conuentu, coram Ordinibus tan-
„ quam inobedientes & refractarios ſubditos il-
„ los accuſauimus, atque ad inſtantiam omnium
„ ſolius diœceſis Ordinum, per præcipuos Epiſ-
„ copatus viros, deinde & per noſtros Rhenanos,
„ VVeſtphalos & Padebornenſes conſiliarios in
„ & ante vrbem miſſos, denuo eos ad concordiam
„ & tranquillitatem benignè adhortati ſumus, ea
„ firmiſſima ſpe ducti, futurum, vt vel ſic moueri,

& ad

& ad obedientiam redigi poſſent. At omnia fruſtra fuêre. Quapropter nos ex antiquitus vſurpato more & conſuetudine Epiſcopatus Padebornenſis, vrbem noſtram Padebornam ingreſſi, ex ineuitabili neceſſitate quodammodo compulſi ſumus, hanc tam inſignem inobedientiam, ſeditioſos illos & tumultuarios conatus, poſt diligentem inquiſitionem pro meritis vlciſci & vindicare, atque eo animo omnes & ſingulos coram Nobis comparere iuſſimus, confiſi adhuc tandem aliquando ferociam illam animorum immutatum iri. Verum quando nec eo pacto proficere quicquam potuimus, & potius quosdam magis magiſque proteruire cognouimus, per hoc commoti ſumus ex rebellibus illis aliquot in cuſtodiam abducere, contra tales ſecundum iuris regulas proceſſuri. Et quidem in ipſa Padebornenſi vrbe præcipuos huiuſmodi inobedientes ciues, ex præſcripto iuris mortis lata ſententia capitis damnauimus, alijs fœderatis nimirum, multam pecuniariam imponentes. Quia verò totus Clerus noſter, Principes etiam Comites & Equites noſtrę Colonienſis diœceſis non minus, quàm Padebornenſis, legati quoque vrbium, Conſules, Senatus, Nobiles, Virgines & mulieres, reliquæ omnes ſubmiſſe & ſuppliciter admodum pro damnatorum ſalute inſtiterunt, imò rei ipſi gratiam & miſericordiam, adeoque vitam ipſam, deprecati ſunt, & nos ſi quo modo fieri poſſet, ac erga ſubditos noſtros potius ex gratia & bonitate, quàm ſeueritate & pœnis procederemus, ad inſtantes ſupplicantium preces, ſententiam noſtram reuocauimus, & ab executione ſententiæ in clementem hanc actionem tenore articulorum ſubſequentium di-

mo-

» moueri nos paſſi ſumus. Principio. Quoniam
» motus hic & ſeditio communium ciuium con-
» tra ſenatum, ex eo maxime initium habuit, quod
» illis contra laudabiliter hucuſque obſeruatos
» ritus, & cæremonias ſacroſanctæ Chriſtianæ
» Eccleſiæ, ad arbitratum ipſorum aliquas inhibi-
» tas innouationes in vniuerſali Eccleſia, cum no-
» uorum aliquot concionatorum admiſſione &
» germanicarum cantionum vſurpatione, indul-
» gere prorſus noluerit, cum & ipſi captiui hoc
» lubentibus animis fateâtur, ac grauiſſimè; quod
» tam miſere & calamitoſe à nouis id genus præ-
» conibus circumuenti ſint, qua re non parum nos
» ad clementiam permouerunt; ipſi conqueran-
» tur: idcirco ſerio ſeuereque mandamus & præ-
» cipimus Conſulibus, Senatui, & toti communi-
» tati vrbis noſtrę Padebornenſis, ac volumus, vt
» impoſterum ſub interminatione ſummæ noſtræ
» ſeueritatis, ſub periculo vitæ, à prædicantibus
» illis, quos Magiſtratus legitimè non admiſerit,
» recedant, atque ſecundum antiquas laudabiles
» ac antehac toleratas ordinationes, ſtatuta & re-
» ceptos mores vſusq; S. Eccleſiæ Catholicæ obe-
» dienter viuant; è contra nihil moliantur, nihil
» agant aut fieri permittant, donec huiuſmodi or-
» dinationes in communi Chriſtianitate mutatæ
» fuerint atque ſublatæ. Et quo ciues noſtri & in-
» colæ ciuitatis noſtræ Padebornenſis in talibus
» ordinationibus, pace & politia hoc tranquillius
» ſine infeſtatione vlla contineri, & ſimul tutari
» queant, mandamus quoque, edicimus ac volu-
» mus etiam, vt deinceps nullus peregrinus vir,
» fœmina, ſeruus aut famula, qui vel nouæ huic
» doctrinæ adhærent, vel de ea ſuſpecti ſunt, qua-
» leſcunque illi demum fuerint, ad miniſterium
vllum

vllum in hac ciuitate noſtra Padebornenſi admittantur, aut amplius tolerentur. Datum in ciuitate noſtra Padebornæ, die decima ſexta Octobris anni 1532. „

Venio ad annum trigeſimum ſecundum, qui ſi quiſquam alius maxime VVeſtphaliæ luctuoſus fuit, quo primum ex Hollandia huc ſedes ſuas & vna teterrimos errores, Anabaptiſtæ, formidoloſum genus hominum, tranſtulêre. Monaſterium prouinciæ caput ſiue Metropolis, inter ſubrepentem Lutheranorum hæreſin, id mali infeliciſſimo exemplo & ſuſcepit incauta, & grauiter poſtmodo tulit, quemadmodum id alibi latius tradidimus. Ex hac ergo vrbe velut ex equo Trojano tot in vicinia quæque hæreticis cateruatim prodeuntibus, plurimum viris principibus laboris impendendum erat, vniceque aduigilandum, ne & ſuis ditionibus hoc malum illaberetur. Atque hic vt reliquos ſilentio prætercam, ſolus princeps Hermannus quid non curarum habuit? quem laborem, quas moleſtias non ſuſtinuit? Metu penè cæteri quique enecti, nihil quam exitium ſui verebantur; princeps verò hic noſter maturè ad ipſum Monaſterienſis vrbis præſulem, ad Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicos, ad ſenatum &c. literas ſcribere, media decernere, quibus peſtis ea ſopiri ac repelli poſſit. Sed cum omnia verbis fruſtra agit, rem re aggreditur. In milite ſubmittendo iuuat & ſtipendio, nec ante manum admotam amoliri voluit, quam priſtino decori, extinctis nefarijs hominibus Remp. illam videret reſtitutam. Idem apud Lippienſes, quos paulo ſupra nouitatem aliquam in rebus fidei feciſſe diximus, aggreſſus, cum ciuiles diſcordias, atque adeò inteſtinum

Hermanni Arch. cōtra Anabaptiſt. ſtudium.

Lippienſes ad Eccleſiā

tationibus tradiderit. Quibus tamen non multo poſt, ſingulari quodam deuotionis zelo relictis, cum Spiritalis ſiue Eccleſiaſticæ ſibi vitæ genus delegiſſet, ſcriptis per Guilelmum patrem ad Colonienſe Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum literis, omnium ſuffragijs eiuſdem Collegij canonicus electus receptuſque fuit. Ibi ſingulare pietatis exemplum cunctis præbuit, atque ijs ſe virtutibus excoluit; quas vel maximè in Principibus viris deſiderare & amplecti boni quiq; ſolent. Quo factum eſt, vt anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, non vt ſcribit Panthaleon decimo, ſed quinto decimo, cum Philippus de Thuyn, Comes Oberſteinius, eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus, fatalem diem obijſſet, ipſe vnanimi omnium Capitularium conſenſu votiſque communibus Archipræſul & Imperij Elector conſtitutus ſit. Atque licet difficile ſit, functionem tam arduam ſat commodè, pro omnium iudicio, ſuſcipere ac adminiſtrare, ille tamen ſic ſuſtinuit, nemo vt eſſet, qui vel minimum in Archipræſule reprehendere poſſet & culpari. Quod regimen ciuile, ſiue politicum attinet, laborauit ſemper, & prouidit, ne vel rigidus nimis, vel leuis ſubditis videretur. Tributa & cenſus aut nullos prorſus, aut raros impoſuit. Diœceſim difficultatibus quibus grauabatur, leuauit plurimum, & vbi neceſſitas requirebat, prorſus ſuſtulit. Concordiæ quoque amantiſſimus, publicæ tranquillitatis ſeruandæ cauſa, ſæpenumero diſſidentes inter ſe Principes adijt, ac mirifico ſtudio animis denuo coniunxit. Chriſtianæ Reip. vtilitatem maximoperè promotam cupiuit, eique ne quid deeſſet, vnicè allaborauit. Cumque ob Maximiliani Cæſa-

Herman. fit Archiepiſ. Colon.

Cæſaris obitum ſupremo capite orbata varijs difficultatibus laboraret Carolum V. Hiſp. Regem, vnà cum reliquis Electoribus Imperatorē renūciauit, annoq; poſt ſolenni cęremonia Rempub. ipſi, tradito primū euaginato enſe, commēdauit, deinde, vt verbis Panthaleonis vtar, annulum digito inſeruit, palliū regale induit, ſceptrū & pomum (quo orbis imperium denotatur) obtulit. Religionis zelum ſi ſpectes, neminem hoc Principe feruentiorem, cultuiq́ue diuino ſic deditum fuiſſe, facilè dixeris. Id cum cottidie ferè proprio exemplo declararet, tum verò vel maximè oſtendit, quando exurgente per Germaniā Lutheri hæreſi, noui paſſim concionatores in ciuitates & oppida irreperent, noua contra Chriſtianam catholicæ Romanę Eccleſiæ doctrinam dogmata plebem edocturi. Tunc etenim per totam diœceſin publicis mandatis ſeuerè edixit, ne ſubditorum quiſquam eò audaciæ & temeritatis ex praua hæreticorum inſtructione progrederetur, qui vel aditum concionatorum taliū vni aut altero præberet, aut iſtic clā virus ſuum diſſeminandi locum concederet, ſed & in ipſam vrbem ad Parochos literas dedit, quibus quemlibet officij ſui admonitum ad vigilantiam ſeriò inuitauit, ac deinde ſibi & vniuerſitati mire aggratulatus eſt, quando ab ipſis Theologis nefariam hanc hæreſin condemnari didicit. Quæ res adeò benè catholicis Principibus placuit, Summo præſertim Pontifici & Imperatori, illum præcipuè vt deinceps in fidei & religionis negotijs, cōſilio ſuo adhibere, eiuſq; iudicio quodāmodo ſtare pretiū operæ duxerint. Nam cū Anno vigeſimo primo Carolus V. recēs electus Imperator Comitia

Prohibet ſubditis Lutheraniſ.

Pontificis rogatu VVormaciam indixiſſet, miſſoque in Saxoniam Imperij Fiſcali, Lutherum reddendæ fidei ſuæ, cauſa eò accerſiri curaſſet, voluit quoque Principem hunc præſentem ſibi ibidem adeſſe, vt & ipſe coram Lutheri cauſam cognoſceret, & eâ perſpectâ, ſententiam pro arbitratu ferret. Id quod profectò, quemadmodum inſignem fidei Chriſtianæ defenſorem decet, verè & conſtanter præſtitit. Quippe hæreſiarchæ Lutheri inconſtantiã æquè atq; intolerabilem arrogantiam, à qua ne quidem in pleno Principum conſeſſu temperare ſibi poterat, animo identidem reuoluens, vnà cum reliquis S. Imperij Ordinibus, Imperatori ipſi in ferendo contra hominem edicto adſtipulatus eſt; edictumque ipſum Coloniæ apud Gaſparem Gennepæum typis publicatum tota diœceſi euulgari iuſſit. Quin & ſub grauiſſima comminatione omnes à lectione librorum Lutheri deterruit, & vniuerſitati Colonienſi, poſtquam Pariſienſium contra Martini Lutheri libros cenſuram legiſſet, in maturanda condemnatione peſtiferæ hæreſeos calcar addidit; idque eo zelo ac feruore egit, vt, qui ſpreto hoc eius mandato, vel libris Lutheri legendis tempus impenderent, vel depromptas inde hæreſes rudi plebeculæ ad ſeditionem excitandam proponerent, eos impunitos nequaquam tranſmitteret. Senſit hoc Adolphus Clarenbachius, ſenſit Fliſtedius, ſenſit Ioannes Clopris, ſenſêre alij, qui pœnam præuaricatione promeritam non effugerunt. Anno 1530. Auguſtæ Vindelicorum rurſum Imperator Comitia celebrauit: Ibi cum confeſſionem ſuam Princeps Elector Saxoniæ, & Haſſiæ Landgrauius

Damnat vnà cum alijs Principibus Lutherum VVormaciæ.

Zelus eius ac feruor in fide Catholica.

Impe-

Imperatori exhibuiſſent, eam iam ante, vt Cæſarea Maieſtas ratam habere dignaretur, precati, nihil prorſus gratiæ, nedum quod publicè legerentur, impetrarunt; ſed quemadmodum par erat, vt contrariam S. Scripturæ, Patribus, & toti Eccleſiæ Catholicæ confeſſionem ſuam reuocarent, & cum reliquis DD Statibus Imperij cætui Catholicorum ſe rurſum aggregarent, rogati ſunt; vel vt tradit Philippus Melanchton, qui Confeſſionis eius cum Luthero auctor eſt, condemnati. Hîc Hermannus Archipræſul vnà quoque cum cæteris Principibus eum ſe exhibuit, qui & verè Catholicus, & vnitatis in fide Chriſtiana amantiſſimus dici queat. Sed quo manifeſtius feruentiſſimum in religione Romano-Catholica Principis huius animum aduertas, alia quædã nobis exempla ſubiungenda ſunt, ex quibus veritas ipſa per ſe eluceat. Anno 32. Epiſcopo Padebornenſi rebus humanis exempto, Metropolitanæ Eccleſię canonici, & ij, penes quos electio erat, Archipręſulem hunc communibus ſuffragijs in Adminiſtratorē Eccleſię Padebornēſis elegerunt, idq; ob nullã cauſam aliam, quam ob zelũ illum, quo erga fidem catholicã, ſuprà quã dici poteſt, deflagrabat. Etenim cũ ann. 1525. Lippiæ primùm in dulciſſima patria mea, & mox in finitimis circũquaq; vrbibus per Cócionatores quoſdã factionis Lutheranæ, fauore ciuium quorundã qui clanculũ admiſerant, ſcintillæ quædã nouę hæreſeos prodire cœpiſſent, & nuper admodũ in ipſa ciuitate Padebornenſi in publicum incēdium, magno multarũ cum animarũ ſcandalo erupiſſent, aliter extingui non poſſe exiſtimarunt, quam ſi talem Principem Epiſcopatui ſuo præfectum videant, qualē iam ante experti fuerant.

Eligitur in Adminiſtratorem Padeborn.

rant. Nec fefellit eos opinio, ſiquidem Epiſcopo vrbem magno Catholicorum applauſu ingreſſo, cum nouitiæ religionis ciues libellum ſupplicem obtuliſſent, quo publicum doctrinæ ſuæ exercitium obtenturos ſe ſperabant; atque interim irruptione in Eccleſiam & Chorum violenter facta, altaria & reliqua ornamenta diripuiſſent, erectas ad parietes ſanctorum imagines in terram deiectas pedibus protriuiſſent, libros etiam, quibus in decantandis Pſalmis Clerus vtitur, poſt multos clamores atque inſulſas cantiunculas ad Chori concentum editas conſcidiſſent, non ſolum ſpe ſua fruſtrati, repulſam ab Epiſcopo meruêre, ſed & bis mille aureis grauiter multati & aliquibus priuilegijs priuati ſunt, tum & iureiurando eò redacti, vt ſe nunquam Lutheri doctrinam admiſſuros, fidem dare principi debuerint. Atque tempore non multò poſt, cum iusiurandum prætergreſſi ex præcipuis Eccleſijs vnam alteramuè, violenta manu Concionatoribus Lutheranis ad Cathedram deductis, occupaſſent, ſolis ſibi dominium vrbis in fidei & Eccleſiæ rebus arrogare conati. Hermannus Archiepiſcopus, vt oſtenderet, quemadmodum contemptim in Iſagoge ſua hiſtorica ſcribit Dreſſerus, ſibi ſatis eſſe virium atque opus ad comprimendos omnes Euangelicorum motus, cum mille equitibus & aliquot ducibus atque comitibus Padebornam ingreſſus eſt, & ſtatim concionatores iſtos abduci in cuſtodiam iuſſit. Qui cum præcipuis fautoribus in carcerem coniecti, pœnam longa detentione exoluêre. Aliqui ex ijs ad terrorem reliquorum ad ſupplicium tracti, capite pro meritis plectendi, interceſſione quorundam & ipſius clementia principis incolu-

incolumes euaſêre. In vrbe tamen ita Princeps totius cum Cleri, equitum, & diœceſianorum conſenſu egit, vt vel omnibus, ne quis de cætero motus fieret, ſtrictè ſeuereque edixerit, vti videre licet in ſcripto eo quod Kleinſorgio teſte, 16. Octobr. ann. 32. edidit & promulgauit, id quod hoc loco ſubijcere viſum fuit. Sic enim habet.

Edictum Herm. Archiep. contra Lutheranos.

Nos Hermannus Dei gratia ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius & Septemuir, Dux VVeſtphaliæ & Angriæ, & Adminiſtrator Padebornenſis Eccleſiæ, Fatemur & hoc ipſo omnibus & ſingulis notum facimus, quod „ cum elapſo anno poſt tranſitum ex hoc mundo, „ Reuerendiſſimi ac illuſtriſſimi nobis in Deo di- „ lectiſſimi, fratris noſtri & anteceſſoris Domi- „ ni Erici Epiſcopi Padebornenſis & Oſnabru- „ genſis, poſt idem poſtulationem noſtram in „ nouum Principem & Dominum Epiſcopatus „ Padebornenſis, incolæ ciuitatis noſtræ Padebor- „ nenſis, contra omnes laudabiles & hactenus be- „ ne vſurpatas Chriſtianas ordinationes, vſus & „ cæremonias ſacroſanctæ Eccleſiæ, præterea con- „ tra expreſſum Eccleſiaſticum & politicum ius, „ Pontificis item maximi & Imperatoris editum „ VVormaciæ Edictum, & communes Sacri Ro- „ mani Imperij Receſſus & Decreta, imò & con- „ tra propria ſua à ſemet erecta & ſigillis corro- „ borata pacta, ex deliberato propriæ proteruiæ „ propoſito, innouationes quaſdam, prohibi- „ tas illas quidem & indictas omnibus in Eccle- „ ſia Catholica Chriſtiana, cum adſumptione „ quorundam ad hoc à magiſtratu inordinatorum „ prædicantiũ variarumq; germanicarũ cantionũ, „ contra morẽ Eccleſiæ inſtituerint, vſurparint ac „

propa-

„ propalam introduxerint, ex quo paulatim om-
„ nis generis motus & tumultus, diſcordiæ & ſe-
„ ditiones communium ciuium contra Conſules,
„ antiquum ęquè ac nouum Senatum, vt ordina-
„ rium magiſtratum ibidem exoriri cœperunt,
„ qui eò ſenſim excreuêre, vt inſcio & inuito Ma-
„ giſtratu vires ſuas coniunxerint, percuſſoq; fœ-
„ dere publicum in vrbe motum dederint, Conſu-
„ libuſque & Senatui clauibus ereptis ciuitatis
„ portas aliquot dierum ſpatio præcluſas tenue-
„ rint, ac poſtmodum expanſis nouis vexillis ad
„ noſtram Niggenhauſenſem arcem petulanti ac
„ hoſtili animo profecti ſediosè mentem ſuam
„ pro arbitratu magiſtratui declararint, Nos ideo
„ pincipio per Droſſardum noſtrum generalem
„ Ioannem Quade, & poſtmodum proprio iuſſu
„ illos ſæpe varijſque modis admodum clemen-
„ ter officij ſui ſcriptis. in rem eam literis ſerio
„ commonuerimus, & per Legatos noſtros ſubin-
„ de rogauerimus, quatenus huiuſmodi introdu-
„ ctas & contra omne ius factas immutationes ad
„ ſui commodum & emolumentũ reuocare, ac rur-
„ ſum abrogare maturarent, eoq; modo deinceps
„ ab omni motu ſibi temperarent, illi verò è con-
„ tra poſthabitis mandatis & petitionibus no-
„ ſtris cœpto pede ſeditioſe adeò pergerent. Nos
„ indicto conuentu, coram Ordinibus tan-
„ quam inobedientes & refractarios ſubditos il-
„ los accuſauimus, atque ad inſtantiam omnium
„ ſolius diœceſis Ordinum, per præcipuos Epiſ-
„ copatus viros, deinde & per noſtros Rhenanos,
„ VVeſtphalos & Padebornenſes conſiliarios in
„ & ante vrbem miſſos, denuo eos ad concordiam
„ & tranquillitatem benignè adhortati ſumus, ea
„ firmiſſima ſpe ducti, futurum, vt vel ſic moueri,

& ad

Digitized by Google

& ad obedientiam redigi poſſent. At omnia fruſtra fuêre. Quapropter nos ex antiquitus vſurpato more & conſuetudine Epiſcopatus Padebornenſis, vrbem noſtram Padebornam ingreſſi, ex ineuitabili neceſſitate quodammodo compulſi ſumus, hanc tam inſignem inobedientiam, ſed tioſos illos & tumultuarios conatus, poſt diligentem inquiſitionem pro meritis vlciſci & vindicare, atque eo animo omnes & ſingulos coram Nobis comparere iuſſimus, confiſi adhuc tandem aliquando ferociam illam animorum immutatum iri. Verum quando nec eo pacto proficere quicquam potuimus, & potius quotidam magis magiſque proteruire cognouimus, per hoc commoti ſumus ex rebellibus illis aliquot in cuſtodiam abducere, contra tales ſecundum iuris regulas proceſſuri. Et quidem in ipſa Padebornenſi vrbe præcipuos huiuſmodi inobedientes ciues, ex præſcripto iuris mortis lata ſententia capitis damnauimus, alijs fœderatis nimirum ; multam pecuniariam imponentes. Quia verò totus Clerus noſter, Principes etiam Comites & Equites noſtrę Colonienſis diœceſis non minus, quàm Padebornenſis, legati quoque vrbium, Conſules, Senatus, Nobiles, Virgines & mulieres, reliquæ omnes ſubmiſſe & ſuppliciter admodum pro damnatorum ſalute inſtiterunt, imò rei ipſi gratiam & miſericordiam, adeoque vitam ipſam, deprecati ſunt, & nos ſi quo modo fieri poſſet, ac erga ſubditos noſtros potius ex gratia & bonitate, quàm ſeueritate & pœnis procederemus, ad inſtantes ſupplicantium preces, ſententiam noſtram reuocauimus, & ab executione ſententiæ in clementem hanc actionem tenore articulorum ſubſequentium di-

mo-

Digitized by Google

» moueri nos paſſi ſumus. Principio. Quoniam motus hic & ſeditio communium ciuium contra ſenatum, ex eo maxime initium habuit, quod illis contra laudabiliter hucuſque obſeruatos ritus, & cæremonias ſacroſanctæ Chriſtianæ Eccleſiæ, ad arbitratum ipſorum aliquas inhibitas innouationes in vniuerſali Eccleſia, cum nouorum aliquot concionatorum admiſſione & germanicarum cantionum vſurpatione, indulgere prorſus noluerit, cum & ipſi captiui hoc lubentibus animis fateãtur, ac grauiſſimè; quod tam miſere & calamitoſe à nouis id genus præconibus circumuenti ſint, qua re non parum nos ad clementiam permouerunt; ipſi conquerantur: idcirco ſerio ſeuereque mandamus & præcipimus Conſulibus, Senatui, & toti communitati vrbis noſtrę Padebornenſis, ac volumus, vt impoſterum ſub interminatione ſummæ noſtræ ſeueritatis, ſub periculo vitæ, à prædicantibus illis, quos Magiſtratus legitimè non admiſerit, recedant, atque ſecundum antiquas laudabiles ac antehac toleratas ordinationes, ſtatuta & receptos mores vſusq; S. Eccleſiæ Catholicæ obedienter viuant; è contra nihil moliantur, nihil agant aut fieri permittant, donec huiuſmodi ordinationes in communi Chriſtianitate mutatæ fuerint atque ſublatæ. Et quo ciues noſtri & incolæ ciuitatis noſtræ Padebornenſis in talibus ordinationibus, pace & politia hoc tranquillius ſine infeſtatione vlla contineri, & ſimul tutari queant, mandamus quoque, edicimus ac volumus etiam, vt deinceps nullus peregrinus vir, fœmina, ſeruus aut famula, qui vel nouæ huic doctrinæ adhærent, vel de ea ſuſpecti ſunt, qualeſcunque illi demum fuerint, ad miniſterium

vllum in hac ciuitate noſtra Padebornenſi admittantur, aut amplius tolerentur. Datum in ciuitate noſtra Padebornæ, die decima ſexta Octobris anni 1532. „ „ „

Venio ad annum trigeſimum ſecundum, qui ſi quiſquam alius maxime VVeſtphaliæ luctuoſus fuit, quo primum ex Hollandia huc ſedes ſuas & vna teterrimos errores, Anabaptiſtæ, formidoloſum genus hominum, tranſtulêre. Monaſterium prouinciæ caput ſiue Metropolis, inter ſubrepentem Lutheranorum hæreſin, id mali infeliciſſimo exemplo & ſuſcepit incauta, & grauiter poſtmodo tulit, quemadmodum id alibi latius tradidimus. Ex hac ergo vrbe velut ex equo Trojano tot in vicinia quæque hæreticis cateruatim prodeuntibus, plurimum viris principibus laboris impendendum erat, vniceque aduigilandum, ne & ſuis ditionibus hoc malum illaberetur. Atque hic vt reliquos ſilentio prætercam, ſolus princeps Hermannus quid non curarum habuit? quem laborem, quas moleſtias non ſuſtinuit? Metu penè cæteri quique enecti, nihil quam exitium ſui verebantur; princeps verò hic noſter maturè ad ipſum Monaſterienſis vrbis præſulem, ad Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicos, ad ſenatum &c. literas ſcribere, media decernere, quibus peſtis ea ſopiri ac repelli poſſit. Sed cum omnia verbis fruſtra agit, rem re aggreditur. In milite ſubmittendo iuuat & ſtipendio, nec ante manum admotam amoliri voluit, quam priſtino decori, extinctis nefarijs hominibus Remp. illam videret reſtitutam. Idem apud Lippienſes, quos paulo ſupra nouitatem aliquam in rebus fidei feciſſe diximus, aggreſſus, cum ciuiles diſcordias, atque adeò inteſtinum

Hermanni Arcb. cōtra Anabaptiſt. ſtudium.

Lippienſes ad Eccleſiā

reuocare nititur.

num bellum illic exoriri accepiſſet, vt vbi Ordinarius Mediatorem ſemet interpoſuit. Sed & miſſo prauitatis hæreticæ Inquiſitore, in ipſa ſeditioſorum capita diligenter inquiri iuſſit, ac ne quis inſuper in religione quicquam innouet, ſed potius antiquis patrum veſtigijs fideliter inſiſtat, grauiter admodum cauit. Quam ſimiliter cautionem & voluntatem ſuam æquè ſuſque deque haberi, Catholiciſſimus Princeps poſt paulo edoctus, publica ſtrata & in vrbem acceſſus & receſſus obſideri per milites ſuos curauit, eo animo, vt vel ſic errabundos in rectam veræ fidei ſemitam reuocaret; & eò tantummodo hoc fecit, vt vicinas quaſque vrbes à nouitate deterreret. Verum cum nec hiſce medijs voto ſuo potiretur, proteſtatus eſt publicè, cœpta iſthæc non ſolum edicto Cæſareo, ſed & erectis hactenus Imperij in publicis conuentibus, ſtatutis, velut è diametro repugnare, ſcriptiſque ad ſenatum Lippienſem per Ioannem Meger & Ioannem Radenich, quos Lippienſes Padebornam ad Epiſcopum amandarant, literis, officij ſui, hoc eſt, ne ciuibus propriâ conniuentiâ ad doctrinam generalibus Imperij Receſſibus damnatam viam ſternat ac patefaciat, commonuit.

In eo dum Princeps totus eſt, & Coloniâ, & alijs ex locis diœceſis ſuę querelas accipit: vagari nimirum & paſſim ſimpliciorum mentibus illabi genus hominum, qui nihil non noui, libertatem quam vocât, Euangelciam, nouos paſtores, nouam fidem, mores nouos ſuggerant & proponant; quæ res & clero ipſi, & omnibus bonis multum diſpliceat. hinc enim temeraria quadam licentia plurimos in quæuis vitia proruere, hinc caſtas aures offendi, hinc carnalis concupiſcentiæ vi-

Colon: Archi: Concilium celebrat.

tiæ vi-

tiæ vitia progigni, quæ ægrè admodum, ſi radices agere permittantur, extirpari queant. Quid hîc Princeps Elector? rem agit Chriſtiano Principe dignam, rem eo ſeculo ferè inauditam, ſed Eccleſiæ olim perfamiliarem & neceſſariam. Concilium prouinciale, in quo ſuper reformationis negotio ageretur, Coloniæ inſtituit, accerſiuitque eo Adolphum Schuauenburgicum, coadiutorem ſuum, Epiſcopum Cyrenenſem, Leodienſem, Traiectenſem, Monaſterienſem Oſnaburgenſem & Mindenſem Suffraganeos, prælatos & Eccleſiarum præſides, alioſque innumeros pietate & doctrina præſtantiſſimos viros. Quibus omnibus ad præſcriptum tempus in Metropoli præſentibus, ipſe, Archiepiſcopus Hermannus, cunctis ordine ſedere iuſſis, initium Concilij fecit. Et primò quidem inſtituti ſui rationem, cauſaſque cur negotium hoc ſuſceperit, breuiter expoſuit, deinde de munere ſuo multa præclarè adiungens, cum duo, inquit, ſint, in quibus potiſſimum Epiſcopi officium conſiſtit, nempe in manuum impoſitione; quæ eſt Ordinum Eccleſiaſticorum collatio, ac inſtitutio miniſtrorum; & in viſitatione diœceſeos, decreuiſſe ſe de his nunc præcipuè agere; vt prouinciæ ſibi mandatæ quam poſſit vigilantiſſimè intendat, fidem, conuerſationem, mores & vitam ſingulorum exploret, examinetque ac prouideat, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam à Deo vocatus eſt, torpeſcat. Quæ vbi ad longum præmiſit, in ſpecie, quid à quolibet fieri velit, qua ratione cultus diuinus inſtitui ac ſeruari, quod cuiuſque munus & officium, eſſe debeat, ex libro aliquo ſcripto, quem per Gropperum & doctos aliquos ac pios viros confici curarat, reci-

Cauſas explicat inſtituti ſui.

Digitized by Google

citari iuſſit. In quo quidem libro omnia tam aperte & clarè, tam verè ac luculenter tradit & demonſtrat, nihil hic vt prorſus deſideres. Quem & biennio poſt, anno videlicet 1538. per pios, prudentes, doctos longaque conſuetudine probatos Theologos & alios viros orthodoxos diligentiſſime reuideri, digeri, & demum ſub titulo: *Canones Concilij Prouincialis ſub Reuerendiſſ. in Chriſto patre, Domino Hermanno Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo &c. celebrati*: quibus & Enchiridiō Chriſtianę inſtitutionis acceſſit; publicari palam & diuulgari fecit; Lubet ſubijcere vnam vel alterā exterorum præſulum de hoc cōcilio ad ipſum Archiepiſcopum Epiſtolas, ex quibus quam feruentem & zeloſum eum cognouerint, quam intimè fidei Catholicæ deditum, prius quam ab apoſtata Bucero corrumperetur, experti ſint, intelligas. Et quidem Cardinalis Sadoletus hoc modo ſcribit ad Hermannum Archiepiſcopum.

Ædit in publicum ſtatuta Cōcilij.

EPISTOLA REVERENDISSIMI DOmini Iacobi Sadoleti, Cardinalis &c. ad Reuerendiſſ. D. Colonien.

CVm legiſſem commentarios, quos tu de conſilio Epiſcoporum, more maiorum, per te habito actoque, de corrigendis moribus Sacerdotum, deque Eccleſiæ Sacramentis eruditiſsime ſcriptos in lucem edidiſti, equidem commotus admiratione tui præſtantiſsimi conſilij, eiusque actionis qua nulla maior hoc tempore nec Chriſtianæ Reipub. vtilior ſuſcipi potuit, auxi maiorem in modum beneuolentiam erga te meam, quam aliquot de cauſis conceptam antea habebam, teque & magnum virum, & optimum

Antiſti-

Antiſtitem, omnique honore ab omnibus digniſsimum iudicaui. Non enim ſolum tu primus aliquot iam ſeculorum ſpatio, eam ad rite & ſancte gerendum ſacerdotium tuũ viam tibi aperuiſti, quæ ante ob diuturnam deſuetudinem, tãquam impeditiſsimis ſtirpibus, & denſiſsimis nemoribus penitus erat obſepta, ſed etiam cæteris exemplum illuſtre præbuiſti, vt te imitarentur ſi qui vellent, & ſi quorum in cordibus pietas & religio Chriſtiana locum aliquem haberet. Nec tamen omnibus hoc liberum fortaſſe, nec par atque eadem cunctorum conditio eſt. Vidi enim ego cum in Vrbe eſſem, & cum in Senatu noſtro hac de Generali Concilio habendo cauſa ageretur, multa reuera oſtendi impedimenta, quæ Pontificis Maximi ſtudium retardarent. Sed tamen ego & tunc ita ſenſi & nunc ſentio, aut vna hac ratione Concilij rite congregandi ſubueniri poſſe his tot incommodis quotidianisque detrimentis, quibus vrgetur & ad interitum agitur Chriſtiana Reſpub. aut ſi hoc remedium non ſit profuturum, nullo alio hominum conſilio à peſte ſummi exitij Rempub. poſſe prohiberi. Non enim ſi Concilium caſte legitimeque habitum non proderit, alia erit expectanda medicina quæ opem ferat. Sed illud certo ab omnibus nobis exiſtimandum, Deũ infenſum criminibus noſtris, repoſcentemque à nobis ſcelerum & peccatorum pœnas, quæ ipſe ad ſummum intelligat eſſe perducta, ſupremum decretum de interitu noſtro iam feciſſe. Quapropter occurrere illius iracundiæ nos oportet, & precibus atque operibus, quæ à vera humilitate in nobis, vera religione, vera pœnitentia veterum malefactorum, nouaque inſequentis vitæ integritate & iuſtitia proficiſcantur, anteuenire vindicantis ſeueritatem cuius longanimitatem tolerantis tam diu deſpeximus. Hoc enim ſi egerimus, & confugerimus ad ipſius miſericordiam,

Vna ratione Concilij generalis ſubueniri poſſe rebus Eccleſiæ.

Digitized by Google

gemituſque eos ediderimus, quos acer peccati dolor à nobis expreſſerit, flectetur ipſe, & vt bonus eſt infinite ac miſericors, conuertetur ab ira ſua, ſimul ac nos conuerſos à peccato ſenſerit, quo nobis reconciliato atque placato, ceſſabunt continuo iſta, quæ nos domi foriſque perturbant: non ſolum hoſtilis arma crudelitatis, ſed etiam venena domeſticæ perfidiæ. Verum hæc recóciliatio nullo alio prorſus pacto vniuerſa & integra commode fieri poteſt, niſi Generalis Concilij quodam quaſi feriendo fœdere ſanciatur: Nam ſi ſibi vnuſquiſque, id quod fere nunc fit, ad ſuæ vitæ correctionem permittatur, primum haud ita multi ſunt, qui ſua ſponte moueantur ad pie religioſeque viuendum: deinde, quam multos eſſe exiſtimamus, qui iter rectum neſciant, quam multos qui in hoc vitiorum regno, quæ noſtra hac ætate plurimum pollent vigentque, multa ſibi arbitrentur licere, quæ tamen improba & reprehendenda ſint. De quibus etſi poſſunt à ſacris literis & earum gnaris ac peritis doctoribus admoneri, tamen in hoc pene communi generis humani ad vitia conſenſu, obſtrepit bonis & veris admonitionibus mala conſuetudo, magiſque plerique mores ſuos ex prauis ſuorum ſuperiorum moribus, quam ex eorundem proba oratione effingunt: cũ præſertim ſeuera lex nulla ſit, quæ homines à delinquendo coerceat. Quanquam non deſunt quidem leges ſeueræ & graues, ſed earum fidi cuſtodes profecto deſunt, defueruntque iamdiu, ita vt non prauis ſolum & vitia ipſa conſulto ſectantibus, ſed etiam cæteris, quos bona diſciplina fortaſſe ſi eſſet adhibita, efficere bonos potuiſſet, ampla præbita ſit occaſio vel illecebra potius, corruptæ & inquinatæ vitam traducendi. Quibus omnibus damnis & detrimentis, diuinaque vna aduerſum nos inimicitiæ, medetur ſine vlla dubitatione Concilium, quod & ritè indictum eſſet, &

eſſet, & ex fide bona ageretur: ſi in id non ſolum à Romano Pontifice & à nobis, verumetiam à reliquis Chriſtianis Principibus conueniretur. Quod enim publicæ vtilitatis cauſa quæſitum eſt, omnium debet aſſenſu & comprobatione firmari, præſertimque eorum, qui opibus & potentia antecellunt, quorum cæteros poſſet authoritas permouere. Tale igitur ſi haberetur celebrareturque Concilium, non dubium eſt quin aſpirante bene cœptis rebus Deo, hominum ſtudijs conſentientibus, miſera & infelici præſentis noſtri ſtatus conditione demonſtrata, facilis eſſet & parata in Chriſtiano nomine malorum morum emendatio. Quod & veteres ſanctæ & ſalutares leges de integro ſancirentur, & nouæ promulgarentur, maliq; pœnarum & ignominiarũ metu, cæteri exemplis doctrinaque Sacerdotum ad veræ pietatis & religionis erga Deum officia redigerentur, totaque conſentiente in laudem Dei, & in correctionẽ Chriſtiani populi Catholica Eccleſia ex multis perſonis, vt eſt à beato Paulo dictum, multiplices preces & gratiæ referrentur ad ſummum Deum. Quod ſi hoc modo coire fortaſſe Concilium non poßit, video enim tempora, video difficultates, multum ſit omnino de ſpe noſtra detractũ. Sed tamẽ ſi qua reliqua ratio iniri queat, non tam confirmandæ noſtræ quidem nec ſtabiliendæ qua ad tempus aliquod ſuſtentandæ ſalutis, ea mihi in iſto potißimum Concilio videtur eſſe poſita: cui tu initium in tua Prouincia dediſti, remque omniũ pulcherrimam & Deo acceptißimam es auſpicatus. Sic enim ſtatuo poſt Chriſti Dei noſtri aduentum ad nos, miſsionemque ab eo Apoſtolorum ad exteras gentes, nulla magis re creuiſſe amplificatamq; eſſe Chriſtianam & Religionem & Remp. quam his Prouincialibus Epiſcoporum cõuentibus, qui per nationes & Prouincias anniuerſarij fiebant. Qui mos iampridẽ vna

 cum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ui æquitas, & ſtudium amplectendæ veritatis adhibeatur Nos ſanè manſuetudinē & Chriſtianā charitatē teneamus: quæ à te mirificè in tuo libro retēta eſt. Itaq̃ mihi non ſolū admirari & laudare doctrinam tuam, ſed etiam morē diligere neceſſe eſt. Es enim tu (quod hoc tēpore rarum eſt) non ſolū ſciētia, ſed etiam vita Chriſtianus, quam nobis imaginē præſtantis & virtutis & eruditionis tuæ, tua ſcripta repræſentant. Atq̃ hæc hactenus. Vnū tantū eſt in tuo libro, quod aliquā nobis dubitationē attulerit, quodq́ue percunctatione dignū ſit viſum. Sū enim tacitus mecū nō leuiter admiratus, qui tu capite eo libri tui in quo de Sacramēto Pœnitentiæ verba facis, vbi ad tertiū illius mēbrū quod ſatisfactio eſt venitur, nullā prorſus in eo mētionē purgatorij facias: cū & hoc maximè locus ille requirat, & nos cū Catholica Eccleſia vna teneamus ſatisfactoria illa opera, nō tā ad declinādas tēporarias pœnas, quas in hac vita à nobis pro peccatis noſtris Dei ſeueritas repoſcit, quā ad leuādas illas & mitigādas, quæ in altera vita nobis purgādis proponūtur, vim habere. Atq̃ hoc fortaſſe tu eodē modo intelligis, in pœnasq̃ tēporarias etiā eas includis, quæ ſubeuntur in purgatorij igne. Eſt enim temporarium quicquid nō eſt æternum: ſed tamen & vis iſtius verbi iampridem cōmuni loquendi vſu accepta eſt in eum ſenſum, vt de rebus ad hoc ſeculum pertinentibus, quod tēporarium dicitur duntaxat intelligatur, ſicut etiam elogia ſcripturæ, quæ tu de veteri teſtamēto profers, apertè indicant. Et omnino oportuit in eo loco aliquā purgatorij fieri mētionem, præſertim ne aduerſarijs in hac re fidem Catholicæ Eccleſiæ impugnantibus, quaſi conſenſu tacito, victoria traderetur: qui iniuſtè certè & ſine ratione inſimulant Eccleſiam. Nam ſi remiſſa nobis culpa à miſericorde Deo, pœna tamen aliqua reſtat quæ ſoluenda ſit,

Recte monet Religioſiſſimus ac longe doctiſ. Cardinalis, tametſi tamen in Enchiridio alibi, ſed forſan non ita ſuo in loco multa & celebris Purgatorij mentio, & ex patribus comprobatio fiat ſub titulo, De ſacramento Euchariſtiæ à folio 110 fa. 2. vſque ad f. 118.

da ſit, vt tu quoque pie religioſeqúe confirmas, non poteſt huiuſmodi pœna, ex his huius vitæ temporalibus incommodis cenſeri. Primum, quia hæc incommoda Chriſtianis hominibus non mala ſunt, ſed habent virtutis in ſe & patientiæ exercitationem, vt ſæpe à Paulo repetitum legimus, ſepiusqúe bonis inferuntur à Deo quam malis. Siquidem oportet Chriſti ſectatores multa in hoc pati ſeculo, vt confirment erga ſe promiſſiones Dei: quemadmodum ſcriptura multis in locis teſtatur. Deinde multi qui grauia & improba multa admiſerunt, poſtquam redierunt ad cor, & ex pœnitentia in gratiam ſunt reſtituti, pœnas tamen haſce in hac vita effugerunt, in quo eſſet quædam quaſi iniuſtitia ſummi Iudicis, ſi nullas hi ſoluerent pro peccatis pœnas. Et nimirum niſi pœnæ in purgatorio abeuntibus ex hac vita, quanquam à culpa abſolutis, ſint propoſitæ (ſi tamen pœnæ appellandæ ſunt, quæ non puniunt, ſed purgant) videatur vacillare Dei ſeueritas & iuſtitia, eius ratio reddi nulla poteſt: quamobrem ex eo ſcelere, hic in hac vita à Deo puniatur, ille impunis euadat, niſi quod & impium eſt ita de Deo cogitare, & in purgatorio æqua ſit omnium compenſatio. Deinde cuius eſſet erroris accerſere ſibi quempiam, præſentia corpori incommoda, vt futura deuitaret, ieiunare, vigilare, algere, ſudare, bona ſua elargiri, vt paupertatem in poſterum effugeret, vt ærumnam, vt vigiliam, vt famē, præſertim quæ forſitan non eſſent euentura, ſicut non omnibus qui peccarunt eueniunt: non cohærerent iſta, ſi fugiendarum temporalium pœnarum cauſa, hoc eſt, earū quæ in hac vita inferātur, pœnas quaſdam nobis in ſatisfactione voluntarias adſciſceremus. Sed hæc opera ſatisfactionis ſuſcipiuntur omnia, primum obedientiæ & humilitatis cauſa: Deo enim & Sacerdoti ſic præcipienti obtemperamus: deinde vt

inde vt aliquo noſtri hic corporis incommodo , aut tollamus omnino , ſi forte datum ſit, aut certe minuamus alterius vitæ purgatorias pœnas, earumque aut magnitudinem aut longinquitatem contrahamus.

Quæ potior mihi ratio ex ſententia Eccleſiæ ſemper viſa eſt, quare nobis ſacerdos confeßis peccata noſtra opera illa ſatisfactoria poſt abſolutionem præcipiat: quæ & ſi valent aptaqúe ſunt, ad nos in bono more recte pieqúe agendi magis confirmandos: quod & confiteor, & tecum vna cumque Eccleſiaſticis cæteris Doctoribus ſentio, tamen id potiſſimum in illis ſpectandum eſt , vt quoad poſſumus poſt extremum diem ſemper abundãte erga nos Dei miſericordia, aut nulla aut leuia purgatorij ignis cruciamenta perferamus, cum eorum iam nonnullam in hac vita ſatisfactorijs pro peccato operibus ſubierimus partem, quæ quidem opera ſi quis ſibi augeat, & fortioribus ſe ſponte conſtringat ad continendum legibus, neſcio cur Anſelmus indebita ea vocet. Frigidum enim illud mihi viſum eſt, quum nihil ſit quod non debeamus caſtigandi & in poteſtatem redigendi corporis cauſa facere, ne reprobi ipſi, vt inquit Paulus, reperiamur, quandoquidem nunc commodum corporis valde peccato finitimum & coniunctum eſt. Hæc habui Antiſtes optimè & præſtantiſſime, quæ tibi à me putarem literis eſſe ſignificanda: qui & eximijs tuis virtutibus mirabiliter faueo, omnique tibi cultu & beneuolentia ſum deditus, & in qua re ſcrupulum habeo, ingenue de eo tecum & libere loquendum arbitror. Tu ſi meum erga dignitatem tuam ſtudium, amoremqúe ſingularem pari tua in me voluntate exceperis, efficiam profecto occaſione oblata, vt neminem tui amantiorem quam me, nec magis cupidum inſeruiendi tibi facile repe-

Digitized by Google

rias. Vale. Carpentoracti tertio Calend. Decemb. M. D.xli.

Tuæ Reuerendiſs. paternitatis tanquam frater amantiſſimus Ia. Sadoletus. S. Calliſti Presbyter Cardinalis.

REVERENDISS. IN CHRISTO PAtri & domino, D. Hermanno, Dei gratia Archiepiſcopo Colonien. & Sacri Romani Imperij Electori, &c.

EPISTOLA REVERENDISSIMI DOmini Epiſcopi Veronenſis.

Cardinales Contarenus & Polus.

D. Arnoldus Tongarus. D. Theodoricus Hezius.

EGo te ne de nomine quidem notum, vnice iãpridem dilexi. Nam cum mihi Colonienſis Concilij canones. Chriſtianæque inſtitutionis Enchiridion, Reuerendiſſimi Cardinalis Contarenus, qui nunc iſtic Apoſtolicæ Legationis munere fungitur, & Polus, viri maiorem in modum tum eruditi, tum pij, Chriſtianæque Reipub. lumina & ornamenta, aliquot ab hinc annis legenda dediſſent, egoq́ eum librum ſapientiſſimorum hominum teſtimonio comprobatum auide ſtudio ſeq́ perlegiſſem, perlectus ſic expectationi meæ ſatisfeciſſet, vt eorum laudatiſſimorum hominum laudibus dignus eſſe videretur, cœpi eius à quo lucubratus eſſet, & probitatem & doctrinam diligere & admirari Quamobrem illius cognoſcendi cupidus, cuius ſtudio tam feliciter ad hominum vtilitatem Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Hermannus vſus fuiſſet, ad D. Tongrer, cuius & olim mihi vita gratiſſima fuit, & nunc eſt memoria periucunda, & ad D. Theodoricum, quorum hic mihi quidem ſumma veteriq́ neceſſitudine iamdiu Romæ deuinctus erat, illius mihi Leodij cum eſſem, amicitiam conciliaram, ſcripſi, vt mihi verum eius authorem atque parentem indicarent. Sperabam enim illis te notum eſſe:

enim

cum ambo tui quam ſimilimi, alter etiam Colonienſis, tibiq́ fortaſſe propter pietatis ac morum integritatem, loco patris eſſet. At illi Ioannem Gropperum eſſe ſignificarunt. Cum igitur eorum authoritas me ad te diligendum magis etiam incitaſſet, declarandiq́ amoris mei mihi facultatem aliquam dari vehementer cuperem, accidit peropportunè, vt Reuerendiſsimus Cardinalis Contarenus, Legationem Apoſtolicam obiturus, D. Adamum alumnum meum à me petierit: cui quidem Adamo mandaui, vt Gropperum, quem iſtis Comitijs, quo doctiſsimorum hominum lectiſsimos quoſq́ confluere oporteret, in primis interfuturum conijciebam, inueniret, inuentum meo nomine complecteretur & ſalutaret. Is amor erga te meus initijs ſuſceptus, ijsq́ quaſi quibuſdam gradibus auctus: licet eo iam perueniſſet, vt ei nihil addi poſſe videretur, magnus tamen ad illum ex tuis literis cumulus acceſsit. In libro enim tuo diſerti religioſiq́ hominis effigiem cernebã: in literis amici chariſsimi complector imaginem. Itaque te quem antea, merito quidem tuo ſingulariter diligebam, nunc eo libentius amo, quod in amore mihi te video reſpondere. Aequiore igitur animo Adami mei præſentis carebo poſthac opportunitatibus, quando eius abſentis opera propenſus meus in te animus, fraternaq́ volũtas patefacta, tuam mihi beneuolentiam & amicitiã cõciliauit. nam quod optas albo meorum adſcribi: tu vero non ſolum in meorum albo, ſed etiam in animo, in memoria, in ore meo ſemper eris: quod autẽ intelligens me conari officio meo non deeſſe tantopere lætatus ſis, vt mei quamplurimos ſimiles à Deo ſedulo petas Eccleſiæ concedi, facis tu quidem non amice ſolum, verumetiam admodum Chriſtianæ. Faxit igitur Deus Optim. Maxim. vt eiuſmodi ſanè quam multos habeat Eccleſia ſua, dum me talem efficiat,

qua-

qualem & tu exiſtimas, & ab alijs ſcribis exiſtimari. Hactenus certe quid in me probari iure poſſit, nihil video præter voluntatem: quam tamen eſſe munus eius à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, non ignoro, rogoque, vt qui eam mihi largitus eſt, vires item perficiendi largiatur. Cæterum, ſi vota facienda ſint, equidem quid optimo cuique votis omnibus magis optandum ſit, neſcio, quam vt Epiſcopi vel ſint tui ſimiles, vel ſaltem iſtiusmodi hominum copiam habeant, quorum innixi conſilijs oues ſibi commiſſas paſcere queant ac gubernare. Si enim Chriſtianam Rempub. quam miſere labefactatam videmus, priſtinum ſplendorem, optatamque tranquillitatem breui recuperaturam non dubitarem. Sed de his ſatis. Reſtat vt amicitiam noſtram iudicio ſtudioque meo ſuſceptam, tuarumque literarum teſtimonio confirmatam, mutua beneuolentia conſeruemus. Vale. Datum Veronæ die 21. Aprilis. M.D.xli.

D.T. Amantiß. frater

Io. Matthæus, Epiſcopus Veronenſis.

REVERENDO DOMINO IOANNI *Gropper, Canonico Colonienſi, tamquam fratri hon.*

LVbet & Ambroſij Catharini, ex hæreticorum ſpeculo, præclarum de Hermanno Archiepiſcopo, teſtimonium reliquis adiungere, qui mirè principis ſtudium attollens ſic demum inquit: Gratias ago Deo meo, qui poſtquam hæc
» ſcripſeram, ad manus meas venit Colonięſe Cōciliū, ab Hermanno Reuerendiſſimo Colon. Ecclesiæ Archiepiſcopo, & multis ac inſignibus titulis & nominibus glorioſo, quo profecto nihil his tēporibus vidi orthodoxius, nihil doctius,

nihil

nihil deniq; fidelius,& omni acceptione dignius „
quod vtinam & alij perſanctè ęmularentur. Cer- „
tè paterent omnibus iſtæ ferè beſtiæ oſtentui ac „
ludibrio. Hæc Catharinus. Similia multa Enco-
mia, tam à comprouincialibus Epiſcopis, quam
alijs viris rara cum doctrina,tũ pietate præſtan-
tibus profecta,quæ ſe in mediũ adducere poſſe
Gropperus ſcribit, produci poſſe. Inter quos
ſunt D. Fridericus, Baro à Tautenberg, Præpoſi-
tus &c. non minus eruditione, quam natalibus
clarus Arnoldus Tongarus,Ioannes Cochlæus,
Theologi. Albertus Pighius, Otto Beckmannus,
Ioannes Hannerus. Et qui nunc Cancellarij Co-
lonienſis vices agit, & quandoque ſcripto non
ineleganti in Buceranos & Melanchtonios inue-
ctus eſt (vt alios multos prætermittam) etiam
Iacobus Omphalius, qui ſanè teſtantur omnes
admirabilem ſemper Principis in aſſerenda fide
Catholica zelum fuiſſe, &c.

Atque hæc præclariſſimorum virorum teſti-
monia ideo vel maximè adſcribenda cenſui, ne
quis fortaſſis arbitretur,alium nos Hermannum
Archiepiſcopum fingere, quam reuera vnquam
fuerit.Hic iam videre licet nihil tam eſſe falſum
& putidum,tam ab Archiepiſcopo hoc alienũ &
extraneum, quàm quod in ſua illuſtrium Ger-
maniæ Virorum Proſopographia, Henricus Pã-
thaleon Baſileenſis Phyſicus,vt multa alia falſiſ-
ſimè,commemorat,dum ait, ipſum ab anno 1521. *Mendacium*
quo habita fuêre VVormatiæ Imperij Comitia, *Panthaleo-*
non obſcuris indicijs ad doctrinam Luthera- *nis de Her-*
rum inclinaſſe. Verba eius ſubijcio. Cum autem *manno Ar-*
Lutherum 1521. de religione VVormatię reſpon- *chiep.*
dentem audiuiſſet,ipſe de eo diligentius cogita- „
re cœpit, & Bibliorum lectioni incubuit. Itaque „

poſtea

aut Gropperianis ſcriptis contrarium, verum Catholiciſſimum, & ſuprà quam dici poteſt, hæreſibus obnitentem. Alioqui fruſtra ingeminaret, totieſque repeteret: perire iuuentutem, corrumpi populum, ſcholas & collegia ſubuerti, ſi ad eum modum impunè graſſarentur exortæ recens per Germaniam hæreſes; ideoq; vt Catholicæ Romanæ fidei viri ſcholis & collegijs præficiātur, vt per Inquiſitores Apoſtolicos in mores & vitam Paſtorum, totiuſque Cleri inquiratur, idque ſingulis annis ſtrictè & induſtriè ſub finem Concilij ipſe præceptis, ac in mandatis dedit. Rapuit itaq; ex vento, vt ſolent plerunq; hæretici iſti, mendacia ſua Panthaleon, quæ vtinam Archiepiſcopus ſic falſa reliquiſſet, quā poſteà incautus, quinquennio vixdum exacto in veritatem immutauit, quando ab vno Bucero nefariè circūuentus illuſtriſſimo nomini ſuo Lutheranæ hæreſeos maculam ſe adſperſiſſe indoluit. Id quî factum nunc dicere aggrediar: Cum poſt ſolutum Imperij Conuentum, per Palatinum & Brandenburgenſem Electores, de religionis negotio habitum, Hagenoæ in cæſaris adhuc abſentia noua conuentio indicta eſſet, ſolius religionis controuerſiæ componēdæ cauſa, Archiepiſcopus quoque Hermannus eo cum Ioanne Groppero, Coloniēſis ad D. Gereonem, Eccleſiæ canonico, & alijs aliquot viris profectus eſt, eo potiſſimū conſilio, vt adhibito in actionē Groppero, quem ad rem eam peridoneum, & vtilem eſſe, vel ideò præcipuè rebatur, quod adhuc Lutheranis incognitus, & natura modeſtus ſedatuſq; rationem ſarciendæ, inter partes concordiæ inuenire & demonſtrare, animoſque rurſum deuincire fortaſſis facilius, quam quiſquam

Archiepiſc. fidei Cathol. Rom. addictiſſ.

Archiepiſc. Haganoam proficiſcitur cum Groppero.

alius poſſet; opus Chriſtiano Principe dignum præſtaret. Itaque dum ibi commoratur; paſſim ad ſe viros doctos, cum quibus hoc de negotio conferat, acciri curat. Inter reliquos & Martinus Bucerus eò venit; ac Principem ipſum in hoſpitio priuatim adijt. Qui ab eo ſeorſim in conclaue deductus, longo tempore ſolus cum ſolo, de rebus tam magni momenti ac ponderis ſermonem contulit, atque inter reliqua, cum ad modum erigendæ concordiæ colloquendo deuentum eſſet, callidè in hoc exquirendo perficiendoque operam ſuam Principi pollicitus; concordiæ ſe ſtudioſiſſimum coram declarauit, Archipræſulis hoc facto gratiam & fauorem aucupans. Nec euentu irrito fecit. Siquidem homine dimiſſo, Princeps actutum Gropperum ad ſe aduocari iuſſit, eique animum eius & concordiæ ſtudium expoſuit, inſimulque rem non inutilem fore dixit, ſi amicitiam cum viro & ipſe contraheret. Hic Gropperus, tametſi iamdudum, quam periculoſus homo ſit Bucerus, & fama, & lectione librorum ipſius, quos, alieno ſub nomine, in lucem emiſerat, didiciſſet, attamen quia Principis petitioni refragari nollet, egit quod rogatus erat, ſic tamen, vt Bucerus prius quàm ille ſe ingeſſerit. Primus Buceri quando ad Gropperum venit, ſermo fuit; videlicet ſibi deliberatius ante hac nihil fuiſſe, quam ſi inter Imperij Status concordiam, cuius quidem ſit ſtudioſiſſimus, vnà poſſet promouere, vt vel demum horrenda illa in fidei rebus diſſidia tollerentur, & ſopiti ſemel & ſimul intercniderent. Deinde operam & ſtudium Archipræſulis Hermanni recenſuit, vt qui in eo totus etiam fuerit, Chriſtianorum animi rurſum

Bucerus inſinuat ſe Archiepiſcopo.

Colloquium Buceri cum Groppero.

ſum vt plane mutua charitate coniungerentur. Præterea & familiare de omnibus penè dogmatis, quæ id quidem temporis in controuerſiam vocabantur, colloquium priuatum iniјt, & ne in minimo Gropperi dictis reluctans, ſententiæ Catholicorum ſubſcripſit. Id quod VVormaciæ quoque, præſentibus alijs multis, in publico aliquot Deputatorum conſeſſu, præſtitit. Poſtea verò, indicto Ratisbonam conuentu, animum ſuum mutauit prorſus, & declarauit primùm nō obſcuris indicijs, aliud ſe animo moliri, quàm exteriore habitu actitaret. Quod vbi innotuit, malè pios omnes habuit. Itaq; fruſtra tot laboribus adhibitis, tot irritè attentatis medijs, cùm ille hoc modo tergiuerſari, & non concordiam, ſed noua Lutheri dogmata, abolito Catholicę religionis exercitio, promouere occiperet, ſoluto cōuentu, Theologi, ſine fructu, ad Principes ſuos repedarunt. Aegerrimè tulit id factum Archiep. Hermannus, qui iam ante bonam ſpem animo cōceperat, negotium iſthoc optatiſſimo fine, per Buceri, quam præ ſe ferebat, manſuetudinem, & quâ apud præcipuos Euangelicorū pollebat, auctoritatem, potiturū. Videns ergò incaſſum pleraq; inſtitui, ipſe apud ſe, quî diœceſin ſuā benè gubernet, quî eam ab hæreſibus immunē, bonorum Paſtorum curæ & inſpectioni committat, deliberare cœpit. Qua in re dum aliorum iudicia exquirit, dum recta cōſilia ſollicitus quærit, inter ſuos inuenit, qui hunc hominem, Bucerum inquam, tot licet modis ſuſpectum commendare, nō fuerint reueriti, nec ante Principis animū tentare, quàm hominem in aula præſentem conſpicarentur, deſtiterint; quorum vtique animos, verſipellis apoſtata, paulò ante in Imperij conuenti-

Vide fraudulentiam Buceri.

uentibus, dolo & fraude, mellitiſq; ſuis ſermonibus corruperat.

Euocatur Argentorato Bucerus ab Arch. Colon.

Annus agebatur reparatæ ſalutis humanæ quingenteſimus quadrageſimus tertius ſupra milleſimum, quando ad aulam Colonienſem Bucerus ſe contulit, Argentorato publicis ab Archiepiſcopo literis euocatus. Suſceptus eſt à Principe humaniter admodum, & ſic habitus in arce *Buſchouienſi*, quæ eſt diœceſis Colonienſis, nec adeò procul à Metropoli diſſita, quemadmodum ij haberi ſolent, quorum aduentus diu acceptus deſideratuſque fuit. Dies ibi aliquot clanculum delituit, priuſquam Catholicis palam fieret. Interea de reformando Clero Princeps conſilia agitat, & quid facto videatur opus, ex homine hæretico, neglectis Groppero & reliquis Catholicæ religionis in ſua diœceſi, viris inſignibus, ſola paucorum quorundam Conſiliariorum ſuggeſtione incitatus, exquirit.

Buſchouienſi.

Vocantur Gropperus & Nopelius ad arcē Buſchouiē ſem.

Vbi ſufficienter inſtructum ſe exiſtimat, Ioannem Gropperum, & Ioannem Nopelium Lippienſem, Epiſcopum Cyrenenſem, Suffraganeum ſuum, viros doctiſſimos, & in Theologicis ſtudijs apprimè exercitatos Colonia ad ſe celeriter, ſed ſeorſim, ita vt alteri de alterius profectione nihil conſtiterit, in arcem Buſchouienſem accerſit, & poſtquàm familiariter excepiſſet, facti ſui ipſis rationem, quidque ab ijs nunc fieri cupiat, expoſuit, vnà Buceri præſentiam aperiens; quem virum ſic ſibi placere præ reliquis dixit, adeoque videri concordiæ ſtudioſum, vt cum hoc malit, tùm aliâs fieri non potuerit, hoc loco in ſua præſentia ipſos in familiare quoddam colloquium

quium deſcendere, ac de præcipuis fidei capitibus Chriſtiano more humaniter ac manſuetè conferre, præſertim quando animus ſibi rem hanc fructu ſuo minimè carituram, iam tum præſagiat. Hîc ambo iſti Gropperus & Nopelius mirari, alius alium intueri, & quid Principem, quod virum hunc rei tam arduæ adhibere intendat, permouerit, apud animum ſuum volutare. Priuſquam conuenirent, Nopelius primùm, vt erat candidi vir animi, principi mentem ſuam ſimpliciter declarans, haud tutum eſſe, & fieri vix poſſe, vt tali cum homine, quantumuis doctum ſe & concordiæ amantem exterius ſimulet, colloquium ingrediantur, eò quod publicis libris longè ſe alium, quàm componendarum controuerſiarum ſtudioſum, exhibeat; quippe qui oblato Eccleſiæ diuortio, contra Catholicos omnes calamum ſtringat atque acuat, & à quo grauiora proinde diſſidia metuenda ſint, quàm vel minima vocatæ in dubium religionis compoſitio; veluti res ipſa hucuſque veriſſimè comprobarit. Idem & Gropperus præmiſit. At princeps hominis dotes ac ſtudium deprædicans, eò vſque ambos permouit, vt poſtulatis adſtipularentur, & Bucerum in colloquium admitterent.

Vt conuenêre, innuit principio Bucerus, iamdudum ſe occaſiones quæſiuiſſe, fœdiſſimas illas in primarijs religionis noſtræ articulis diſſenſiones ſopiendi, ſed neſcire quo fato non ad nutum ſemper ſucceſſerint. Exoptare vnicè vel demum aliquando compoſitiunculam aliquam piam & ſtabilem tranſigi poſſe, quæ animos Germanorum rurſum conglutinet. Pro hac *Colloquium Gropp. & Nopelij cũ Bucero.*

obtinenda, extremas ſibi difficultates non nimis videri graues, quas lubenti animo ſubire, modò ſpes certa vnionis firmæ affulgeat, nequaquam detrectet. deinde & de Principe pauca adducit & interſerit, quibus conſilium eius, ac ſuæ vocationis cauſas explicabat. Poſt multa id genus verba vtrinque prolata, colloquio tandem initium datum fuit. Cumque paulatim ad ea dogmata, de quibus maximè controuerſia mouebatur, deueniſſent, & Bucerus mira animi modeſtia moderatiſſimè pleraque vel tacendo, vel applaudendo admitteret, Nopelius Cyren. Epiſcopus hominis inconſtantiam, vt qui eius opiniones ex editis libris probè iam ante memoriæ crediderat, admiratus, qua ratione fieret, vt nunc per omnia ſibi aſſentiretur, cùm tamen hactenus contrarium propalam & publicè docuerit, nec in vllis libris eorum quicquam reuocârit, explorare & exquirere cœpit. Ibi Bucerus veteratorijs ſuis artibus vſus, ita hoc factum obuelare non erubuit, vt diceret, ſibi in calore ſcribendi verba quædam nonnunquam excidere, quæ ipſe non tam ſoleat ſtrictè expendere, quàm poſtmodum ab alijs durius fortaſſis & ſecus quàm prius putârit, examinari queant; & hæc quidem ſemel edita ægrè admodum & inconuenienter expungi poſſe. Interim tamen ſi quid in ſcriptis ſuis, quod pijs auribus officiat, deprehenſum fuerit, certò ſe polliceri, hoc, diligenti reuiſione præuia, deinceps correctum iri. Reſponſo hoc prudentiſſimi viri quæſtiunculam ſperabat dilui poſſe. At actum egit. Aduertit enim iam tum Nopelius ac coram vidit, vt erat prudentis animi, quorſum ſpectarent iſta, quæ

Bucerus fraudis & impoſt. arguitur.

homo

homo callidus obuerteret, qui aliud lingua, aliud calamo teſtaretur. Itaque hominis lubricitatem & verſutiam deteſtatus, deinceps cum eo nec colloqui de religione voluit, nec quicquam habere commune; Quod ad Bucerum ipſum non diſſimulauit, Nec adduci potuit, quanquam eum varijs modis prenſarent nonnulli, vt ad Buceri ſe familiaritatem adiungeret, hominem eſſe verſipellem aſſerens & bilinguem, indignum prorſum, cui hoc negotium committatur. Quæ res in cauſa fuit, vt ſalario, quod annuatim ab Archiepiſcopo præbebatur, ſubtracto, grauiter à nouatoribus affligeretur: Qui conſtanter preſſuram illam ad annos aliquot ſuſtinuit, ſeque interea Coloniæ, violentis ſectariorum machinationibus, pro fide Catholica, velut murum aheneum obiecit. Nam cùm concionator eſſet diſertiſſimus, ijſque donis exornatus, quæ hominem homini gratioſum reddunt, tametſi beneficijs Eccleſiaſticis priuatus parum haberet ſubſidij, patrimonium ipſe ſuum haud grauatè applicuit neceſſitati, & ad extremum vſque concionando, ſic populum à Buceri incantationibus deterruit, nemo vt in tanta frequentia, vel rari admodum, ad reformatores iſtos deficerent.

Nopelius indignum indicat Bucerum Cath. conſortio.

Zelus Nopelij contra conatus Buceri.

Poſt eius ergo diſceſſum, Gropperus ad Archiepiſcopi inſtantiam latius cum Bucero de articulis fidei contulit. Præcipuus de religionis negotio ſermo fuit: Bucerus vrgebat, vt quia tenore Ratisbonenſis Receſſus omnibus Imperij Principibus, ex mandato Cæſaris, & legati Pontificij, iniuncta eſſet in moribus, & religione pia quędam reformatio, ea hoc tempore, quo ſupremi Magiſtratus voluntati ſatisfieret, ſuſcipere-

tur; hoc enim pacto compoſitioni diſſidiorum optimè prouiſum iri. Ad ea Gropperus replicãs, cùm de cæremonijs, quæ in adminiſtratione Sacramẽtorum adhiberi ſolent, quædã in mediũ adducens oſtẽderet, eas prout antehac vſurpatæ cũ fructu fuiſſent, de cætero etiam ad excitandã cũprimis in animis deuotionẽ, & reliquũ Chriſtianæ religionis cultum augendũ, piè obſeruari poſſe ac debere, Bucerus in omnibus & ſingulis moderatiſſimũ ſe geſſit, nec vel verbo, nedũ indicio aliquo externo Gropperi ſentẽtiæ reſtitit; &quod admirêre, cùm Gropperus de oſculo pacis, quod in ſacratiſſimo Miſſæ ſacrificio ex traditione Apoſtolica, vulgo offerri cõſueuit, verba faceret, eiuſq; vtilitatem exaggeraret, tum vt & veteri conſuetudine rurſum reciperetur, omnibuſq; & ſingulis in Eccleſia præſentibus à ſacerdote exhiberetur, nõ modò nõ oblocutus eſt, verùm etiã vt ex ligno fabrefacta crux populo oſculanda præberetur, ſuaſor extitit. De reliquis, quæ reformatione indigere videbãtur, nihil tũc deliberatũ fuit, eo quod animum ſuum Bucerus mirè diſſimularet, nec aſſequi Gropperus poſſet, hominẽ præter eam, quã Archiepiſcopus anno 1536 primùm, & poſt anno nimirum 38. per promulgationem concilij ſui prouincialis præſcripſerat, aliam adhuc longè diuerſam, & Eccleſiæ Catholicæ vt plurimum pernicioſam, vtpote Lutheranã, requirere. Itaque ſine fructu colloquium iſtud finem accepit. Gropperus verò Coloniam reuerſus, collatione cũ Suffraganeo Nopelio de Buceranis conſilijs habita, eius monitu, Buceri ſcripta diligentius euoluere, & articulos cum ijs conferre cœpit, de quibus VVormaciæ priuatim, poſt & Ratisbonæ inter ipſos conuentum

Bucerus Catholicum ſe ſimulat.

uentum fuerat. Ex huiuſmodi collatione, tum & ex vltimi huius Buſchouienſis colloquij proceſſu, fraudes hominis & inſidias clariſſimè aduertit. Et quidem tum primùm cognouit, non eò dirigi ipſius conſilia, vt tollerentur abuſus, ſed vt religio Catholica ita ſenſim velut ſubſtructis cuniculis ſemel ac ſimul, ſubſtitutis Lutheri placitis, interuerteretur. Itaque cautius ſibi deinceps agendum cum homine vidit, nec temerè adhærendum conſilio ipſius, qui omni fraude & dolo ad perniciem Catholicæ Eccleſiæ inſtructus videatur.

Gropperus legit libros Buceri.

Sed quid agat, etiamſi circumſpectè ſibi, ne quid negotij impoſterum cum eo tractet, prouideat, declinare tamen congreſſum eius & colloquium euitare, tametſi Coloniæ degat, non poteſt. Vix domum redierat, & ecce biduo poſt Gropperum Coloniam vſque ſubſequitur, ſtipatus nobilibus aliquot, quos in comitatum Archiepiſcopus adiunxerat. Indecorum erat hominem eo apparatu, & ab ijs viris Principis iuſſu eò deductum, hoſpitio excludere. Et licet animo iam planè eum auerſaretur Gropperus, excepit tamen, vultuque parum benigno ad dies aliquot domi ſuæ habuit. Sed nec hîc homo vafer ſic ſe temperare quiuit, quin non rurſum ad colloquium Gropperum permoueret. Itaque eum in Muſæum ſuum abduxit, ibidem, quod proponere moliebatur, excepturus. Sperabat hominem nunc demum animum ſuum declaraturum, ſed quando præter ſpem ad priores artes relaberetur, ipſi in faciem verſutiam, quam inſigniter occuleret, objecit, porrectoque libro Chartaceo, per claſſes oſtendit fraudulentos illos conatus,

Bucerus Gropperum Coloniæ viſitat.

Gropperus Bucerum falſitatis conuincit.

quibus Acta Ratisbonenſis Colloquij nefariè interuertiſſet, quâre meritò piorum omnium animos grauiſſimè offenderit. Accidit hoc ipſum Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, quo & ipſo Bucerus, vbi fauorem Gropperi conciliare ſibi nequijt, Argentinam abijt, ea tamen lege ab Archiepiſcopo dimiſſus, vt ſi quando eius opera in reformando clero, vti cuperet actutum huc remearet. Eius abitu Catholici plurimum recreati fuêre. Verùm quia qui ſemel malorum hominum perſuaſionibus locum dedit, difficulter admodum ab eorum conſortio abſtinere poteſt; ita quoque Hermannus Archiepiſcopus non potuit, quin de reuocando primo quoque tempore Bucero cogitaret, idque, quod ſub ſpecioſo reformationis titulo hucuſque paucorum ſuaſu machinabatur, perficeret. Quę res quòd occulta eſſe non poſſet, graui Catholicos dolore affecit. Primus qui cognouit, fuit Gropperus. Nam cùm is Marpurgo ad Belgij Gubernatricem cum Landgrauij Haſſiæ Legatis mitteretur, ab Conſiliarijs vno, viro magni nominis & Catholicæ religionis tum quidem, vti videri volebat, addictiſſimo, rem nō obſcuris indicijs accepit. Itaque anxius ille, cùm antea nihil malè de Archiepiſcopo Hermanno, multo minus, quòd innouationes in rebus fidei inſtituere cogitaret, ſuſpicatus eſſet, diligentius reuocationis huius Buceranæ rationes exquirere & peruestigare cœpit. Quinimò & ipſi Comiti Nuenario, qui vnà ab Archiepiſcopo in Belgicam legationem deſtinatus erat, Gropperus ſecretò aperuit, vtque ab eo facto bonum Principem dehortaretur precatus fuit, ijs etiam adiectis, quæ Archiepiſcopo commodè ſimul inſinuare

Princeps dehortatur à reuocatione Buceri.

nuarę

Digitized by Google

nuare poſſet, futurum certò, vt ſi Bucerus eò rurſum acceſſeretur, omnes de Principis ipſius animo dubitare inciperent, eumque apud Capitulum Metropolitanum, imò & Imperatorem, & ſummum Pōtificem, vt ſupremum Magiſtratum defectionis à vera fide incuſarent, quod non minus eius nomini, quàm & toti familiæ, agnatiſque omnibus ſummè ignominioſum foret. Id quod facturum ſe, & promiſit Groppero, & poſtmodum præſtitit. Verùm & illis incaſſum adhibitis, vt vidit principem nimis propoſiti ſui tenacem, nec cogitare mentis reuocare ſententiā, priuatim ipſe adijt, ſuamq; illi operam, ſi quādo reformationē piā inſtituere cuperet, addicēs, ne eò ſe, vt homini tali iſtiuſmodi negotium tam arduum & operoſum committat, abduci pateretur, rogat. Metropolitani Capituli petitionem monitioni ſuę ſuperaddidit. Ea erat; vt Archiepiſcopus in ſui gratiam conſilium iſtud de Bucero reuocando immutare, ac ab hæretici hominis conuerſatione ſibi quàm poſſet diligentiſſimè præcauere dignetur; hoc ſe illuſtriſſimæ Celſitudini eius firmiter polliceri, vt ſi bonum concionatorem deſideret, actutum vbicunque cōllibuerit, habere queat. Poſt multa vltro citroque acta, placuit demum Archiepiſcopo, vt ſibi concionator aliquis Colonia admitteretur. Miſſus eſt ergo Hermannus Blanckfort, Monaſterienſis VVeſtphalus, S. Theologiæ Licentiatus, ad S. Columbæ Paſtor, vir ſiue eruditionem ſpectes, aut vitam & mores, præclarus & inſignis; cuius opera aliquandiu Princeps vſus fuit.

Sed quia veriſſimum eſt, quod experiētia docuit, eum qui hęreſum doctores fautoresque tolerat, ſenſim & ipſis hæreticis aures præbere, o-

ctiduo vixdum expleto, animum prorſus mutauit. Quam mutationem, amandato Coloniam Conſiliario, Capitulo Metropolitano inſinuari curauit. Inſtat rurſum Capitulum, rogat & precatur Principem, ne contra iuramentum præſtitum, contra ſtatuta Capituli, contra publicos Imperij receſſus, quid aggredi, temerario paucorum ſuaſu, auſit, quod deinde in ſui detrimentum cedat. Mira res. Vnius extranei, apoſtatæ monachi falſiſſima perſuaſio, ſic optimi Archipræſulis animum faſcinârat, vt domeſticorum, & fratrum quaſi propriorum ſana conſilia efficere planè nihil valuerint. Videant hoc loco Catholici omnes, & ij præſertim, qui alijs intendunt, ne quem temerè & inconſultè, ad vnius vel alterius nouitatis ſtudioſorum inſtantiam, ſuſcipiant, quorum poſt prauo ſuaſu ſemet in mala præcipitent. Expendant ſecum, turpius eſſe eijci, quàm non admitti huiuſmodi hoſpites, adeoque tutius ſemper, ſi nunquam vel ipſos, vel fraudulentum aliquod conſilium admiſerint eorum, quos ſemel incautè admiſſos, non ita commodè poſtea dimittere poſſunt. Senſit idipſum Archiepiſcopus hic noſter Hermannus, qui quod Bucero paucis ante menſibus ſpem ad ſe redeundi feciſſet, ſuggeſtionibuſque eius locum dediſſet, hominem excludere, nedum ſic accedentibus quorundam fautorum ſtimulis euitare potuit, quin denuo Argentorato Buſchouiam non reuocaret, imò in conſpectum ſuum, ad menſam priuatim, & publicè ad Cathedram admitteret. Vt ad Principem homo peruerſus redijt, primò omnium quod ſuggereret, fuit citatio Ordinum, quos quidem Brulam, ad audiendas reuocationis huius Bucceranæ cauſas, vocari neceſ-

Redit Bucerus ad Archiep & hæreſin ſuam palam ſpargit.

neceſſarium cenſuit. Prius quàm venirent Bruſam Ordines, Bucerus Archiepiſcopi iuſſu primam Bonnæ concionem habuit, mutationiſque futuræ, quam dudum ille adornârat, initium fecit. Factum hoc eſt 17. Decembr. quæ Dominica tertia fuit Aduentus. Iniunctum ipſi à Principe fuerat, vt moderatè rem principio ageret, nec acerbè admodum in Eccleſiaſticas perſonas aut abuſus diceret, donec populus ſufficienter de dogmatis fidei inſtructus eſſet. Et paruit Bucerus ad tempus quidem mandato Principis, verùm poſt vbi fraudes ipſius atque impoſturę detectæ fuerunt, omni moderatione poſtpoſita, velut lupus ſæuiens grauiter in Catholicam Eccleſiam, membraque eius inuehens peſtiferum hæretici pectoris virus, lingua ſimul & calamo, in obnitentes effudit. Vt verè ſcripſerit id temporis ſacerdos quidam, Georgius à Meſchede, Decanus SS. Apoſtolorum Coloniæ, qui Bucerum cũ Groppero & Nopelio Buſchouiæ colloquentem audiuit, & ex Nopelij argumentis perſpectam habuit, hominis illius vafritiem; Intrauit vt agnus, inquit, ſed poſtea Bonnæ admiſſus egit vt rapidus lupus. Cæterùm eodem ferè tempore, quo Bucerus Buſchouiam primùm venit, Melanchton etiam VVitteberga per Archiepiſcopum fuit euocatus. Et quanquam tum profectus non eſt, quòd Elector Saxoniæ de conſenſu interpellatus, tacendo profectionem inhibere videretur, edoctus fortè, iam tum quid vapido ſub pectore homo votifragus nequitiæ moliretur. Poſt verò quàm Bucero publicè concionandi poteſtas collata eſt, vt diximus, vocatus denuo venit, menſe Aprili, communi negotio cum Bucero, Hedione, Piſtorio, cæteriſque, quos iam

Qualem ſe Bucerus geſſerit publicè admiſſus.

Apoſtoli noue Reformationis.

iam Archiepiſcopus delegerat, manum admoturus.

Atque hi quidem, velut ſenatu quodam conſtituto, moderabantur omnia. Quicquid ab ijs ſanciebatur, quicquid priuatim vel publicè in Eccleſijs & cathedris rudi plebeculę obtrudebatur, id Archiepiſcopo ſacroſanctum nonnulli commendabant. Hi quocunque collibitum fuit, Principem pertrahebant. Nihil tam erat religioſum, tam ſanctum & diuinum, quod ſi repudiarent iſti, ille quoque nutu ſuo non reprobaret, quod eo fiebat miſerabilius, quod non ſecus ac pueri à Pædagogis tractari ſolent, ſic ſe quoque ab hoc hominum genere Princeps multo iam ſenio confectus, regi permitteret. Et ô vtinam tam attentas Capitulo ſuo, Imperatori, ac Pontifici aures præbuiſſet, quàm ſeductoribus hiſce præbuit, nunquam ad eum ſtatum bonus ſenex deueniſſet, qui non tam ipſum commouit, quàm concionatores iſtos pro merito præcipites egit. Ad eum modum pacatiſſimo Principe in naſſam pertracto, liberrimè illi & impunè per diœceſin diuagantur, nec audet quiſquam nouos hos buccinatores in cœpto curſu remorari. Et vt eſt grata ea hominum ſocietas, ijs præſertim, qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ impatientes ſunt, & carnalis libertatis auidi, non adeò multum temporis fluxit, intra quod eorum numerus inſigniter non adaugeretur. Confluebant hinc inde plurimi, & manus iungebant, hoc libentius, quo ſuperioribus ipſis magis placere intelligerent. Vix menſes duo vel tres præterierant, & ecce non Bonnę tantummodò, non Buſcouiæ; ſed Kempenæ, ſed Antoniaci, ſed Lynſæ, & alibi paſſim reformatores iſti ſocios & collegas Eccleſijs præficiunt, qui

Currunt per oppida & pagos, & virus ſuum diſſeminant.

qui populum ex Papatus, ſic enim loqui ſolent, ergaſtulo ad libertatem Euangelicam traducãt, ac pertrahant. Quod dolenter admodum pijs omnibus accidit. Perſuaſerat ſibi Capitulum Metropolitanum, nihil ab Archiepiſco ante conuẽtionis indictæ diẽ, quod in præiudicium ſui vergat, actum iri. poſtea verò quando deçeptum ſe vidit, & ſecus principis permiſſu fieri; non deſtitit hortari eum & vehementer obteſtari, vt negotium cœptum intermitteret, quod tãtoperè perurgerent homines iſti turbulenti, quos citra vllum Capituli çonſenſum omnibus inſcijs & inuitis, priuato conſilio in diœceſin ad ſe euocârit, ad res eas perficiendas, quæ in poteſtate ipſius poſitæ nunquam fuerint. Ille ne Capitulo benê monenti reluctari, bonisque admonitionibus obſtrepere videretur, quò minus id facere potuerit, vt Capitulum allatis in medium rationibus, demonſtret, cauſam in ſcripturis fundatam (vide quomodo principi impoſuerint) reddi ſibi poſtulauit. Promptum ad poſtulata Archiepiſcopi ſui Capitulum; continuò per pios aliquot & doctos viros libellum adornari curat, ac rationes allegari, quæ poſtulantis animo ſatisfacerent. Nec mora, quemadmodum conceptus erat, ſic ad principem germanicè & latinè ſcriptus, transmittitur. Libelli titulus erat. *Sententia Delectorum per venerabile Capitulum Eccleſiæ Colonienſis de vocatione Martini Buceri. Reuerendiſſimo Domino Colonienſi non licuiſſe Martinum Bucerum (eo quo factum eſt modo) verbi miniſterio præficere.* *Liber Capituli Metrop. Colon. ad Archiep.*

Multas in hoc libello, quæ contra Buceri vocationem militant, cauſas adferunt; & principio quidem, neminem debere verbi miniſterio

præ-

Cauſa Colō. cur inualida ſit Buceri vocatio.

præfici, niſi conuocata & conſentiente Eccleſia, & eum quoque qui præficiendus eſt, oportere eſſe vnum ex fratribus, quem Eccleſia eligat, & ſtatuat in conſpectu Epiſcopi, petatque eum vt idoneum miniſterio præfici, quemadmodum olim apud fideles, teſtante ſcriptura, factitatum, decernunt; Bucerum verò, quia nemine petente aut conſentiente, omnibus inuitis & renitentibus aſcitus ſit, nec ex fratribus vnus, ſed grauiſſimus aduerſarius, & quidem ex eorum numero non infimus, qui Catholicam Ieſu Chriſti doctrinam, linguâ & calamo hoc tempore impugnant, idque ipſo facto etiamnum oſtendat, irritam vocationem eius ac illicitam prorſus ex Dei verbo pronuntiant. Deinde quia etiam miniſter publicus, is maximè, qui alijs præficitur, debeat eſſe irreprehenſibilis, nec primam fidem feciſſe irritam, vnius vxoris, nulla hæreſeos labe adſperſus, & vt in vnum omnia contraham, inculpatæ vitæ, ac moribus ijs, quos à miniſtro verbi Dei ſcriptura requirit; Bucerum quia horum nihil habeat, nec potuiſſe, nec debuiſſe etiam miniſterio publico præfici. Præter hæc fructus quoque recenſent, qui ex doctrina eius Argentinæ ſenſim & alibi dimanauêre, vt ſunt inter alia ſeditioſa deſtructio altarium & imaginum, abolitio Miſſæ, aliarumque piarum cæremoniarum, extinctio omnis veteris cultus diuini, tam in Cathedrali, quàm Collegiatis Eccleſijs, ſuppreſſio omnis Eccleſiaſticæ libertatis, monaſteriorum denique vtriuſque ſexus hominum euerſio, & diſſipatio, & alia multa.

Quod quamuis opere ipſo veriſſimè teſtatum reliquerit, in nulla tamen re alia tam clarè

rè patere dicunt, quàm in binis illis libellis, quos ſub nominis ſui inſcriptione, Ratisbonæ Cæſari exhibitis,(quorum primum inſcripſit de emendandis abuſibus. Alterum abuſuum Eccleſiaſticorum, & qui abuſus præcipuè corrigendi ſunt) pateat, id quod erroribus inde extractis & ordine ſubiectis, luculenter & ſincerè oſtendunt. Poſtremò & ipſum Principem ſic alloquuntur: Verbum Domini vult ordinem eſſe in Eccleſia, inferiores præpoſitis obedire, & maioribus parere, in his quæ non ſunt contra legem Dei. Romanus Pontifex (cui Reuerendiſſimus vt Archiepiſcopus iureiurando obſtrictus eſt, præſertim in tuendis Canonibus Apoſtolicis, & quatuor generalium Conciliorum) ſimiliter Cæſar, cui Reuerendiſſ. vt Princeps Elector obedientiam debet, prohibent, atque adeò omnes Imperij Receſſus (quibus Reuerendiſſ. vti obediens & Catholicus Princeps ſubſcripſit, & præſertim Ratisbonenſis anno 41. editus, vetant, ne vſpiam in terra catholicorum, alterius partis homines, miniſterio Eccleſiarum aſciſcantur: ſed qui ex hac parte ſunt (ſalua tamen abuſuum reformatione) expectent iudiciũ, vel concilij vel proximi concilij. Ergo cùm vtrunque iamdudum ſit indictum, ac etiam iam cœptum, & interea, donec alterius eorum de hac tanta re deſpiciat, Reuerendiſſ. omninò poſſit, per alium ex fratribus noſtris, qui ex hac parte nobiſcum piè verſatus, nobiſque percognitus ſit, miniſterium verbi curare. Iccirco non licuit gratiæ ſuæ Reuerendiſſimæ, non expectato iudicio Synodi ſeu Concilij, Anteſignanum ex Aduerſarijs cõtra ſuorũ ſuperiorũ mandata, miniſterio verbi præficere. Neç hinc, niſi Reue. animũ mutet

Colon. verba ad Archiep. ſuum.

» mutet (quod vt fiat, deuotiſſimè petitur & ſpe-
» ratur) aliud expectãdum fuerit, quàm, vt quem-
» admodum Reuerendiſſimus in hac parte cõtra-
» it mandatis Pontificis & Cæſaris, ſuorum ſu-
» periorum, ita futurum, vt ſui inferiores, qui no-
» lint ab obedientia Pontificis & Cæſaris, in lici-
» tis & honeſtis, ad Eccleſię vnitatem, quę firmiter
» tuenda & vindicanda eſt (vt Cyprianus ait) re-
» tinendam, libenter deſciſcere, gratiæ quoq; ſuæ
» Reuerendiſſimæ obedientiam detrectent. His ſubiungunt præcipua quædam ſacrorum Canonum capita, quibus pariformiter inualidam Buceri vocationem declarant, Principemq; ipſum, vt hominem à ſe quàm primùm dimittat, nec ſibi negotiũ amplius vllum faceſſat, obnixè precantur. Libello huic & epiſtolam addiderant, in qua priuatim denuò hortabantur eum, ne nouatorum iſtorum dictis plus fidei, quàm ſibi dare, qui nihil niſi ſalubre, niſi ſanum, & orthodoxum ſuggerant, præpoſterè pergat; futurum alioqui, vt paucos ſui obſequentes non modò in ipſa Metropoli, ſed tota paſſim diœceſi cõperiat. Rogare ſe ſuppliciter & identidem petere, homines iſtos peregrinos & extraneos, præcipuè cùm auitæ fidei ſint deſertores & excucullati monachi, extra diœceſin ſuam aliò releget, ac potius ex ſuis ad reformationem hanc ritè peragendã deligat; qua re ſibi totique Clero, nihil ſit & laudabilius gratiuſque & acceptius facturus. Suntq; pleraque iſta in pleno Ordinum conuẽtu Bonnæ, Archiepiſcopi permiſſu publicè exhibita & recitata. Ad ea omnia prolixè reſpondit idem Archiepiſcopus. Præmiſſis enim de ſubſidio ſibi ſubmittendo nonnullis, quod ad grauamina illa Capituli totiuſque Cleri attinet, qui-
bus

buſ ſibi verbi miniſtros conducere minimè licuiſſe oſtendunt, quodq́ue de Lutheranis prædicantibus à ſe, pro negotio reformationis promouendo, in diœceſin ſuam admiſſis, tum & de alijs quibuſdam, quòd poſteaquam promiſſio facta ſit, eos dimiſſum iri, nihilominus tamen longiſſimè latiſſimeq́ue doctrinam ſuam propagent, & Andernaci, Lynſæ, Bonnæ, Kempenæ, & alibi mutationes in rebus fidei inſtituant, eoque vt clerum totum, & vniuerſum Ordinem Eccleſiaſticum extirpent penitus, ac multa alia in Eccleſiæ Chriſtianæ perniciem machinentur, cogitatus & conſilia dirigant; atque ob hæc & ſimilia periculis expoſitos ſe Capitulum & clerus conqueruntur, ſed & ob id morem ſibi alterius gerere, obedientiamq; demum preſtare, tametſi velint lubentes, ex conſcientia tamen & S. Põtificis Cæſariſque ſupremi Magiſtratus mandatis, non poſſe ſignificant. Ideoq́ue præterire ſe minimè potuiſſe, ſcribit, quin Capitulo & toti clero mentem ſuam ſimpliciter declaret, nuntietq́ue & teſtetur, nihil ſibi vel cum Luthero, vel alijs, qualeſcunque demum ſint, modò verbo Dei obſtrepent aut inidonei ad hoc putentur, commune eſſe; ſed neque conſtare ſibi de quoquam prædicante Lutherano; quin hoc potius vt verbum Dei putè pureq́ue, ſine vlla commixtione doctrinæ hominum per pios aliquos concionatores, præfatis & circumquaque locis finitimis diœceſeos, tradere ac propagare, & verum Chriſtianum opus, quantum quidem per Diuinam benignitatem licuerit, moliri ac inſtituere, in votis habeat; ad quod & ſe quodammodo obligatum non eat inficias. Proinde nec exiſtimare, quempiam, ſi modò Chriſtianus haberi

Archiepiſcopus reſpondet Capitulo.

beri cupiat, factum hoc ſuũ ſiniſtrè interpretari, nedũ illegitimè iſtiusmodi prædicatores verbi admiſſos fuiſſe, eoſq; dimitti debere, dicere aut validè concludere poſſe. Hoc ſemel ſibi firmiter propoſuiſſe, nolle ſe opus tam neceſſariũ, quod ſolius ad Dei gloriam ſpectet, intermittere, ſint licèt plurimi, qui lõgè ſecus quàm in ſe ſit, accipiant. Adhæc impedire nõ poſſe, quo minus per hoc Capitulum Metropol. & Clerus, ex ſiniſtra fortaſſis quorundam inſtructione, offendãtur; id æquo animo ferendum, cogitandumque ſibi, hoc ipsũ multis alijs pijs hominibus, adeoq; nec ſoli ſibi, ſæpenumerò obtigiſſe, proindeque in hoc propoſito hoc ſecuriorem eſſe, Deoque rem totam committere. Deinde facturum & hoc, ſi ſciret, ex illis, quos aſſumpſerit, prædicantibus nõnullos eſſe, qui ſecus quàm verbũ Dei præcipiat, aliterque quàm Chriſtiana religio tam in conuerſatione & moribus, quàm in doctrina requirat, vitam agant, idq; veriſſimis teſtimonijs cõprobari poſſit, vt eum ſe declarare & talẽ exhibere contra iſtiuſmodi velit, quem nemo nõ infenſiſſimum & contrarium talibus maximè, fateatur. Quapropter cùm alias malint, meritò in hoc Eccleſiaſticos omnes ſibi ſubſcribere debere, nec ea temerè prætendere, quibus S. Pontific. & Cæſ. Majeſt. iura ſtatutaq; violari, ingeminãt. Eò enim cognitionis ſe deueniſſe, vt quid Deo debeatur, quid Cęſari, probè teneat, quibus nihil planè detractum velit, ſed & ſubditum vltro teſtetur. Acceptis his literis capitulares, cũ nihil efficerent, denuo monuerunt Archiepiſcopũ per literas, rogaruntq; quàm fieri poteſt enixè, vt indueret aliã mentẽ, nec ſubditos ampliſſimę diœceſis, quorũ Paſtor à Deo eſſet conſtitutus, extraneis

Capitulariũ ad Archiep. literas replica.

neis lupis in prædã daret. Quod ſi precibus hoc à ſe non pateretur impetrari, Ordines ſibi conuocandos in hac cauſa, in qua ſalus omnium verteretur, quærendãque viã, quam iura patriæ, & pacta maiorũ, quibus inter ſe vniti ſint ordines, in huiuſmodi caſibus demonſtrarent. Ille verò vt conſiliũ hoc anteuerteret Bonnam indixit conuentũ Ordinum; in quo Legati Eccleſiæ Metropolitanæ, Decanus, aliјq; viri inſignes, repetitis ijs, quæ hactenus acta fuiſſẽt, denuo quã fieri potuit inſtanter hoc ipſum petierunt, quod toties fruſtra rogarant, ſcilicet vt Bucerum, aliosque ſine capituli ſcitu vocatos, ſectarios homines dimitteret. Nec aliud impetrarunt, quemadmodum Gropperus tradit, niſi quod per Doctorem quendam, Principis nomine, renuntiatum fuit; Bucero docẽdi, non reformandi munus impoſitum, mandatumque ne vel innouaret quicquam, vel controuerſias in concione tangeret. Cauſas quidem graues eſſe & ad mouendum idoneas, quibus permoti dimittendum iudicent virum iſtum: Interim tamen, non quam perſonam aliquando geſſerit Bucerus, ſed quam nunc gerat, attendendum. Et Paulum initio Eccleſiæ perſecutorem fuiſſe; cuius poſtea factus ſit inſigne lumen. Ex hoc reſponſo Legati ſatis intellexerunt, quòd Archiepiſcopus decretum haberet cœptum opus perſequi, nec dimittere Bucerum, cuius artibus miſerè deceptum grauiter dolebant. Ne tamen omnino nihil tentaſſe viderentur, quo legationi ſuæ ſubueniri poſſet, Gropperum, vt is priuatim apud Principem cauſam ſuam ad extremum agat, rogarunt. Facit ille, quod rogatus erat; adit Principẽ, petit ac

Bonnæ conuentum Archiepiſc. celebrat.

Digitized by Google

ſupplicat, ne vni potius, aut paucis Catholicę religioni hoſtibus regēdū ſe permittat, quā Metropolitano ſuo capitulo, totiq; clero ſanè monētibus, in re ęquiſſima, iuſtiſſimaq; reluctari pergat; dein & exēpla quædā recenſet illorū, qui per iſtiuſmodi nouatores miſerè circūuēti, inq; maximū & vitę & honorū diſcrimē adducti ſint, prętérquàm quòd hæreſibus infecti, in hæreſi ſpiritum poſtmodò tradiderint. Rogare vnicè atque obteſtari, vt ſi ab inſtituto ſuo dimoueri nequeat, tantiſper differat, dum vel Nationale, vel generale Concilium, quòd quidem promiſſum nôrit, indicatur, ac tum ad eius præſcriptum totam diœceſin ſuam repurget, in hoc ſe omnibus opus gratiſſimum præſtiturum eſſe. Sed & hæc fruſtra tentata fuêre. Itaque ſine omni fructu conuentus iſte celebratus fuit.

Bucerus libellum edit, mittitque Coloniam.

Nondum poſt cùm indies ſerperet hoc malum lōgius, vt actionum ſuarum velut rationem redderet Bucerus, libellum diuulgauit germanicē ſcriptum ſub titulo: Quid hoc tempore in cauſa Euangelij Bonnæ doceatur in diœceſi Colonienſi, & quid Bonnenſes inde expectare & ſperare debeant. Hunc Decano Eccleſiæ Metropolitanæ tranſmiſit, & Vniuerſitati, literis quibuſdam additis, quæ vehementi ſtilo ſcriptæ fuerunt. Cęterum in hoc libello multa tradebat, quæ fidei orthodoxę conſona & Catholica per omnia erant, vtpote: De ſumma & ſanctiſſima Trinitate. De Chriſti humanitate & diuinitate. De creatione rerum & reſtitutione per Chriſtum facta. De cauſa peccati, quodque voluntatem malam, non Deum accuſare oporteat quādo peccatur. Quod aſſerit infirmitates corporis omnemque aduerſitatem extenuare concupiſcentiæ neruos. Item,

in o-

in operatione boni cum gratia Dei ſimul bonæ voluntatis arbitrium requiri. Quod per miniſterium Sacramentorum gratia Dei nobis conferatur cum omnibus bonis fructibus. De rememoratione item bonorum operum. De miniſterio Angelorum. Quod Sancti intercedunt pro nobis & exaudiuntur. Quod ſacerdos eſt miniſter publicus, & Eccleſiæ nomine officium peragit. Item, prædicandum eſſe Euangelium purum, nec eſſe alienos audiendos, & alia pleraque, quę hoc loco recitare nimis longum foret. Quæ omnia, eo ſanè conſilio doctrinæ ſuæ homo verſipellis admiſcuit, vt ſimplices quoſque & imprudentes, hac tam præclara veritatis ſpecie, quemadmodū Colonienſes Theologi cēſuēre, ad reliqua ſimiliter credenda adducat. Ad quod efficiendum arte inſuper alia vtitur, & perſonam ſibi aſſumit Catholici & Euangelici prædicantis, qui præter gloriam Chriſti & animarum ſalutē nihil quærat amplius: qui pro ampliando regno Dei omnibus omnia fiat, paratus omnia ſubire, & pro veritatis ac pietatis aſſertione ſuſtinere. Sui dogmatis puritatem mirificè iactat, aliorum vitia reprehendit, diuerſum à ſe ſentientes prouocat ad certamen diſputationis, permittit cuiuis de cauſa cognoſcere diſcernere & dijudicare. Atque iſti ſunt vermiculi, inquiunt prænominati Doctores, quibus incauti piſces ſolent ineſcari „ & trahi in naſſam. Cæterùm deterſo fuco, ſi le- „ gatur liber Chriſtiano veritatis tenace ac Deum „ timente animo, apparebit ſtatim ingēs errorum „ cumulus, in quibus ſunt multi ſcandaloſi & pia- „ rum aurium offenſiui, quidam grauioris mali ſu „ ſpicione turgidi, plerique verò planè hæretici „ ac damnati: quos tamen ipſe pro Catholicis do- „

Digitized by Google

Errores Buceri in hoc libello.

gmatis videtur aſſerere. Et primò quidẽ grauiſſimè errat, dũ concupiſcentiã, quæ reliqua eſt poſt baptiſmũ, facit eſſe peccatũ ſeu iniuſtitiam, atq; contendit, baptizatis perpetua pœnitentia, perpetuaque ignoſcentia ac remiſſione peccati originalis opus eſſe. Neque enim fatetur per baptiſmũ peccatum illud ſemel auferri, ſed tantũ intuitu Chriſti baptizatis non imputari ad damnationẽ, ſi tamen peccato rurſus nõ ſeruiant. Secũdò & D. Pauli ſententiã violẽter & hæreticè corrũpens, naturã noſtrã Deo repugnare, nec aliud facere poſſe, docet. 3. opera noſtra bona nihil apud Deũ mereri, nec præmiũ hæreditatis cœleſtis eis quouis modo deberi, cõtendit. 4. vetat ne Angelos interpellemus ad orandũ pro nobis; ſed nec Sanctos vult inuocari, ob id, quòd Chriſtus eſt ſummè miſericors &c. 5. & quemadmodũ ab imploratione Sanctorũ dehortatur, ita quoq; negat, Deũ nobis quicquã concedere intuitu & ob merita Sanctorũ ſuorũ, eumque qui non omnẽ opẽ & conſolationẽ apud Chriſtũ quæſierit, hunc, inquit, non dignari aſpicere, neque ſanctiſſimam Chriſti Matrẽ, neque aliquẽ Sanctorum, eò quòd Sancti hoc vnicè & præ omnibus quærant, vt ipſum pro Domino ac Saluatore noſtro ſemper agnoſcamus & amplectamur, quaſi verò ex Catholicis vnquã quis fuerit, qui de eo dubitârit. 6. Traditionibus in Eccleſia vſitatis fidẽ derogat. 7. Confirmationis quoq; Sacramentũ prætẽrit, nec vllã eius honorificam facit mentionẽ. 8. Sacratiſſimũ Miſſæ ſacrificium cũ publicè tum priuatim celebrari ſolitũ, abrogare prorſus & auferre conatur, ac nouã aliquam ſacrificandi formã introducere. 9. Teſtamentũ D. N. Ieſu Chriſti impiè adulterans, horrendas hereſes de corpore & ſanguine

guine Dominico effutire non veretur, dū Lutheranorum vſurpato more, in, vel ſub pane, corpus Chriſti dari, adeoque nullā eſſe transſubſtantiationē panis in Chriſti corpus, aut vini in eius sāguinē, aliaque multa, decernit. 10. Communionē ſub vtraque ſpecie omnibus vult eſſe neceſſariā, nec alterā, modò quis Chriſtianus cenſeri velit, omittendā. 11. In Miſſa pro defunctis nullas orationes fundi ad Deū debere ſtatuit. 12 De Cōfeſſione Sacramentoq; ipſo pœnitentiæ, parū candidè ſentit, operaque noſtra in vniuerſum omnia nefariè dānat, quaſi iniqua eſſent, diuinæ maieſtatis offenſiua, & æterna damnatione digna. 13. Tollit ordinē Sacerdotij, & innuit magis omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, id quod à Luthero præceptore ſuo diſcipulus didicit. 14. Monachos quoq; & regulares (ita enim Canonicos appellat) negat eſſe miniſtros Eccleſiæ, & ſolo tātum nomine Clericos vocari, quos & ipſos propterea inter laicos numerat. 15. Sacramentū Ordinis nomine debito ſpoliās, abſque vlla ordinatione miniſteria Eccleſię cuilibet inuadere & occupare permittit, tātū ſi quis ſe ipsū iudicet ad miniſteria idoneū, & ſpiritus occulta inſpiratione vocetur. Addit eū, qui ſe nouit à Deo vocatū rectè occupare miniſteriū, licet cōtra inſtitutionē & legitimū ordinē inuadat 16. Aufert ab Eccleſia hierarchicū ordinē, & facit oēs Epiſcopos ęquales. Primatū verò nō ex iure diuino, ſed vſurpatione quadā & cōſenſu hominū introductū aſſerit, nec Pōtifici Romano vllum de Epiſcopis iudicium, poteſtatemq; in Eccleſia ſupremā cōcedit. 17. Voto continētię & caſtitatis adſtrictis cōiugia contra ſacros Canones, cōtra Decreta publica & conſiliorum determinationem permittit, idq; ideò, quod ipſe monachus apoſtata & votifragus, rupto caſtitatis pudicitiæque voto, ſecundo ſe iā

matrimonio, ſi id nomē mereatur, polluiſſet. 18. Præter hos errores, quorum innumeros habet, (grauiores tantum & præcipuos recenſuiſſe ſufficiat) ſanctiſs. Concilia, Patres, ipſamque adeò diuinam Scripturam pro arbitratu ſuo vertit ac peruertit, integros textus citando corrumpit, mendacijsque ſuis fraudulenter contemerat; adhęc ſecretiſſima fidei noſtrę, myſteriorum abditos receſſus, vulgo propalari, in linguam vernaculam transfundi, vt à quolibet quouis loco & tempore legi, tractari, ventilari, diſputari, ſiue benè ſiue malè, queant. Poſt multa, rationes vocationis ſuæ, quæ iam antea, vt oſtendimus, confutata erat, adducit, Principemque ipſum ab omni ſuſpicione repurgare annititur, & periurio eum eximere, quaſi eius reum Colonienſes declaraſſent. Similiter, inquiunt Doctores Theologi, laborat efficere, ne videatur Reuerēdiſſimus

Bucerus dũ Archiepiſc. ſuſpicione liberare ſtudet, grauiſſime ignauiæ ſimulat.

„ Dominus noſter commiſiſſe contra Imperatoris
„ & Principum conuenta, Auguſtæ & Ratisbonæ
„ communi cōſenſu inita & publicata: neque item
„ contra mandatum clemētiſſimi Imperatoris no-
„ ſtri & Legati Apoſtolici, quorum hoc fuit decre-
„ tum, vt ſinguli Principes, adhibito conſilio ſuo-
„ rum, ſtatim reformarent ſibi ſubiectos, abuſus
„ corrigerent, & præpararent viam, qua facilior
„ concordia in futuro Oecumenico Concilio con-
„ ſtitui poſſet. Non eſt obſcurū, quid voluerint Im-
„ perator cum Legato, & quod nihilominus cogi-
„ tauerint, quàm concedere tranſitum in partē di-
„ uerſam & doctrinam recipere Proteſtantium.
„ At iſte bonus vir pro ſuo cādore fingit res omnes
„ geri ex ſententia & mēte Cæſaris ac Legati. Qua-
„ ſi verò hoc ſit Eccleſiā reformare, hæreticos in-
„ troducere. Nec ſatis eſt perfido illuſiſſe minorib.

ipſum

ipſum clementiſſimum pijſſimumque Imperatorem ludibrio afficit. Addit, quod oportebat prælatos Eccleſiæ huic Cæſareo & Pontificiæ mandato quàm mox parere, & reformationem domi inchoare, quod huc vſque facere neglexerint, & ideò non iniuria aſſerit Reuerendiſſimum Dominum commotum & inductum ad ipſum vocandum. Quem verò accuſat hic Bucerus negligentiæ? In cuius poteſtate ſita fuit reformatio, quam dicit hucuſque neglectam? Annon in Reuerendiſſimi Domini poteſtate? Is igitur ſecundùm Bucerum fuit negligens, & propter ſuam ipſius negligentiam, Bucero iudice, nunc Clerum hæreticis affligit. Hoc honoris defert Reuerendiſſimo. Hucuſque Colonienſes Theologi. Recitaui ſuperius decreta Metropolitani Capituli, ſiue Deputatorum Doctorum ſententias, de vocatione M. Buceri in ciuitatem Bonnenſem. Præcipua illarum, vt dixi, erat, Bucerum, ſi reformationi huic vel præeſſe vel adhiberi deberet, oportere eſſe vnum ex fratribus, hoc eſt, membrum eius Eccleſię, conueniens quidem illud & ſanum, nec ſcabie aliqua hæreſeos, aut lethali macula infectum; ad hanc ita reſpõdit, vt, dum ſe alterius religionis ſtudioſum, & quidem ex numero proteſtantium dicit, contendat nihilominus ſe in eadẽ Eccleſia & è fratrum cœtu deſumptum eſſe: quod quàm ſit ridiculum vel pueri aduertunt. Dein ſe eſſe reprehenſibilem negat, nec ab alio vnquam iudice erroris conuictum vel damnatum, idque plus decies magna cum iactantia, repetit. Quod ſe impulſore Argẽtinenſes demoliti ſint Altaria, imagines, ac reliquas pias cęremonias, defendit quàſi benè actum ſit, & ait de hoc extare claram do-

Quàm friuolè Bucerus reſpondeat argumentis Colon.

ctrinam & exempla in ſacra Scriptura & Patribus veteribus. Ad fractionem voti caſtitatis & bigamiæ quod attinet, putat ſatis excuſatum ſe quod fuerit minorennis, & ſit idcircò per Apoſtolicum iudicē voto & monachatu abſolutus. Sed nec ſe aduerſarium eſſe cleri, nec hoſtem libertatis ac immunitatis Eccleſiaſticæ, atq; adeò non admittendum, pronuntiat. Sed ſolidiſſimis argumentis Colonienſes iſta confutant & vafriciem hominis detegunt. Tandem querelam de doctrina ſuſpecta & damnata profert, quaſi iniqui in ipſum Theologi iudices extitiſſent. Sed ipſoſmet audire lubet. Hoc verò eſt, inquiunt, hoc eſt, quod omnium maximè queruntur, quotquot ſunt pij, & orthodoxæ fidei ſectatores, intromitti lupum in ouile Domini, vt furetur, vt mactet, vt perdat. Pernegat autem Bucerus ſe vnquam legitimè damnatum. Sed antea demonſtratum eſt, noua condemnatione nihil opus eſſe, vbi ſemel fuerit doctrina damnata. Non poteſt autem hoc negare, ſe docere non pauca, quæ multis iam ſeculis fuerunt per Eccleſiam in Spiritu ſancto damnata. Iudice verò Bucero, Bucerus nunquam damnabitur, neque vnquam fatebitur ſe errare, quia ſubuerſus eſt: quanquam ex ſuo ipſius ore non infrequenter conuinci poſſit, ipſe ſeſe damnaſſe. *Et poſt pauca ijdem*: Poſt hæc omnia, aiunt, quo Reuerendiſſ. Domino, comitibus, ciuitatibus, aulicis, nobilibus, & plebeis cauſam ſuam faciat commendatiorem, prouocat nos ad certamen & diſputationem, & hoc ipſum tanquam magnus quiſpiam Quinquertio vehementer vrget. Perſuaſit enim ſibi, vt apparet, nos detrectaturos certamen, ſibi ob eruditionis,

Bucerus Colon. ad certamen prouocat.

ditionis, quam ſibi arrogat, opinionem, ſiue „ quod nos ad hanc palæſtram credat parum ex- „ ercitatos, aut quod ſit probabile, illorum in- „ cumbat autoritati & præſidio, quibus iam per- „ ſuaſit. Inſimulat nos doloſè & parum Chriſtia- „ nè agere, niſi in palæſtram ſecum deſcendamus. „ Hoc ait feciſſe D. Auguſtinum, &c. Cui nos pau- „ cis reſpondemus: Patres nunquam detrectaſſe „ certamen & diſputationem, ſi quæ incidiſſent „ quæſtiones nondum in Eccleſia definitæ, ſed „ conſueſſe ad diſcuſſionem eiuſmodi quæſtio- „ num aduerſarios inuitare, & Synodum con- „ gregare, in qua ſub iudicibus Eccleſiaſticis de „ controuerſijs definiretur & conſtitueretur. At „ ſi quis per ingenij prauitatem aut nouationis „ ſtudium nolens acquieſcere ſanæ doctrinæ, ſe- „ mel definitas quæſtiones ſubinde refricare, & „ rurſus in dubium reuocare tentaſſet, coërceba- „ tur: non autem ad diſputationem admitteba- „ tur. Sic Gelaſius in ſua decretali, cuius pars ha- „ betur, 24. quæſt. prima: Patres noſtri &c. Hæc „ patrum noſtrorum veſtigia libenter, ſicut o- „ portet Eccleſiæ filios, ſectamur, damnantes, „ quod damnarunt illi, diſputantes & excutien- „ tes, quod nondum eſt excuſſum & definitum. „ Et quanquam illorum patrum decretis, & ſa- „ cris Canonibus non permittatur nobis cum „ hæreticis ſuper damnatis quæſtionibus con- „ greſſus & diſputatio, ne tamen glorioſus iſte „ Thraſo nobis inſultet & glorietur, vt facit, „ apud plebem, cui perſuadet nos fugere lucem, cauſæ diffidere, nec habere, quod ipſi op- ponamus: en vltrò, nulla coacti neceſſi- tate, aut lege, tantùm ne tot animas lu-

Colon. vltrò ſe ad diſputationem offerunt.

pus

» pus impune diſperdat, & toties iactet doctrinã
» ſuam peruerſam aduerſus ſanam & orthodo-
» xam ſanctæ matris Eccleſiæ hactenus traditam
» & prædicatam fidem, quam propter ſimplices
» quoſque, aut iam propè nutantes expedit (etiam-
» ſi vetent Canones diſputare) defenſam, puſillo-
» rum ſcandalo potiſſimum imminẽte, legitimam
» pro fide noſtra diſputationem non abnuimus,
» etiã ſuper his eius aſſertionibus, quas aliquando
» damnauit vniuerſalis Eccleſia: modò detur iu-
» dex, cui permittunt canones de fide Eccleſiæ di-
» judicare & definire, & æquis armis concedatur
» vtrinq; certare. Hoc eſt, modò ſuſcipiat ſacram
» Scripturam ſecundùm ſenſum & interpretatio-
» nem Sanctorum Patrum, qui nos ante mille ab-
» hinc annos præceſſerunt. Canones item & de-
» creta per vniuerſalem Eccleſiam conſtituta &
» hactenus comprobata cum illorum Patrum &
» Eccleſiæ Doctorum doctrina, qui Scholaſticam,
» vt ipſi appellant, Theologiam præceſſerunt. Hæc
» enim cùm ſint arma, quibus nos impetit, æquum
» eſt vt eadem nobis permittat, & ſinat ſe illis vi-
» ciſſim impugnari. Ad iſtiuſmodi legitimam di-
» ſputationẽ (confiſi de auxilio & gratia Dei Om-
» nipotẽtis, & Chriſti Saluatoris noſtri, qui dixit:
» Cùm ſtabitis ante reges & præſides, nolite co-
» gitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur
» enim vobis quid loquamini. Non enim vos eſtis
» qui loquimini, ſed Spiritus Patris, qui loquitur
» in vobis) nos promptos & voluntarios præter
» Eccleſiæ conſuetudinem offerimus. Hactenus il-
li. Infarſerat porro in librum hunc ſuum Bucerus errores multò plures, ac articulos quoſdam planè ſeditioſos; certè calumnijs quibuſdam additis, eum in modum formatos, vt populus ijs ad oppri-

opprimendos Eccleſiaſticos cōcitari videretur. Sed omnes hoſce prolixè & verè Colonienſis Academiæ deputati ad hoc Theologi ex ſacra ſcriptura, ex decretis ſummorum Pontificum, ex Concilijs generalibus, ex Patribus & totius Catholicæ Eccleſiæ conſenſu confutarunt, vt videre licet in libello eo, quem ſub titulo: *Iudicium Vniuerſitatis & Cleri Colonienſis de doctrina & vocatione Buceri*, Libro Buceri oppoſuêre.

Pontifex Roman. Imp & Senatus monent Capitulum Metropol.

Interea, dum ad eum modum Bucerus cum aſſeclis ſuis, nouam Lutheri hæreſin, & linguâ & calamo latiſſimè per Colon. diœceſin diſſeminat, Archiepiſcopumque ipſum, vt reformationem, quam moliebatur, perficeret, neutiquam, quamuis rogatus & monitus incitare deſiſteret; Pontifex Romanus, ac Imperator, tùm Clerus ſecundarius, Senatus & Vniuerſitas Colonienſis Canonicos Metropolitanos ſeriò monuerunt, vt tempeſtiuè medicinam facerent ſerpenti malo, & pernitioſis malorum hominum ad Archiepiſcopum machinationibus obſiſterēt; quod officij ratio & iuramenti vinculum, quo deuincti ſint Eccleſiæ Colonienſi, ab ipſis poſtulet. Et Pontifex quidem Romanus binas ad Clerum & Catholicos omnes epiſtolas ſiue breuia dedit, in quibus, ne in hoc tumultuoſo hæreſeon pelago, fidei cymbam fluctibus opprimi patiantur, paternè primùm commonuit; ac poſt, cùm Archiepiſcopum cœpto pede indies magis magiſque progredi cognouiſſet, vt omni conatu, id genus conſilijs & molitionibus contrairent, ſeriò & ſeuerè præcepit atque mandauit. Primum ſic habes;

DILE-

DILECTIS FILIIS CAPITVLO
& Clero Colonienſi

PAVLVS PAPA TERTIVS.

Prior epiſtola S. Pontiſic.

DIlecti filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi mirabiles ſunt hoc tempore elationes maris, cùm mundanarum tempeſtatum fluctus aduerſus Eccleſiam iſtic grauiſſimè intumeſcant, tamẽ ſperare filij debetis, quod idem Dominus, qui nũc exigentibus peccatis, Eccleſiam ſuam agitari procellis & fluctibus concuti permittit, tandem ſuæ miſericordiæ recordatus, ſurgens ventis imperabit ac mari, nec ad poſtremum aut ſuos deſeret, aut permittet impios de ſua iniquitate gloriari. Qui licet de ſuis nunc ſuperbiant ſucceſſibus, recordari tamen deberent de exitu ac fine cæterarum hæreſum, & quod nihil eſt infelicius peccantium felicitate. Nos quidem ſicut nouit Dominus, & vos etiam audire potuiſtis, nulla in parte officij noſtri defuimus hactenus, aut in præſentiarum deſumus, tum in ſuadenda Chriſtianis Principibus concordia, à qua omnium ſalus dependet, tum in promouendo, quantum nos facere poſſumus, vniuerſali Concilio, quod Tridenti in ipſis Germaniæ portis ob id maximè indiximus, vt per illud vnà cum multis alijs Chriſtianitati ſalubribus, veſtra præcipuè pax & tranquillitas conſtitui poſſet, Cui ſanè rei quamuis validus adhuc obſtet diſcordiæ ventus, nos tamen quantum vndique efficere poterimus, tanquam pater pro filijs, & caput pro membris, noſtramque rem agentes, omni noſtro ſtudio verè ac ſincerè, quicquid alij dicant, intendemus. Interea filij dilectiſſimi, donec tempus miſerationis Domini adueniat,

niat, quod breui fore ſperamus, ad eum in tribulatione clametis, & ſicut Dei miniſtros in ſortem eius vocatos decet, conſtãter in ipſius ſancto ſeruitio, atq; in vero fidei Catholicæ ſenſu perſeueretis. Quod cùm hactenus laudabiliter feceritis, nunc veſtra quiete, ſicut in Deo confidimus, propiore, fortius & alacrius præſtare debetis. In Apoſtolicæ enim confeſſionis petra ſolidati, & à nemine vos ſeduci patientes, Dei munere conſequemini, vt veſtra pietas & conſtantia non ſolum vobis cedat ad meritum, ſed etiam aliјs proſit ad exemplum, ac præter hominum laudem, veſtrique officij executionem, etiam illud incomparabile & inæſtimabile præmium perpetuæ felicitatis vobis reddatur in cœlis, quia fortes in bello fuiſtis, & cum antiquo ſerpente feliciter pugnaſtis in terris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die prima Februarij M.D.XLIII. Pontificatus noſtri Anno nono.

Blo. Elect. Fulgin.

Poſterius exemplar ad Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicos, hoc modo incipit.

DILECTIS FILIIS CANONICIS *maioris Eccleſiæ Colonienſis*

PAVLVS PAPA TERTIVS.

Dilecti filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In tanta animi noſtri ſollicitudine ac dolore, quem pro noſtro officio ex veſania Archiepiſcopi veſtri capimus, valdè nos conſolatur fortitudo ac pietas veſtra, quæ illi talia molienti, vos non modò non conſenſiſſe, verùm etiam viriliter reſtitiſſe audiuimus, quod ſanè non ſolum vobis, ſed etiam cõuicinis populis atq; Eccleſiјs certam ſalutẽ *Poſterior Epiſtola S. Pontif.*

attu-

attulit. Niſi enim illius furori tanto impetu ſe ferẽti veſtra diuina virtus ſe oppoſuiſſet, profectò & iſta inſignis Eccleſia ac ciuitas, & illius authoritatem ſecuta cætera eiuſdem Prouinciæ Eccleſiæ & ciuitates Deo amiſſa nunc eſſent. Quarum conſeruationem vobis poſt Deum referimus acceptam. Gratias igitur ipſi Deo de vobis agimus, veſtramq́; pietatem dignis in eo laudibus commendamus grato ſemper animo & iucunda memoria hanc veſtram cõſtantiam & pietatem conſeruaturi. Licet enim egeritis, quod debebatis, quodq́; veſtri officij ratio veſtrarumq́; ſalus animarum exigebat, tamen ob rem & exemplũ nos perpetuo vobis debere fatemur. Verùm filij dilectiſſimi perſeuerantia opus eſt ſicut videtis, ne tantus veſter labor ad nihilum recidat, & ipſum Archiepiſcopum veſtra virtute irritatum, ſi ſceleris ſui compos fuerit ſæuum vltorem habeatis. Incumbite igitur, quod facitis, in defenſionem diuini honoris, in tutelam Catholicæ religionis, conſeruationem veſtræ libertatis ac ſalutis; quam ſanè impius hæreſiarcha peſſundare, ſecumq́; in perditionem deducere conatur. Quamobrem etſi hortatione non eget virtus veſtra, quæ ſua ſponte ad tam præclaram laudem ducta eſt, tamen pro more, atque amore potius, quàm vlla neceſsitate vos per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum hortamur, paternoq́; affectu rogamus, vt in ſancto propoſito perſeuerantes pergatis eidem Archiepiſcopo iam hoc nomine prorſus indigno, omnibus modis obſiſtere, ne Colonienſem ciuitatem per hæreticos corrumpere poſsit, vtq́; in his quæ moliri cœpit, eum vt Paſtorem minimè agnoſcatis ſed potius vt hoſtem (quandoquidem Deo hoſtem ſe reddidit) ipſum ac cæteros illi in hæreſi adhærentes, etiam ſi qui de gremio veſtro fuerint, habeatis. Nos autem hinc, quæ ad noſtrum pertinebũt

officium,

officium, neque auxilio, neq; fauore, cunctisq; neceſſarijs prouiſionibus vobis deerimus. Datum Bononiæ ſub annulo piſcatoris die prima Iunij M. D. XLIII. Pontificatus noſtri, Anno nono.

Bloſius electus Fulginaten.

Imperatoris verò ad Clerum Colonienſem literarum, quemadmodum eas recitant Colon. Theologi, & in ſuo quoque contra Proteſtantes tractatu, & quidem in Appendice ad Coloniēſes Ioannes Cochlæus repetit, tenor ita habet.

Carolus Dei gratia Romanorum, Imperator, ſemper Auguſtus &c. Honorabilibus Deuotis, nobis dilectis, Præpoſitis, Decanis & Capitulis Maioris & aliorū Collegiorū, Abbatibus, Prioribus, Cōuentibus, totiq; Clero Ciuitatis Colon.

Literæ Imp. ad Clerum Colonien.

Honorabiles, deuoti, dilecti: Accepimus, prædicatores quoſdam & alios pleroſq; nouæ religioni addictos & adhærētes, varijs contendiſſe modis, atq; adhuc contendere, quò vos, & reliquū Colonienſis ciuitatis Clerum, ab antiqua noſtra vera & Chriſtiana religione auertant, nouæq; religioni ſuæ coniungant: Quibus tamen hucuſque locum non feceritis, ſed (vti æquū eſt) obſtiteritis, ac vos in hoc ipſo Chriſtianè omnino & probe geſſiſſe, & adhuc quotidie gerere. Qua ſanè perſeuerantia veſtra, & exhibitione planè Chriſtiana, clementis omnino complacentiæ plurimū concepimus, audiuimuſq; hoc de vobis ſingulari cum gratia & gaudio Quare clementiſſimo à vobis ſtudio petimus, vt conſtanter & ſedulo cœpta proſequamini, nec vos vllatenus ab inſtituto ſinatis abduci, aut ad nouationes vllas permoueri. Deuinctos quoq; vobis & inducatis ad hoc, & adſtringatis, vt & ipſi ſimiliter conſtantes maneant & perſeuerent: voſq; in hoc ita exhibeatis, ſicut de vobis omninò nobis pollicemur. Ita demū experiemini, nos Imperatorē fore

vobis clementiſsimum, voluiusq́ vos & totum Clerum clemēti prorſus memoria proſequi, & nobis habere commendatos: id quod omninò de nobis polliceri poteſtis. Datū Moguntiæ, octaua die menſis Auguſti. Anno Dom. M. D XLIII. Imperij verò noſtri XXIII.

Carolus.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium vidit Naues.

Obernburger ſſ.

Ac al'às idem Imp. menſe videlicet Nouembri, miſit & haſce:

Alia Imperatoris Epiſtola.

Carolus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, &c. Honorabilibus, Doctis, Deuotis, nobis Dilectis, & ſacri Imperij fidelibus, N. Decanis & Capitulis Maiorum & inferiorum Collegiorū, Prælatis, Conuentibus, communiq́ Clero. Rectori etiā ac toti Vniuerſitati Colonienſi, vniuerſis & ſingulis Honorabiles, Docti, Deuoti & fideles, nobis dilecti. Peruenit ad nos digna fide relatione, iſthic in Colonienſi diœceſi compluribus in locis, omnis generis nouationes indies, quo longius, hoc amplius ſuboriri. Quod ſanè moleſtiſsimè tulimus. Quanquā autem nō dubitemus, vos clementi admonitioni noſtræ, qua nuper vos exhortati ſumus, veſtroq́ ad eā reſponſo nobis reſcripto, deniq́ & prōptæ oblationi veſtræ conſentanea præſtituros, quantumq́ in vobis eſt, graui huic malo, cū apud vos, tū alibi etiam locorū ſtrenuè obuiā ituros: ſicut hucuſq́ nō aliter à vobis factū cōperimus. Nihilo tamen minus, conſideratione Imperialis noſtri officij, præcipuaq́ dilectione & affectu, quē erga verā Noſtram Chriſtianā Religionē gerimus, permoti noluimus omittere, quin vos denuo adhortaremur. Clementiſsimo itaq́ ſtudio, atq́ ex animo petimus, vt in hoc negotiū probè diligenterq́ reſpiciatis, ac cōmemoratas illas graues Religionis & fidei,

ſidei, Chriſtianarũ itẽ & laudabiliũ cæremoniarũ, cultusq́; diuini nouationes irrepere neutiquam permittatis: ſed omni potius diligentia & cura, quo caueantur proſcindanturq́;, auxilio eſſe ſtudeatis: Nec huius quicquã, quoad vires ſuppetunt, patiamini in vobis deſiderari. Id quod vos facturos nobis planè perſuaſimus: facietisq́; hoc ipſo ſatis cũ veſtro, quod in rebus ſimilibus præſtare debetis, officio, tũ noſtræ quoq; clementi voluntati & ſententiæ. Datũ in ciuitate noſtra Bruxell. Brabãtiæ 28. Nouembris. Anno Domini M.D.XLIII. Imperij verò noſtri 44.

Carolus. Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis propriũ vidit Naues. Obernburger ſſ.

Atq; hæ quidem S. Pontificis ac Cæſ. Maieſt. epiſtolæ, vbi populo Coloniẽſi publicè in germanica lingua denuntiatæ ac recitatæ fuiſſent, Ampliſſimus Senatus, pro ſua autoritate & prudentia, mox publicum ſubiunxit in hęc verba decretum, germanico idiomate cõceptum, id quod in Latinum, propter externas nationes, quibus id notum fieri operæ pretium cenſuit, Cochlæus tranſtulit. Eſt autem eiuſmodi. *Decretum Senatus Colon. contra hæreticos.*

Cùm igitur is tenor ſupradictarum literarum ad honorabilem Senatum quoq; miſſus ſit, & in eis mandatum, vt omnes ciues & ſubditi propterea præmoneantur, quatenus vnuſquiſque ſecundùm eas ſe gerat ac dirigat. Ideo honorabilis Senatus vult vnumquemque ita præmonitum & rogatum, vt nullus, ſiue Eccleſiaſticus ſit, ſiue ſecularis, Ciuis aut incola, cum Prædicantibus nouarum ſectarum & religionũ, ſeſe intromittat aut eos ſequatur, neq; occultè, neq; manifeſtè, Nullus eorum prædicationes audiat, nullus cum eis conuerſetur, nec vllus eos in domũ aut hoſpitium ſuum recipiat. Quemcunq;

enim honorabilis Senatus in his tranſgreſſorem deprehenderit, eũ Senatus neq; defendere vult neq; protegere, ſed faciet eũ apprehẽdi, & ad debitam ſiſti pœnam, iuxta tenorem dictarum literarum, tam Põtificiarum, quàm Imperialium. Quocirca honorabilis Senatus vnicuique mandatum, ac monitione iſta inſinuatum eſſe vult, ne quis in Pontificiam Sanctitatem, nec in Cæſaream Maieſtatem, aut vllos Principes Dominoſúe, ſiue Eccleſiaſtici fuerint, ſiue ſeculares, vlla contumelia aut vllo iniurioſo verbo, quocunq; id excogitari aut fieri queat, vtatur aut proferat. Si quis in hac tranſgreſſor deprehẽſus fuerit, eũ vult honorabilis Senatus ad debitã ſiſtere pœnã. Secundũ hæc poterit ſibi quilibet cauere à damno & incommoditate ſua. Facta eſt hæc promulgatio in ciuitate Colonienſi Die XVII. eiuſdem menſis & anni, quibus datæ ſunt Imperiales literæ. Atque has quidem literas cum inſerta proteſtatione Metropolitani Archiepiſcopo exhibuerunt, addito, præter eum quem contra Bucerum paulo ante ſcriptum diximus, alio adhuc libello ſupplice, in quo preces repetunt toties ante propoſitas; vt dimiſſis ſectarijs diſcedat ab inſtituto mutandæ religionis, nec ſe ipſum vnà cum ſubditis & vniuerſa diœceſi perditum eat. Quanquam verò tum quidem Archiepiſcopus ita reſpondit, vt Bucerum ſe diceret in illorum gratiam breui dimiſſurum, manſit ille tamen Bonnæ, & quod cœperat extirpandæ religionis negotium ardenter eſt proſecutus.

Archiep. Bonnam conuentum indicit li-

Interea liber iſte magnus & prolixus, quem ſub reformationis titulo Bucerus, Melanchton, cęteriq; communibus operis adornabant, in maximum maximæ ampliſſimæque diœceſis detrimentum,

mentum, in tot animarum grauiſſimum ſcandulum & exitiũ, infeliciſſimo omine abſolutus fuit, qui omnis generis erroribus infartus Lutheraniſmũ continebat temperata phraſi, ac Catholicis cæremonijs ceu larua quadam, ad ſimplices eo citius fallendos, mira arte & dolo obuolutum. Indixerat Princeps denuò Bonnæ prouinciale concilium, in quo librum hunc proponere decreuerat probandum ab Ordinibus, eorumq; conſenſu deinde per diœceſin publicandum. Ne vero Capitulum Metropolitanum præterire videretur, vel conſultò negligere, fœtum hunc Bucero Melanchtonicum (nam & Melanchton ad conficiendum opus non minimũ laborem impendiſſe fertur) octiduo vel decem diebus ante tempus Comitiorum tranſmiſit, vt ſcilicet ad dicẽdam de eo ſententiã parati accederent. Fieri non poterat, vt in ijs paucorũ dierum anguſtijs iuſta reſponſio ſcriberetur, quam legati ſecum ferrent ad conuentum. Itaque rogarunt Canonici Principẽ admodum demiſsè, ne in tam arduo negotio præpoſterè ſe anteuertat, ſed iuſtũ tẽporis indulgeat ſpatium, quo tam longè excurrentem & magnum librum, quantum neceſſitas poſcit, relegere expẽdere, & Chriſtianis aliquibus, orthodoxiſq; Theologis, ac pijs doctiſſque viris, ad examinandũ tradere poſſint; dein ne priùs quã à deputatis illis doctis & pijs Theologis, dictus liber reuiſus ſit, iuſtaq; de eo habita conſultatio, Ordinibus proponat, iteratò cauſæ magnitudinem, grauitatemq; ac circumſtantias omnes exaggerando, enixè ſupplicarunt.

brumq; ſuũ de reformatiõne Capitulo admittit, vt illi reſpondeant.

Verũ quid agant, non poſſunt tamen vel in re tanti momẽti, principis ſui gratiã cõſequi, adeò is iã ab iſtis nouæ religionis cõcionatoribus in-

 fatua-

fatuatus erat. Demum cùm inſtarent illi rurſus, nō amplius, quàm duarum, aut ad ſummum triū hebdomadarum ſpatium temporis voluit concedere; intra quod ex aduerſo, ſi quid adferre vellent, conficere, ſuæq; clem. & eis, quos delecturum ſe dicebat, deberent exhibere. Quanquā autem præfinitum illud tempus, tali tantoq; negotio conficiendo nimium eſſet breue, fecerunt tamē interea, quod in ſe erat, Canonici, librumque ipſum probis, Chriſtianis & Catholicis viris perſpiciendum tradidêre: Qui vt operā ſuam in eo examinando contulerunt, mirum quàm erroribus & falſis aſſertionibus plenum atque refertum, magno ſanè animi dolore compererint.

Præcipua errorum capita libri iſtius Reformatorij Archiep. Colon.

Atq; vt pręcipua libri iſti' capita attingamus, principio docet, quòd præter doctrinam in Prophetis & Apoſtolis comprehensā, nihil certi de voluntate Dei aut hominū ſalute certo teſtimonio reuelatum aut traditum ſit. Et quod Eccleſia ei ſoli ſuperſtructa ſit, quod in ſcripturis reperiatur expreſſum, nec aliud populo proponi debere. Quodque omne aliud (tanquam purè humanum) incertum, inutile & noxium eſſe oporteat, etiamſi ab eis tradatur, qui Spiritu Chriſti multa cognouerint, & egregia efficaciaque teſtimonia reddiderint veritati: propterea quod & de illis dictum ſit; Carnem & ſanguinem Dei ſapientiam percipere non poſſe, quodque ſenſus carnis in eis permanens, etiam ipſi Deo repugnet. Præterea contendit, Scripturam abundè ſufficere, ad docēdum omnia exactè & conſummatè, omnemq; errorem denudandum & remouendum. Adhæc toto ferè libro, inquiunt Colon.
„ Theologi, multæ Catholicæ inſtitutiones obſer-

uationes,

uationes, & cõſuetudines à tempore Sanctorum Apoſtolorum, in vniuerſa Catholica Eccleſia vſitatę & traditę, & per cõcilia vniuerſalia roboratæ. Similiter multæ particulares, ſed ſalutares ordinationes in hac Archiepiſcopali diœceſi, à primis eius Epiſcopis, & Doctoribus, Paſtoribꝰ ſalubriter inſtitutæ, & hucuſq; piè obſeruatę, reijciuntur, permittiturq; vnicuilibet pro libidine agere cõtrarium. Vult quoque, ad ſolam ſeu nudam ſcripturam recurrendum eſſe, eiq; ſoli fidẽ habendam; & ideo prædicatores nihil omninò humanæ opinionis doctrinæ ſuæ debere immiſcere; cùm ſit omnis homo mẽdax. Nihilominus autem paſtoribus & prædicãtibus facit poteſtatem ſcripturas declarandi & interpretandi, & hoc per ſolam ethimologiam, & collationem locorum obſcuriorum ad clariora. Diſſimulat verò & tacet de intellectu vero Catholicæ Eccleſiæ. De ſumma prædicationis Euangelicæ exigit, vt non illæ tantummodò prædicationes, quæ infidelibus, aut negotiorum fidei imperitis fiũt, verùm omnes in cõmune quotquot habentur in Eccleſijs ad populum fidelem, & iam baptizatũ, ad hæc duo tantùm capita reducantur: ad prædicationem videlicet pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum. Ad reliquias peccati originalis, & quid poſt baptiſmum propriè pro peccato accipiendum ſit, quod attinet, multò quàm Eccleſia Catholica, aliter liber iſte tradit. Ita nimirum: Si quis fortè nihil iniqui animo deliberato concupiſcat, ſed habeat eius vel volatilem tantùm concupiſcentiam quandam, & experiatur in ſe ipſo, quando proponit in omni manſuetudine, ſanctitate, & pietate ſe continere, repugnantiam aliquam, eſſe tunc etiam

nudam iſtam & ſolam concupiſcentiam coram Deo peccatũ. Item legẽ ita docere vnũquemq́;, non modo homicidium, adulterium & furtum, eſſe peccatum; verum etiam quod vnuſquiſque, propter talem concupiſcentiam, quamuis ei non conſentiat voluntas, ſit ipſe in conſpectu Dei homicida, adulter & fur. Item quamuis Deus forte concedat alicui, vt Dominum tanquam Deum, & vnicum Saluatorem noſtrum agnoſcat, & vera fide apprehendat. Inſuper neque voluntate, neque verbis aut operibus, idololatriam vel aliud quidquam, quo nomen Domini prophanatur, verſet. Corde quoque ore & factis, omni pietatis officio vacet, ſeque contineat, ad hæc ſe omnibus demittat, atque etiam ad obſequium & Chriſtianam obedientiam ſe dedat, abſtineat quoque ab omni ira & indignatione, ac omni indecentiã & immoderato exceſſu, ab omni auaritia, & commodo proprio, omni denique vana gloria, aut perfidia; ſicuti præcepta DEI exigunt. Nunc tamen talem nondum eſſe iuſtum, quamdiu vel modicæ iniquitatis concupiſcentia pulſetur aut oppugnetur, licet nunquam ſuggeſtioni conſentiat; quin etiam licet iſtiuſmodi concupiſcentiam prauam & irritationem è corde continuo abijciat, aut aduerſus eam decertet. Aut demum ſi forte adhuc tædium, tarditatem, aut moleſtiam operi bono peragendo in ſe experiatur, quamuis nihilominus eiuſmodi tædium, fugam & moleſtiam vincat, bonumque propoſitum perficiat. Atque eodem fere loco ſequitur, quod nondum eminẽtem illam & perfectiſſimam erga Deum dilectionem, quam in altera vita primum aſſequemur, conſequuti: Dũ adhuc

adhuc quæ Deus prohibuit nos infeſtant, totius legis tranſgreſſione teneamur. Quodque primũ illud dilectionis mandatum ita nobis à radicibus imis, & perfectè ſatis proponat ob oculos, quam mala, peruerſa & damnata ſit tota noſtra & natura & indoles, id quod non eo in loco de impijs nondum baptizatis, ſed de regeneratis exprimitur. De diſcrimine veteris & noui Teſtamenti ſic ſtatuit: Vetus nimirum à nouo non diſcerni, in eo, quòd illud litera, iſtud verò ſit ſpiritus, quin potius hac in parte vetus æquat nouo: quippe quod adſtruat vetus Teſtamentum remiſſionem peccatorum, & communicationem S Spiritus, perinde continere atque nouum. Adhæc fœdus illud gratiæ, quòd pepigit Deus cum Abraham, facit idem cum eo, quòd poſtea pactus eſt cum Moyſe in monte Sinai. Eodem errore dicit, quòd diſcrimen fœderis, quòd pepigit Deus cum Abraham & Moyſe, ab illo, quòd per dilectum filium ſuum exhibuit, præter aliàs conſiſtit in his verbis: Primò, quòd fœdus illud prius vocatione externa & manifeſta tantùm cum ſemine Abrahæ, & populo Iſrael ſecundum carnem initum ſit. Secundò, quòd fœdere antiquo multas cæremonias exegerit, nouo verò præter paucas, vtpote Baptiſmum & Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, nihil prorſus externi requirat, ita vt nunc homines ab omnibus præceptis humanis ſeu traditionibus & cęremonijs verè ſint liberi, nec in vllo, niſi liberè ad ædificationem proximi velint, ſubiecti. De pœnitentiæ prædicatione non aliter ſentit, quam ſi nihil interſit, inter prædicationem pœnitentiæ, quæ fieri debet ex ijs, qui primum ex impietate ad Chriſtianiſmum

Digitized by Google

vocantur, & illam quæ fit Chriſtianis, quando poſt baptiſmum, aut iuſtificationem acceptam, denuo lapſi ſunt in peccatum. Vniuerſalem & Chriſtianam de iuſtificatione doctrinam nefariè prorſus tollit, docens vnicam iuſtificationem in remiſsione peccatorum & imputatione iuſtitiæ Chriſti ſitam, in Scripturis tantùm, (cùm tamen triplex ſit) reperiri. Vult præterea eodem loco, vt quum iuſtitiam Dei vrgemus, omninò caueamus ne corrumpatur. Quod ita exponit, vt perſuadeatur hominibus, ne bonorum operum fiduciam habeant, cùm, vti decernit, fiducia bonorum operum nos reddat admodum incertos, ac in perpetuam damnationem, & execrationem à Deo conijciat, atque in ea maneamus, ita vt veram inuocationem Dei retinere nequeamus. Bona opera vilipendit, ſola ſolùm Decalogi præcepta amplectens, idque ideò potiſsimum, quod de reliquis omnibus operibus ſcriptum ſit, neminem Deum hominum mandatis colere debere ac venerari. Ad hanc ſententiam vota, ieiunia, peregrinationes, dotationes Eccleſiarum &c. contemnendo reijcit. Eccleſiam præter Romano-Catholicam ponit aliam longè diuerſam, vtpote in qua maneant in hac vita multi, qui non ſunt regenerati, & peccatis contra conſcientiam propriam obnoxij. Sacramenta concedit tantùm duo, atque in vſu neceſſariorum illorum Sacramentorum, in illis tantùm formis requirit vniformitatem, quas Chriſtus ipſe & ſolus inſtituit, ac ad eum modum vniuerſalem formam laudabiliter hucuſque in adminiſtratione Sacramentorum ſeruatam, in vniuerſum
ferè

ferè mutat, hoc ſolummodò requirens, vt obedientia paſtoribus deferatur, in his rebus quæ expreſsè à Deo ſunt mandata, non verò in his quæ præter Euangelium ſunt. De orationibus Deo offerendis, præſcribit cuique à Deo nihil aliud peti, quàm Chriſtus ipſe mandarit, debere, nec pietati noſtræ quidquam confidere, attamen minimè, num exaudiamur, dubitare: Sanctis quoque & præſertim D. Virgini nihil precum prorſus facere, vtpote, qui mortui, imò & emortui ſint, proindeque ſine graui idololatria venerari non poſſint. Reliquias item & oſſa Sanctorum nullo honore aut cultu dignatur, ſed ad abuſus & ſuperſtitiones refert. Imaginibus ſimiliter venerationem negat, quas omnes remoueri vult, eò quod grauiſſimo ſe crimine obſtringant, qui vel coram ipſis luminaria accendant, cantent, thura adolent, geniculantur, vel ornant eas. Supra diximus librum nulla alia Sacramenta, præter duo illa, Baptiſmum videlicèt & Cœnam Dominicam, agnoſcere. Id in progreſſu clarius tradit, quando conſecrationem & vſum Chriſmatis auferens, Confirmationem ipſam Sacramentum diuinum eſſe, cum reliquis quatuor, impiè negat. In hiſce eadem, quas de Bucero recenſuimus, opiniones tenet. Publicum Eccleſiæ ſacrificium cum omnibus pijs cæremonijs tollit, de eoque non aliter, atque de Idololatrico opere, loquitur. Proponit nouam quandam ſacrificandi formam, in qua nullam diuini nominis aut inuocationis mentione facta, oblationes vult non ad ipſum altare ad ſacerdotem,

ſed

ſed ad curatores ſeculares , vt ij ad commune pauperum gazophylaciũ reponant, deferri. De Pœnitentiæ Sacramento altum ſilentium : hoc excepto, quod ſecretum confeſſionis, enumerationem peccatorum, & quæ occurrere poſſunt, vt ſunt dubitatio de remiſſione peccatorum, ſatisfactio, &c. explodat, nec amplius, quàm publicam illam & generalem omnium peccatorum recitationem, more Lutheranorum, admittat. Excommunicationem, quâ in publicè delinquentes & obſtinatos Eccleſia vtitur, perperam exponit. Sacramentum Ordinis omittit, quemadmodum & Matrimonium, Sacramentum extremæ vnctionis cum omnibus orationibus, quę in eius adminiſtratione piè dici ſolent , eliminat. Docet autem Paſtores, infirmos certos & ſecuros reddere, quo tutò & certiſſimè credant, omnia ſua peccata ab eis in Chriſtum translata, à Chriſto verò prorſus ablata, & in nihilum redacta, atque ita non reſtare modò in conſpectu Dei iræ cauſam vllam, ſed meram gratiam, ſolatium, vitam & beatitudinem. Orationes pro defunctis nihil omninò opus eſſe innuit, eoſque qui in ſupremi ſpiritus exhalatione crederent tantum , licèt tempus vitæ ſuæ abſque timore Dei peregerint ; pœnitentiam autem ante mortis exitum nullam egerint , non debere ſibi de futura poſt mortem vita metuere, ſed euolare ſtatim ab ore ad cœlum. De communibus alijs Eccleſiæ exercitijs , nempe pſallendi, orandi , legendi & reliquis cæremonijs hoc ordinat , vt nempe in ciuitatibus diebus feſtis , bis tantum in hebdomada fiant conuentus, in quibus Lectiones, Orationes & Pſalmi ſeruentur , hora & modis pro populi com-

commoditate. Paucorum feſtorum, ſi Dominicos exceperis, meminit. Imò conſtituit, vt diebus Apoſtolorum (feſto tantum Petri & Pauli excepto) ab operibus non longius, quàm ad finitum ſermonem, ceſſetur: Poſtea permittit vnicuique laborare, curareque negotia ſua. Vult etiam, vt paſſim Arculæ ſtatuantur, quibus imponatur, quicquid Fraternitates in penu ſeu ærario communi habent. Scholas ex Monaſterijs formandas, ijsque reditus applicandos cenſet. Doctrina in his pueris tradetur pura, quæque ſit S. Scripturæ conſentanea. Magiſtris ſiue Lectoribus abundè prouiſum iri, ab ipſo Archipræſule, qui vicarias aliquot & præbendas pro ſtipendio illis ſit aſſignaturus. Poſt Scholarum conſtitutionem ad Sacerdotes tranſit, quibus facultate vxores ducendi facta, liberrimam ad vagam libertatem carnis à voto, viam pandit. Canonicis omnibus noua imponit onera, ſimiliter Diaconis & ſubdiaconis, quos in prædicatione, cura animarum & Sacramentorum adminiſtratione, in Eleemoſynarum diſtributione perpetuò vult eſſe occupatos, nec alijs vllis canonibus, legibus aut cæremonijs, quam iam præſcriptis ſubiectos & deditos: Capitulo Metropolitano incumbere, Eccleſijs Parochialibus eidem Capitulo incorporatis, idoneos Paſtores præficere, qui verbum Dei prædicent; quibus & de rebus neceſſarijs ad competentiam prouideat: vtque in ſingulis omnia linguâ Teutonica peragantur, aduigilet. Præter hoc & Scholas in omnibus paræcijs erigat, ſuisque ſtipendijs pædagogos & Ludimagiſtros conducat & alat. Et eius generis multa alia. De forma renouandi Monaſteria, tàm virorum,

Digitized by Google

rorum, quàm fœminarum, hanc fert ſententiam; vt Monaſteria in doctrina, cæremonijs & ordinationibus ſe modo præſcripto conforment. Eccleſias quoque parochiales & Scholas inſtituant. Item, Clementiſſimus Dominus noſter (inquit) vendicat ſibi poteſtatem, præficiendi Eccleſiarum Parochialium miniſterio, quotquot in Monaſterijs ad prædicandum aut regendum parochias fuerint idonei: Et vult, vt, qui in
" Monaſteria aſſumuntur, polliceantur ſe velle
" ſponte acquieſcere, ſi quando ad Eccleſiarum,
" aut alia miniſteria neceſſaria requirantur. Con-
" ſultum deinde putat, vt qui ſe mancipant Cœ-
" nobijs, votis Monaſticis, quæ ſubſtantialia vo-
" cantur, non alligentur deinceps, ſed ab ijs libe-
" rentur. Aſſerit item, Archipræſulem cauſam non videre, cur remorari debeat, aut vetare eos, qui in Monaſterijs agunt, comperiunturque ad Parochiarum miniſteria inepti, aut donum monaſticè viuendi non habere, aut alioqui adhoc vitæ genus non voluntarij, quò minus inde decedant: Verùm quod in ſe eſt, ferre, vt ijdem (ſi velint amici eos honeſtè fouere, aut Matrimonio iungere) votis liberati è Monaſterijs cum ſubſidio aliquo dotalitio dimittantur, transferantque ſe ad vitam Chriſtianam communem illam: Eos autem qui voluerint in Monaſterijs permanere, neceſſaria vitæ ſuſtentatione debere contentos eſſe. Vtendum Monaſterijs deinceps ad conſeruationem ſtudiorum, honeſtarumque perſonarum educationem. Aſſumendos quoque in Monaſteria tam exiguo numero Monachos, vt de annuo cenſu aliquid exundet: quo hi, qui, inopia obſtante, Matrimonio iungi non poſſunt, inde quaſi dote quadam iuuentur. Quanquam tamen

men multo vtilius futurum ſit, ſi Monaſteria omnia in Scholas conuertantur. Hæc ferè præcipua ſunt errorum capita voluminis eius, quod germanico idiomate conſcriptum ad Capitulares ab Archiepiſcopo tranſmiſſum diximus.

Diligéti hac reuiſione habita, Doctores Theologi prolixè & luculenter, modeſtè tamen & ſine conuitijs, ad ſingula quæque reſpondent, ipſaque rerum capita ad Archipræſulem transmittunt, ſpe ea ducti, fore, vt collatis vtrobique argumentis, à priore ſententia, dimiſſis nouis cócionatoribus, recederet. Id quod nec ad ipſum principem, quando ſe nihil precibus ſuis obtinere viderent, diſſimulare voluere, cui præter reſponſionem ſuam hanc quoque epiſtolam adſcripſerunt ijs, vt ſequitur, verbis: *Doctores Theologi Colon. reſpõdent Archiepiſcopo.*

REVE-rendiſs. in Chriſto Patri ac Domino, D. Hermanno Archiepiſcopo Colonien. Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi Electori, VVeſtphaliæ & Angariæ Duci, Adminiſtratori Paderbornen. &c. Domino noſtro cum primis clementi.

Reuerendiſſime princeps, Domine cumprimis clemens. Quum celſitudo veſtra reuerend. proximo conuentu huius diœceſeos Ordinum, ad noſtram ſedulã & humilimã ſupplicationẽ nobis tandẽ dilationem, ſed valdè breuẽ, conceſſerit longũ illũ & prolixũ librũ nominatæ ſuæ Reformationis (quẽ celſitudo veſtra reuerẽd. memoratis tũ Ordinibus oſtendit) adhibitis S.S. profeſſoribus, & pijs viris, reuidẽdi & expẽdẽdi; ac dein ſuper eo, cur is minus recipiẽdus videretur, Chriſtianã noſtrã informationẽ eidẽ celſitudini veſtræ, necnõ ijs viris, quos ex iã dictis ordinibus libro ſuo relegẽdo præficere decreuiſſet, iuxta oblationẽ per nos factã, exhibẽdi. Ea de re ad eiuſmodi rẽ aliquot pios, & in ſacris literis exercitatos viros delegimus, *Epiſtola Capituli Metr.*

quos

quos & eo promouimus, vt peruinciam perſpiciendi eum librum ſibi ſumerent: Hi nunc tandem (quo ad eius tamen intra tantillum temporis, & pro acceleratione rerum, præque alijs, quæ medio tēpore inciderūt, impedimētis reuerend. celſit. VI. cognitis, fieri potuit) poſt diligentem reuiſionem & expenſionem eius, quoddam Antididagma, ſeu informationem cōſcripſerunt, & conſcriptam vobis obtulerunt, In qua ipſi quidem hunc ordinem ſeruant, vt primo loco de præcipuis articulis Catholicam ſententiam, Eccleſiæ Chriſti ponant, deinde verò ſubiungant libri verba & ſententiam, explicentqúe in quibuſdam cum Catholica ſententia ille pugnet, & quia nos hoc informatorium ſcriptum, ſtatim cum eſſet oblatum, nobis prælegi fecimus. Quia item prælectum illud Chriſtianæ & Apoſtolicæ, Catholicæqúe doctrinæ, ad hæc Eccleſiæ Catholicæ moribus, hactenus piè obſeruatis, planè conſentaneum (quantum nobis aſſequi datur) inuenimus, idcirco illud ad veſtram reuerend. celſitudi. per hunc tabellarium noſtrū obſequioſe tranſmittendum duximus, humiliter petentes, vt quemadmodum celſ. V. R. peregrinis & inexploratis illis hominibus, qui nominatam reformationem pro ſuo arbitratu contraxerunt, hactenus aurem præbuit, atque adeo indefeſſa, vt accepimus diligentia, eorum volumen per legere, haud grauata fuit, ita quoque pari modo noſtrum hoc ſcriptum, quod à ſuo Capitulo tanquam ſuis proximis membris proficiſcitur (qui ſanè credendi ſumus non minore fide, quam peregrinos illos erga R. C. V. verſari, rebus quoque huius diœceſeos, non minus quam illos conſultum velle) ſimili clementia & propenſione intelligere, & ſecum diligenter expendere non grauetur, præſertim quod ſublimitas huius grauiſſimæ cauſæ, à

qua

qua in primis Dei gloria, deinde conſeruatio & tutela Eccleſiæ Chriſti, animarumque ſalus breuiter, æterna ſimul & temporaria proſperitas, & omne bonum pendet, hoc ipſum quàm maximè poſtulet. Confidimus autem quod R. C. V. ex hoc noſtro ſcripto perlecto, facilè intelliget ac deprehendet librum illum nominatæ ſuæ reformationis in articulis innumeris cum Catholicis dogmatibus & vniuerſali more Eccleſiæ Chriſti minimè conuenire, & propterea illum plus ſatis reprehenſibilem eſſe, vt hinc facilè perpendere poßit, quod cum doctrina, necnon Sacramenta & cæremoniæ in Eccleſia Dei Catholicè, ſanè, ſyncerè, incontaminatè, concorditer & per omnia irreprehenſibiliter adminiſtrari debeant, num commemorata nominata reformatio à nobis recipi poßit? vt prætereamus, quod in tales nouationes, quales quàm plurimas liber ille inuehit, conſentire nobis per ſupremas noſtras poteſtates, ſummum Pontificem & Cæſaream Maieſtatem, magno cum ſerio ac diſtrictè ſit inhibitum. Intelliget quoque R. C. veſtra, vt ſperamus, ex hoc noſtro ſcripto plus ſatis abundè, quàm omninò non deceat ſe, ſi tamen quod ſuum Archiepiſcopale officium requirit, ſpectet, (vt taceamus quàm periculoſum inſuper illi fuerit) talem nominatam ſuam reformationem vllo vnquam tempore in lucem producere, vel edi curare, vt quæ & Sacræ Scripturæ, Catholicæque doctrinæ & vniuerſali Eccleſiaſticæ traditioni in tot articulis ex diametro contradicere comperitur. Neque dubium inter alia, hic liber ſi edatur, euenturum, vt omnes ſub R. C. veſtra conſtituti, qui in gremio matris Catholicæ Eccleſiæ, & obedientia vtriuſque, tam Eccleſiaſticæ quàm ſecularis poteſtatis, libenter per-

 manere,

rum, angorem, & animi dolorem, quam ex hac R. C. V. præſumptione conceperunt, ademerit ſibi ipſi denique apud vtrunque ſuum legitimum ſuperioram, ſummum videlicet Pontificem & Imperatoriam Maieſtat. bonam gratiam comparârit. Quod vt à C. V. R. omninò expectamus, ac citra repulſam ſperamus, ita erga eandem (quam Deus Optim. Maxim. in ſublimi ſtatu ab omni malo cuſtodiat) demereri obſequioſè ſtudebimus. Datum Coloniæ die Lunæ, prima Menſis Octobris. Anno Domini M. D XLIII.

Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ Colonien.

Sed nec ſolus precabatur Colonienſis clerus, vt animum mutaret ſuum princeps aliàs laudatiſſimus, accedebant quoque exterorum & Principum & Theologorum ad ipſum literæ, quibus ad intermiſſionem cœptæ reformationis Lutheranæ cohortabatur. Inter reliquos Ioannes Cochlæus Theologus, vir æterna memoria dignus ſcribebat: Summo ingentique animi dolore, audire ſe paſſim Lutheranorum pariter ac Zuinglianorum voces, quibus multis iam menſibus per omnem Germaniam Reuerendiſſim. Dominationem ſuam à ſede Apoſtolica, & à fide Romanæ Eccleſiæ, manifeſtè ad ipſorum ſectas defeciſſe, iactitent & glorientur. Atque eius quidem rei gratia Bonnam euocaſſe Martinum Bucerum & Philippum Melanchtonem, qui plures poteſtati ſuæ ſubditos, ac paſtorali curæ ſuæ commiſſos, Euangelium ſuum doceant. Quod ſibi quidem aliquandiu incredibile viſum ſit, ob multas ſanè cauſas, quas commemorare omnes nimis longum foret. *Cochlæi ad Archiepiſc. admonitio.*

F 2 Decre-

Decreuiſſe hîc obiter aliquas tantùm referre,
„ quæ forſitan non omnibus notæ ſint. Noſti, in-
„ quit,quos & quantos habueris in Eccleſia Colo-
„ nienſi anteceſſores,qui gregem Domini nunc fi-
„ dei tuæ commiſſum, fideliſſimè docuerunt San-
„ ctæ Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ fidem, & ab
„ omni labe hæreticæ prauitatis purum & imma-
„ culatum cuſtodierunt, atque verum Chriſti Eu-
„ angelium publicè prædicauerunt, ac prædicari
„ fecerunt, viri ſanè laudatiſſimi, genere no-
„ biles, doctrina celebres, ſanctitate conſpi-
„ cui, virtutibus atque miraculis clari, quo-
„ rum te ſequi veſtigia longè ſalubrius foret,
„ quàm accerſere prædicatores nouos, quos ab
„ vtraque poteſtate pro hæreticis haberi non
„ ignoras. Decebat igitur te Sancti Ambroſij
„ Mediolanenſis Epiſcopi exemplum præ oculis
„ habere, quandoquidem tu nobilis es genere,
„ ſicut & ille fuit, is autem, vbi per ſug-
„ geſtionem Arrianorum, peteret ab eo Im-
„ perator Valentinianus ſecundus, vt vnam ex
„ baſilicis Eccleſiæ ſuæ traderet Auxentio
„ Arrianorum Pſeudo-Epiſcopo, reſpondit in-
„ trepidè, id ſe nunquam facturum eſſe, ani-
„ mam ſuum confirmans exemplo Naboth,
„ qui Achab Regi petenti ab eo vineam ſuam,
„ ita reſpondit: Abſit, vt ego tradam patrum
„ meorum hæreditatem tibi. Si ergo ille (in-
„ quit) patrum hæreditatem non tradidit, ego
„ tradam Chriſti hæreditatem? ſi ille vineam
„ non tradidit ſuam, nos trademus Eccleſiam
„ Chriſti? abſit, vt tradam hæreditatem Patrum,
„ hoc eſt, hæreditatem Dionyſij, qui in exilio
„ cauſa fidei defunctus eſt, hæreditatem, Euſtor-
„ gij Confeſſoris, hæreditatem Miroclis, atque
omnium

omnium retro fidelium Epiſcoporum. Sic te quoque Princeps ac Domine Lutheranis ac Zuinglianis ſuggeſtoribus & conſultoribus peſſimis reſpondere decuiſſet. Abſit vt ego hæreditatem Sanctorum Patrum Seuerini, Cuniberti, Brunonis, Hereberti, Peregrini, Annonis, & omnium retro fidelium Epiſcoporum, anteceſſorum meorum, qui per tot collegia & monaſteria (quæ ſuo ære & labore fundauerunt) cultum & laudem Dei & Sanctorum eius memoriam & venerationem adauxerunt, tradam in manus tam rapacium luporum, ac publicè damnatorum hæreticorum, qui Eccleſiarum collegiatarum & monaſteriorum hoſtes ſunt nefandiſſimi. Quis prædeceſſorum meorum vnquam ita fecit? tali ſanè reſponſo ſeruares ad Deum bonam conſcientiam, bonam fidem Chriſto Principi paſtorum, cuius commiſſæ tibi ſunt Ouiculæ, debitam erga ſummum Pontificem & Romanorum Imperatorem, Dominos & ſuperiores tuos obedientiam atque fidelitatem, apud exteras nationes Chriſtianas laudem, apud Clerum & populum Colonienſem (qui tot annis iam vnanimi conſenſu tecum iſtas perditionis damnatas ſectas abominati ac deteſtati ſunt) beneuolentiam priſtinam, atque præcaueres in populis Chriſti ſcandala, quæ de hoc facto tuo, non ſine gemitu multorum paſſim audiuntur, ſiue vera, ſiue conficta ſit fama iſta: Quam ſanè per omnia credere perquàm difficile eſt mihi, dum recogito, quale & quantum præſtiterit R.D. tua iuſiurandum ſummo Pontifici, & quanta illius in te fuerit gratia & beneuolentia, per tot priuilegiorum & dignitatum ornamenta

„ ab ipſo benigniſſimè conceſſa tibi, præ mul-
„ tis participibus tuis. Quid præterea debeas
„ auguſtiſſimo Imperatori noſtro, Regi Ca-
„ tholico, cui tot annis contra huiuſmodi ſe-
„ ctas publicè conſenſiſti, in edictis & receſ-
„ ſibus imperialibus, quibus abſque leuitatis
„ & inconſtantiæ nota contraire nunc quomo-
„ do poſſis, non video. Scio inſuper te ante
„ triennium Hagonoæ, vbi publicus habebatur
„ Principum & Statutum Imperij Conuentus, ſere-
„ niſſimo Regi Romanorum, Vngariæ & Bohe-
„ miæ, D.N. clementiſſimo, in priuato colloquio,
„ longè aliter promiſiſſe, quàm fama nunc de te
„ diuulgat. Sed omnium maximè me mouet ad
„ dubitandum de fama iſta pręclarum & eruditum
„ opus illud, quod ante quinquennium Colo-
„ niæ, tuo ſub nomine, in lucem editum eſt, cum
„ titulo iſto: *Canones Concilij Prouincialis Colonien-*
„ *ſis*. In quo ſanè tam copioſè confutatæ ſunt Bu-
„ ceri & Philippi huius, omniumque complu-
„ rium eorum hæreſes, & antiqui Eccleſiæ ri-
„ tus decreta & ſecreta, Scripturis & rationi-
„ bus ſic confirmata ſunt, & ſumma cum lau-
„ de nominis tui, ab exteris quoque nationibus
„ fuerit opus illud comprobatum. Hæc ſunt
„ quippe verba Clariſſimi & Doctiſſimi viri
„ Ambroſij Catharini, (qui Lutheri hæreſin
„ ante 20. annos haud indoctè confutauit) na-
„ tione Itali, in eo Libello, qui Speculum hæ-
„ reticorum inſcribitur: *Gratias, inquit, ago*
„ *Deo meo, quod poſtquam hæc ſcripſeram, ad*
„ *manus meas venit*, Colonienſe Concilium *ab*
Hermanno Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, &
multis ac inſignibus titulis & nominibus glo-
rioſo:

rioſo: Quo profectò nihil his temporibus vidi Orthodoxius, nihil doctius, nihil denique fidelius, & omni acceptione dignius: quod vtinam & alij perſanctè æmularentur, certè paterent omnibus iſtæ feræ beſtiæ oſtentui, & ludibrio.
Hæc ille. Qui ſi nunc audiat iſtam adeò »
ſcandaloſam de te famam, quid rogo aliud »
cogitare poterit, niſi aut nomen tuum illi »
operi fictè & falsò aſſcriptum eſſe, aut te »
nullius eſſe vel ad Deum conſcientiæ, vel ad »
honores verecundiæ, ſi contra proprium os, »
& opus tuum, nunc omnia per contrarium »
agas. Hæc ego & id genus multa mecum »
perpendens, vehementer doleo de hac fama »
ſiniſtra, animoque triſtiſſima. Quam tamet- »
ſi maximè falſam eſſe cupio, non per omnia va- »
nam eſſe, metuo, poſteaquam vidi iam Bucе- »
ri & Melanchtonis quædam in publicum euul- »
gata ſcripta, in quibus & de te, & ad te glo- »
riantur. Vidi præterea iudicium Cleri Secun- »
darij & Vniuerſitatis Colonienſis aduerſus Bu- »
cerum, in quo apertè conqueruntur, hunc lu- »
pum intromitti in ouile Domini, vt furetur, »
vt mactet, vt perdat. Quod ſi à te paſtore in- »
tromiſſus eſt (vt ipſe & Philippus iactitant) fa- »
cilè intelligis, quàm grauem de tanto facinore »
rationem redditurus ſis Principi Iuſtorum in »
die nouiſſimo, cùm ſtabunt contra te in magna »
conſtantia non ſolùm omnes ſancti prædeceſſo- »
res tui, quorum labores & ſanctas fundatio- »
nes per hos lupos ex eorum ouili & populo »
fideli auferre & abolere conaris, ſi non pri- »
mo quoque tempore amoueris & expuleris. »
Verùm etiam numeroſa Sanctorum Marty- »
rum agmina, quorum ſacræ Reliquiæ in »

" magna per tot ſæcula veneratione ab omni-
" bus Coloniæ habitæ fuerunt , habenturque
" adhuc hodie, in te coram Iudice conſurgent;
" neque ſurdas interim Deus præbebit aures,ge-
" mitibus lachrymisque & ſuſpirijs tot ſacra-
" rum virginum Sacerdotumque & Monacho-
" rum intra muros Sanctæ ciuitatis Coloniæ Deo
" ſeruientium , quos per lupos iſtos tam imma-
" niter conturbas & diſcrutias.Deus te (vt in Eu-
" angelio permittit ipſe Dominus) faciet vin-
" dictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die
" ac nocte. Dico (inquit) vobis, quia citò fa-
" ciet vindictam eorum. Magnum profectò
" vindictæ genus in te ſuſcipis Reuerendiſſime
" Princeps ac Domine , ſi vera ſunt , quæ de
" te iactitant iſti Lupi , quos vt maturè re-
" ctius cognoſcas propiusque introſpicias, Phi-
" lippicam Quintam rurſus in lucem remitto ,
" ad quam nondum reſpondit (quod ſciam)
" Philippus , etiamſi ipſam VVormatiæ ante
" biennium à me petierit vltro & receperit ,
" atque etiam ore proprio promiſerit, mihi ſe
" reſponſurum eſſe. Fac igitur , ſi putas illos
" veritatem Euangelij rectè docere, vt Philip-
" picam iſtam confutent. Ego certè pro anti-
" qua Eccleſiæ fide , ſub vitæ periculo cum
" quolibet ipſorum experiri auſim , etiamſi in-
" genio & eruditione longè ſim inferior , &
" cuilibet in his facilè cedam. Confido autem
" veritati, quam docet ac tenet Eccleſia : Benè
" valeat R. D. tua ampliſſime Princeps,& hanc
" fidelem operam meam boni precor conſulat,
" cogitetque & ab olitore aliquando rectè mo-
" neri.Hæc ille.

Archie-

Archiepiſcopus literis hiſce, ſimul atque ſcripto Theologorum Colonienſium, vnà cum humilima ſupplicatione, acceptis, ſi rationum momenta, ſi rei grauitatem, ſi cauſam illam vrgentiſſimam, iuſto iudicio ſecum expendiſſet, non debebat non ad tot tantorumq; virorum inſtantiam opus cœptum deſerere, ac iſti ſe reformationi contrarium declarare, quam anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto in plena Synodo propoſuerat: Verùm, quemadmodum iam ſæpius diximus, nimis profundè animum eius homines apoſtatæ dementauerant, eoque iam illorum inſtinctu conſilia direxerat, vt nulli prorſus, quantumuis ſeriò monenti cedere cogitaret, & factum hoc ſuum intermittere. Atque id ex nullo alio conſtat clarius, quàm eo auſu, quo ſine Capituli conſenſu, ſine Summi Pontificis & Imperatoris permiſſu, imò ne ſcitu quidem, dictum volumen ſuum tot, vti oſtendimus, erroribus reſperſum, publicis typis, & germanicè quidem, quò citius incautos in ſententiam traheret, euulgare, publiceque in Francofurtenſibus nundinis venale omnibus exponere, nomine ſuo in frontiſpicio expreſſo, non fuit reueritus: Imò in cuius Procemio à nouatoribus illis nefariè perſuaſus & deceptus, apertè ſcribit ac profitetur, quaſi in Comitijs Imperialibus Ratisbonæ Anno 1541. habitis, Cæſareæ Maieſtatis, Legatique Pontificij autoritate, præceptum ſibi & commiſſum ſit, Reformationem iſthanc erigere, ſtrenueque in ea perſiſtere, nec ſinere quauis perturbatione aut impedimento ſe auocari: atque iccircò R. C. S. nimirum accepta informatione huiuſmodi iam ſuper doctrina inſtitutioneque in libro illo traditis, tanquam Archiepiſcopum,

Epiſcopus edit librum Reformationis ſuæ inſciis & inuitis Catholicis.

Paſtorem & animarum curatorem, ſecum deliberaſſe, conſtituiſſeque, vt ſine vlla longiori mora proferantur in lucem. Quin ſibi nullo pacto licere, vt propter quorumcunque hominum commune aut priuatum iudicium, in gratiam cuiuscunque vel ad horam differat, ſed quod in hac re deliberatum eſt, quantacunque diligentia poterit executioni committere, promoueri, tuerique debeat & conſeruare. Quemadmodum etiam ex ipſa libri forma videre licet, quæ non in morem Conſultationis, ſed præcepti digeſta eſt. De quo principis temerario facto, quòd fidem datam, vtpote non ante librum editurus, quàm Ordinibus ipſis propoſuerit, contrariaque Capituli ſui argumenta præuio examine ponderârit, violaſſet, dolenter admodum in eum modum Canonici conqueruntur: Tradito autem noſtro Antidagmate, iam nihil minus expectabamus, quàm vt clementia ſua eo non inſpecto, ac priuſquam Delecti eum perluſtraſſent, Reformationiq; præſ&ẽſæ ex aduerſo cõtuliſſent, Reformationis eiuſdẽ volumẽ, typis excudi, prodire, paſſimq; diſpergi cõmitteret: præſertim cũ clemẽtiam eius non celaſſemus, quid ſuper hac re ſanctiſſimus Dominus Papa Paulus III. & Cæſarea Maieſtas non ſemel nobis, idque ſeuerè mandaſſent, &c. Et tamen idem ille clemẽtiſſ. Dominus noſter memoratum hoc volumẽ, poſthabita noſtra inſtantia & informatione, imò ne Delectis quidem perſpecta, eorum qui pro ſua libidine & arbitrio illud congeſſerant, praua ſuggeſtione perſuaſus, imprimi, & plurima exemplaria huc illuc, vti nos accepimus, tranſmitti, paſſimq; diſpergi fecit, vt iam plurimæ eius occaſione noſtris regionibus & ſeculis inauditæ nouationes aduer-

Querela Capituli Metropol.

aduerſus religionem noſtram, Bonnæ, Antoniaci, Lyniæ, Kempis, & alibi paſſim in diœceſi, quo longius, hoc amplius, poſthabitis plurimis noſtris ſupplicationibus, præſumantur. „

Quæ verò ſint & quales innouationes, quas fieri paſſim per libri diuulgationem Canonici referunt, vt hoc loco recenſeamus, ordo exigit. Et Bonnę quidem, vbi totius negotij initium cœpit, eò malorum res redacta erat, vt quemadmodum liber Epiſcopi præſcribebat, ſic pleraque agerentur. Bucerus hic veluti Apoſtolus quidam noua nouę fidei dogmata tradebat, inque Catholicos petulantis linguæ virus effundens, abuſus pro concione mirâ procacitate taxabat, vniuersũ vrbis populum in ſententiam ſuam facili negotio, cùm nouitas mirè delectet, adducens. Vbi ſe valdè gratum nonnullis videt, maius quid Principis permiſſu, auxilioque ſuorum aggreditur. In Monaſterium F. Minorum, quod ibi habent, violenter ac ſacrilegè irruit, ac fratribus exeũdi poteſtate facta, quæuis pro libitu ordinat. Mox cathedram conſcendens, cõcionem ad plebem factitat. Poſt hæc omnia in Eccleſiæ ornamenta & eleemoſynas inquirit, in pauperum vſus, ſicubi quid comperiat, vt dicebat, erogaturus. Ex hoc cœnobio in reliquas vrbis Eccleſias fit irruptio. Nihil paſſim, quod antiquitatis veſtigium referat, quod fidem Catholicam redoleat, intemeratum remanet. Haud dubiè in Sanctorum etiam imagines & reliqua id genus laudabilia Eccleſię ornamenta immaniter ſæuitum fuit. Hæreticorũ enim hic genius eſt, vt nihil quod diſpliceat, tametſi ſacroſanctum ſit, intactum relinquat. Dum ad eum modum pergunt tenebriones iſti, multos ſub ſpecioſo libertatis ſuæ velo ab

Bonnæ tumultuantur hæretici.

obedi-

Digitized by Google

obedientia Catholicæ Eccleſiæ, in nefariam hæreſim pelliciunt. Ex reliquis fuit, Ioannes quidam, cognomento Meinertzhagius, vir religioſus ac dudum Sacerdotio celebris, SS. Theologię Licentiatus, homo audax & temerarius, vtpote quem voluptas mundana magis, quàm vita monaſtica exercebat. Hic relicto impiè monaſterio, habituque religioſo depoſito, haud grauatè nouis hiſce Reformatoribus ſocium ſe præbuit. Vtque iam tum ſuam illis operam perpetuam quaſi inſigni aliquo exemplo polliceretur, auſus fuit voti proprij oblitus, licet Sacerdos, vt dixi, eſſet, puellam in vxorem ducere, cumq; ea propalam ſe copulandum exhibere. Erat is in hac diœceſi noſtra primus, qui inter ſacerdotes apoſtatas matrimonium contraxit. Itaque certatim in illum quilibet nouorum concionatorum, & præcipui cum primis beneficia conferebant, egitque ſic cauſam eius apud Principem Bucerus, ibidem vt verbi miniſterio, ſiue animarum curæ præficeretur. Atque eo munere dotatus, animum ad ſcribendum contra Catholicos appulit, editoque germanici idiomatis libro catholicam doctrinam oppugnare cœpit. Eius titulum fecerat: *Enchiridion Chriſtiani ciuis*. Multa in hoc abſurda, doctrinæq; Chriſtianæ è diametro repugnantia docet. 1. Reſecat enim à Canone Eccleſiaſtico diuinarum Scripturarum, quin etiam apocryphos facit ſecundum & tertium librum Eſdræ, Tobiam, Iudith, Baruch, Sapientiam Salomonis, Eccleſiaſticum, tres libros Machabæorum, Hiſtoriam Suſannæ, & Belis apud Danielem; idque expreſsè contra determinationem Concilij Carthaginenſis tertij. 2. Non alium honorem Virgini matri impendendum eſſe vult,

Nouus quidam Apoſtata prodit.

Edit librum erroribus plenum. De Canone ſacro quid ſentiat.

De Sanctis.

quàm

quàm rememorationis donorum ei diuinitus collatorum, & imitationis. Alioqui, inquit, facere nos ex ea falſam Deam. Quod & publicè fieri (ſuo more) deplorat, ſignificans idololatricum eſſe precari eam vt nos apud Deum iuuet. Choros Angelorum, ſcribit, omnium primò eſſe cõfictos per Dionyſium Areopagitã, ac poſtea auctos per Theologos. Quòd Sanctis iniquè ſeu perperam tribuamus, habere eos merita apud Deum. Quòd eorum ope nõ indigeamus, quamlibet ſimus oppleti ſceleribus. Et qui ſecus hactenus docuerunt, eos fuiſſe falſos prophetas. Hinc facit illam conſequentiam: Si Chriſtus Dęmones precantes, vt mitterentur in porcos, exaudiuit, ergo multò magis exaudit ſceleroſos. Deinde; Miracula Sanctorum eſſe mendaces & confictas fabulas, & inania ſomnia, quæ potius ridenda & explodenda ſint, quàm vel minimo honore dignanda. Poſtremò; Neminem vnquam (qui modò pius fuerit) interpellaſſe aliquem Sanctorum, vt apud Deum pro ſe intercederet. 3. Nullum honorẽ vlli imagini, ſiue Chriſti ſit, ſiue Sanctorum, exhibendum. Ad quod ineptè detorquet omnes Scripturas, quæ vetant adorari idola Dęmoniorum. Atque tales abuſus (ſic enim appellat pium imaginũ vſum) è medio tollere, pertinere ad officia cuiuſcunq; Magiſtratus, maximè quando ſine indubitata idololatria, nullus talis honor imagini impendatur. 4. Ridet ſacroſanctam Eccleſiam à nobis matrem appellari. Negat tale quid ſe in Scriptura legiſſe. Deteſtatur eos qui dicunt; Mater noſtra ſancta Eccleſia, hoc aut illud præcepit, inſtituit, docuit aut ordinauit, quod obligati ſimus ſeruare ſicut Dei mãdatum. Detrahit Eccleſiæ Romanæ, Eccleſiæ Catholicæ

De imaginibus Sanctorum.

De Eccleſia.

tholicæ principatum, & nihil referre putat ea agnoſcatur necne. Petrum Papam Romanæ Catholicæ Eccleſiæ fuiſſe inficiatur. Catholicas Eccleſiæ traditiones nihili ducens nuda Biblia abũdè ſufficere, aſſerit. 5. Contendit ſolam fidem omnia efficere, ſolam fidem ſaluare, opera verò nõ eſſe neceſſaria ad ſalutem: nec propterea facienda eſſe, vt ſalui fiamus, ſed tantum in gratiarum actionem, quodque ſolius infidelitatis, non peccatorum ratione, condemnemur. Quòd à Deo nihil gratię per bona opera promereri quis poſſit. Nullius Sancti precibus ſententiam Dei mitigari poſſe. Confundit iuſtificationem, quam adipiſcimur in Baptiſmo, cum reparatione lapſorũ in grauia crimina. Pœnitentiam conſtituit in ſola agnitione peccati. Ridet purgatorium animarum poſt hanc mortem. Remiſſa culpa ſimul remitti omnem pœnam. Votum perpetuæ caſtitatis inane & irritum eſſe. Negat ſtatum Virginalem præſtantiorem ſeu ſanctiorem eſſe ſtatu cõiugali. 6. Abominatur Miſſam. Quamlibet enormiter criminoſum vult accedere debere ad cõmunionem: tantum ſi eum pœniteat deliquiſſe, ſine vlla præcedente ſatisfactione Eccleſiaſtica, per ieiunia & ſimilia pia opera. Aſſerit neminem eſſe obligatum ad confitendum ſua peccata. Ridet & ſubſannat Sacramentum Vnctionis infirmorum. Non numerat inter Sacramenta Ordinem ſacrum, nec diſcernit inter Eccleſiaſticam adminiſtrationem & ſecularem poteſtatem: Nec inter ſacramenta numerat, Sacramentum Confirmationis & Matrimonij. 7. Quicquid in Eccleſia agitur, præter ea quæ expreſſim in ſcriptura continentur, contẽdit eſſe meram idololatriam ſeu ſuperſtitionem. Vbi exemplificat de indictis ieiu-

De dogmatibus Eccleſiaſticis.

De Sacramentis.

De ſtatutis & moribus Eccleſiaſticis.

Digitized by Google

ieiunijs, ferijs & ſimilibus, appellat huiuſmodi Eccleſiaſticas conſtitutiones, Nænias. Ridet celebrationem Miſſarum, continuas & prolixas preces, peregrinationes, exædificationes templorum, altarium, & turrium, & vſum campanarum & luminarium. Item votum perpetuæ caſtitatis, indicta ieiunia & feſta, Monachiſmum, habitum religioſum, horas Canonicas, recitationem Angelicæ ſalutationis, & omnes orationes editas ab hominibus quamlibet pijs, quæ non continentur in ſacris literis. Contemnit templa & baſilicas, tanquam non ſint domus Dei. Contemnit continuatas & prolixiores orationes Iacobitarum, Franciſcanorum, & Benedictinorum. Aſſerit omnia in templis germanicè canenda eſſe atque legenda. Item falſos Prophetas & lupos eſſe eos, qui homines admonent ad legandum aliquid Eccleſijs, Monaſterijs ſeu pijs locis. Vult quoque iuuentutem non eſſe inhortandam ad capeſſendam vitam monaſticam, ſeu ad profeſſionem vitæ religioſæ. Non patitur, vt quis ſe à profeſſione Monachiſmi vel Dominicanum, vel Franciſcanum, vel Benedictinum, vel Bernharditam, ſeu à profeſſione vllius regulæ talium Patrum (quos vocat *alfantzen*) appellet. Hypocriſeos eos arguit, qui in Eccleſijs & Monaſterijs pro benefactoribus orant. Eccleſiaſticam ſepulturam, & Exequias defunctorum, & ſimilia contemnit, & hypocriſim vocat. Damnat delectum ciborum veluti mendacium. 8. In Summum Pontificem acerbè admodum inuehitur, & maximè ſub titulo, *de ſeductoribus à vera Chriſtianorum fide*, appellat S. Pontificias hominem peccati, filium perditionis, & Antichriſtũ. *De Summo Pontifice.*

Et de-

Et deteſtatur Romanam fidem, interpretaturq́; ſe ipſum, hoc eſt, ea, quæ ſuperius in hanc ſentẽtiam ſcripſit, competere in ſummum Põtificem.

De ſtatu Eccleſiaſtico.

9. Statum Eccleſiaſticũ mirum in modum inſectatur ſub titulo *de miniſtris altarium.* In huius ſtatus inuidiam allegat Chriſtum à Diabolo, ſacerdotio, & Scribis eſſe tentatum; perinde ac ſi nihil eſſet paſſus ab alijs Iudæis ſeu gentibus. Non licet, ait, Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis, & omnibus, qui ſe Eccleſiaſticos appellant, habere vllum ſeculare imperium vel regimen, nec licere noſtris Epiſcopis eſſe Principes: quoniam hoc Chriſtum prohibuiſſe. Inuehitur mirum in modum in Eccleſiaſticos, & traducit Clerum, quod propterea eum perſequatur, quod reprehendat antiquos abuſus. Appellat Clerum per contemptum Papiſtas, & peruerſos Eccleſiaſticos, ac generationem adulteram, grauiſſima iniuria Doctores Theologos afficiens, ac mendicantes Ordines.

De publicè criminoſis & hæreticis.

10. Ob crimen, quod publicè committitur, debere proximum tantum admoneri, ſed non iudicari, damnari, hæreſeos inſimulari, excommunicari, vel ab Eccleſia excludi: quod ipſe dicit eſſe tyrannicum. Item in præfractos minimè animaduertẽdũ. Deinde hæreticos non eſſe compellendos ad fidem, nec coërcendos. Poſtremò quod Prælati hoc facientes ſint hæreſiarchæ, & impij hypocritæ: Imò addit, ne in ſeditioſos quidem aliter, quàm per excommunicationem animaduertendum eſſe. Collegerunt errores hoſce ex libro eius Doctores Theologi, & Archiepiſcopo ſuo admiſerunt, enixè precantes, vt hominis conatibus obſiſteret, petulantemq́ue linguam eius nonnihil refrenaret. Ille admonitus, non modò non fecit, quod

quod rogatus erat, ſed virum defendit etiam, & in ſe cauſam eius ſuſcepit. Scribit enim Capitulo; ſe quidem Meinertzhagium iſtum, ad dicendum de edito libro ſententiam in aulam citaſſe, mentemq; eius coram intellexiſſe, at cognouiſſe nihil, quod poſſit in ipſo culpari ac reprehendere: quinimò hoc non multò poſt ab eodem reſponſi tuliſſe, quod ipſis tranſmittendum, occaſionem hanc nactus, duxerit. Erat verò eiuſmodi: Quandoquidem intelligat, malè ſe paſſim apud catholicos & præſertim Metropolitanum Coloniẽſis Eccleſię capitulum audire, propter librum, quem emiſerit, *Enchiridion ciuis Euangelici*, indigitatum, atq; eius quoque gratia, ad dicendam de eo ſententiam ad Archiepiſcopum ipſum ſit euocatus, non potuiſſe, nec debuiſſe etiam præterire, quin huiuſmodi hominibus perbreui hoc reſponſo ſatisfaciat. Et principio quidem, cùm multa ab aduerſarijs obuertãtur, quod nimirùm loco & habitu mutatis; matrimonium Sacerdos inierit, omnium primò hoc quidem ſibi deliberatius eſſe nihil, quàm vt illorum obiectionibus reſpondeat, oſque talium obturet; veruntamen, quia nũc potiſſimum temeritatis, vel ideò maximè, quod libellum iſtum ediderit, incuſetur, decreuiſſe alias de his, quod certus ſit, in nullo ſe peccauiſſe, ſufficientem rationem reddere, & nunc tantummodò paucis animi ſui conſilium exponere, quò intelligant omnes, quàm ab ijs liber ſit & immunis, quæ ſibi paſſim imputantur. Atq; euulgationem ipſam libri ſui, quod attinet, vt cuilibet conſtet, non tàm abs ſe, quàm Typographo, qui precibus ad hoc renitentem ferè & inuitum pro ſubleuanda inopia, induxerit, promotam eſſe, exoptare. Secũdò librũ

Conqueritur Capitulum de hominis nefario auſu.

Digitized by Google

antehac paſſim venalem extitiſſe, ſub nomine cuiuſdam Arnoldi Aquiſgranenſis, qui quidem comprehenſos in eo articulos primùm & cõſcripſerit, & poſtmodò in lucem dederit, ita, vt ipſe non verus eius author ſit, ſed ſolummodò is haberi poſſit, qui non minùs diligenter re-uiderit, quàm & varijs locis adauxerit. Tertiò, quod nomẽ ſuum appoſitum ſit, hoc quidem factum non fuiſſe, malle; cęterùm quia ſic fieri debuerit, minimè pœnitere eius, cùm ſciat, quod alteri debetur, hoc ſibi adſcribere iure nullo poſſit, nec in alio aliquo, quàm in Domino gloriari. Quartò omnia ea, quæ ipſe quidem adiecerit, vt ſummè fidelibus neceſſaria, paratum eſſe, corã quouis tueri ac defendere, retractare etiam, ſi in ijs vel minimi erroris, quod nunquã futurum ſperet, arguatur. Adhæc nihil ſe aliud quærere hoc libro, quàm ſalutem omnium promouere, hocq́; , nec aliud ab initiò conſiliũ habuiſſe vllũ. Proinde exoptare, vt eo cũcti fideles ad verã verbi Dei regulã, quo gloria Dei magis magiſque augeri poſſit, vtantur. Illis verò qui ſiniſtrè de ſe ſentiant, propter amorem Dei libenter, quicquid prætendant, condonare, veramq́ue mentem & agnitionem cùm ſui, tum Dei, per Chriſtum precari. Quibus ad Metropolitanos tranſmiſſis, non expectauit ille, quid ad ea reſponſurum eſſet Capitulum, cuius conſtitutioni parendum erat, ſed liberius cœptum opus perſequens, nihil quod ad errorum propagationem conducere videbatur, omiſit. Eum imitatus P. Melanchton, & ipſe Colonienſes Theologos ſcripto mordaciſſimo inſectatus eſt, quo quòd calumnijs refertum eſſet, vtriuſque partis animos mirè exacerbauit.

Philippus Melanchton ſcribit in Colon.

Interea

Interea & Meilmæ, quod eſt non ita procul Colonia diſſitum oppidum, nouas tragœdias nouitatis quidam auidi excitant. Commiſerat hîc ante annos non paucos Eccleſiam, viro cuidam Catholico, pio ac docto, Archiepiſcopus, qui munere ſibi demandato laudabiliter hactenus perfungens, omni ſtudio lupum ab ouili arcebat, in eoque, ne quid populus ſibi commiſſus in religione innouaret, totus deſudabat. Accidit verò, vt, cùm ſuaſu Buceri Monachus quidam apoſtata, eò cauſa clam hæreſin ſpargendi miſſus eſſet, inuenirentur nonnulli, quemadmodum apud rudiores ſolet, qui aures ad noua dogmata arrigerent, legitimoque Paſtore ſuo relicto, ſtatis diebus ad clandeſtinas conciunculas declinarent. Impium erat ea diſſimulare. Itaque loci Paſtor concione publica vniuerſum hortatur populum, ne temerè credat cuilibet homini, aliam præter eam, quæ eſt Chriſti, doctrinam afferenti. Intelligere ſe maximo animi dolore, eſſe ex ſuis nonnullos, qui ſubindè ſecretò & clanculum furtiuis quibuſdam conuenticulis, in quibus de extinguenda fide Catholica tractetur, interſint, eos monere ac precari, vt impoſterum ab illis ſe ſegregent, niſi ſe ſalutemque ſuam in ſummum diſcrimen adducere malint. Non eſſe, qui vagantur paſſim, & Euangelicos ſe dicunt, viros iſtos ſic pios & ſanctos, quemadmodum exteriore habitu præ ſe ferant. Paſtores non eſſe, ſed lupos, qui non ædificare, ſed deſtruere; non ſanare, ſed vulnerare; non viuificare, ſed mactare, ſed occidere, & ad Orcum animas præcipitare cogitent.

Meilmenſem Eccleſiā Lutherani occupant.

gitent. Quamobrem propter Deum rogatos omnes velle, ſummo ſibi cauerent ſtudio, ne ab id genus hominibus in naſſam incauti pertrahantur. Crederent ſibi potius quem hactenus verum Paſtorem agnouerint, cuique morem haud grauatè geſſerint, futurum hoc facto, vt & Deum deinceps propitium ſibi habeant, & maiore tranquillitate conſcientiæ vitam traducant. Fieri non poterat, vt hæc ad eum non deferrentur, quem miſſum iſtuc ſuprà diximus. Is ergò de omnibus probè edoctus, occaſionem venabatur refellendi ea, quæ Paſtor in medium attulerat. Eluxêre dies vnus aut alter, intra quos non paucos ex ruſticis ſibi copulauit, quorum opera ad quiduis audendum vti poterat. His cinctus Eccleſiam violenter ingreditur, conſcenſoque ſuggeſtu, omnis generis conuitia in Catholicos eructat, tanta maledicentia, vt pijs auribus prorſus intolerabile factum videretur. Cucurrêre mox ad Paſtorem Catholici, quidque rerum agatur, nuntiant. Ille hominem adhuc declamitantem, nullius quantumuis ferocis minas æſtimans, in publica Eccleſia aggreditur, ac quis hoc muneris ipſi dederit, exquirit. Ibi alter pudore ſuffuſus aliquantiſper ſubticuit, ignorans quid argumenti pro vocatione ſua depromat. Tandem cùm aliud ſubiret nihil, à Satrapa eò vocatum ſe dicit, vt purum Dei verbum plebem edoceat. Paſtor hoc Satrapæ nequaquam licuiſſe contendens, tum quid per verbum Dei purum intelligat, num Lutheraniſmum, vel aliam aliquam extra Catholicam Eccleſiam doctrinam, explorans, cùm ſermonem hominis interturbare, vt officij

ſui ratio exigebat, præſentemque coram frequenti populo errorum atque hæreſeos conuincere, niteretur, ruſticorum quorundam importunitate & clamoribus, in fauorem noui illius præconis, extra Eccleſiam ſuam eſt eiectus. Atque tum ille quicquid ante calumniarum, quicquid conuitiorum & grauiſſimorum criminum prætererat, quæ figmenta & mendacia inſana mens ſuggerebat, quas inſidias ſtruere, quæ conſilia ad explodendum Catholicos excogitare valebat, ea omnia protulit,& in vulgus diffudit. Vidiſſes ibi miram rerum faciem, oues ante manſuetiſſimas, de repente in lupos & rabidos quaſi canes immutatos, qui non latrarent ſolùm contra Dominum ſuum, cuius curæ paſtorali commiſſi erant, ſed dentes etiam ad mordendum, linguam & manus ad verberandum, in eundem extenderent. In eo furore, parum aberat, quin Paſtorem ſuum homines furioſi obtruncaſſent, niſi is aliorum conſilio furorem declinaſſet. Corrigere iſta debebat Archiepiſcopus, & tales paſtoribus ſuis adeò rebelles pœnis coërcere; ſed nihil actum eſt. Quin potius laudauit factum hoc, & tumultuantium petitioni, in deligendo concionatore hæreticò, aſſenſum præbuit. Capitulum Metropolitanum, poſtquam certis nuntijs totius rei geſtæ ſeriem cognouiſſet, ſcribit ad Præſulem, numque eius permiſſu acciderit, rogat. Reſpondet ille: rem ſibi conſtare quidem, concionatorem tamen ſuo ſcitu eò amandatum non eſſe, ſed accitum Satrapæ & populi voluntate, qui cùm petierint, ſe impedire noluiſſe. Adhæc quòd

Lutherani Catholicum & ordinarium Paſtorem explodunt.

reiecto priore Paſtore ſuo, nouum conſtituerint, in eo quoque peccatum non eſſe, eò quod illi nunquam cura animarum à ſe demandata fuerit. Deinde quia de Sacramentis & Decalogo, alijſque Chriſtianæ fidei articulis aliter (nimirum Catholicè) ſentiat, nec ad captum populi ſat clarè & dilucidè exponat, conueniens fuiſſe, alius vt ipſi, qui hoc maiore cum gratia poſſet, ſubſtitueretur. Sed & quod præcipuum eſt, cùm, quemadmodum fama fert, ijs vitijs, quæ minimè tolerari in Eccleſiaſtica perſona debent, ineptum ſe muneri huic reddiderit, de facto iure ſuo excidiſſe; adeoque cui parœcia regenda commendetur, indignum eſſe. Et hæc vti ex inuidia aduerſus virum hunc ſcripta Capitulum vidit, ita quoque eſſe falſiſſima, ex viri innocentia & teſtimonijs piorum hominum facile collegit.

Cæſaris Inſulani concionatorem Lutheranum recipiunt.

Quod malum Meilmenſem Eccleſiam tàm grauiter adflixit, cæſaris Inſulanos non minore motu turbauit, ſimili prorſus exemplo. Nam vita functo ibidem ſuperiore anno Parocho, cùm catholici de nouo eligendo conſultarent, fuêre inter Senatores, qui tractis in ſua vota ciuibus nonnullis, peculiarem ad Epiſcopum nuntium ablegarent pro impetrando Lutherano concionatore. Periculum in mora erat, ideoque maturandum in mittendo verbi miniſtro, ne Catholici, introducto Sacerdote, Lutheranos anteuerterent. Miſſus eſt ergò iſtuc homo quidam rudis & indoctus, ſed cui popularis facundia

& gar-

& garrulitas nomen quodammodo celebre haud ita pridem pepererat. Oculis erat lippis & diffluentibus, imò cæcutientibus planè, vt pauci eſſent, quibus gratus & acceptus videretur. Suſceperunt tamen, & pro Paſtore ſuo agnouerunt. Non multò poſt, quàm iſtuc ſe receperat, ex Catholicis ciuibus quidam cùm ex curioſitate quadam conciones eius ſubinde frequentarent, audirentque quàm ipſe multas turpiſſimo ore hæreſes exhalaret, & pro Dei verbo rudioribus obtruderet, ex templo egredientem, hæreſiarcham inclamauêre. Diſplicuit hoc admodum, prſertim quod à Catholicis obiectum eſſet. Atque illud quidem cùm ſequenti Dominica, pro concione ingeminaret, diceretque ſe, dummodò videre eum poſſet, qui id ſibi nominis indiderit, rotundè aperteque in faciem iſti exprobrare velle, ac oſtendere quis qualiſue ſit, qui bonum ſenem hoc modo compellare non erubuerit: Excipiens verba Paſtoris quidam ex ruſticis illis, qui diebus feſtiuis & ſacris, ex finitimis pagis in vrbem, ad audiendam concionem, antiquitus itare ſolent, reuerà propalam, inquit, Domine Paſtor, multa te hactenus commemorare audiui, ſed nihil, quod verius dictum ſit, vnquam proferre licuit. Quo inopinato hominis dicto, tota concio in riſum ſoluta ſtetit. Ille nihilominus, tametſi publicè confuſus, materiam propoſitam minimè interrupit, ſed maiore petulantia maledicentiaque in Catholicos linguam acuens, non ante deſtitit, quàm ſitibundum furoris animum conuitiando exſatiaſſet. Permanſit homo hic Cæſaris-Inſulæ multo tempore, nec quãtumuis inſtarent catholici, ab Archiepiſcopo

remotus fuit; donec tandem illo depoſito, Adolphus recens electus ad vrbem venturus ferebatur. Quo nuntio exterritus, vltrò ab vrbe receſſit, tunc viam facilè inueniens, qui antea cæcus ad cathedram deduci volebat.

Lynſæ & Kempis demoliuntur imagines.

Lynſæ & Kempis par in abrogando Catholicæ religionis exercitio, ratio habebatur. Ibi imagines Sanctorum, & præſertim crucifixi Domini, magno cum ſimpliciorum ſcandalo, ſublatæ atque deſtructæ fuêre. Quæ res miſerandum in modum catholicorum mentes affligebat.

Imperator venit Bonnam.

Intereà Bonnam cæſar venit, bellum Cliuiæ Duci, quod Geldriam teneret, illaturus. Excepit eum Archiepiſcopus ſplendidè admodum, ac lautiſſimè ad dies aliquot tractauit. Aderat tum Bonnæ Bucerus, cum Eraſmo Sarcerio, & caſparo Hedione, (nam Melanchton iam ante diſceſſerat) quos eò vocatos ab Epiſcopo ſuprà diximus. Orat ergò Epiſcopum cæſar, vt id genus homines, quàm primùm à ſe dimittat, & exercitium religionis catholicæ, ſicubi ſublatum ſit, in integrum reſtituat. Videbatur grande nefas, præſentis cæſaris petitioni reluctari. Itaque actutum Bucerum cum alijs dimittit, ſic tamen, vt ſecurè cum aliquot ſatellitibus, quos adiungebat, domum redire poſſent, ne ſi fortè in Hiſpanos inciderent, martyres, vt Surius ſcribit, apud ſuos euaderent. Sperabant catholici, amotis primarijs illis reformationis authoribus, principem paulatim, & reliquis extra diœceſin relegatis, ad ſaniorem mentem rediturum. Verùm fruſtra ſperabant, quando non eò dirigi conſilia

eius

eius viderent. Perſtabat enim in prima illa ſua ſententia, eamq́; effectui dare omnibus viribus conabatur. Quo factum eſt, vt coacti fuerint Metropolitani Canonici & ſuum, quem contra Principis reformatorium volumen conſcripſerant, librum, ſub titulo: *Antidagma, ſeu Chriſtianæ & Catholicæ religionis per Reuerend. & illuſtr. Dominos Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſ. propugnatio, aduerſus librum quendam vniuerſis Ordinibus ſeu ſtatibus Diœceſis eiuſdem nuper Bonnæ titulo Reformationis exhibitum, ac poſtea (mutatis quibuſdam) Conſultoriæ deliberationis nomine impreſſum.* in publicum edere, vt vel ſic, adiecta noua ſupplicatione aliqua, poſſent principem à propoſito reuocare, totique mundo teſtatum facere, quàm ſibi mutatio iſthæc religionis ſummè diſpliceret. Quin & ad ſupremum Magiſtratum dant literas, quos contra conatus eius in auxilium aduocant. Ad Cæſarem in hunc modum ſcribunt.

Colon. Theologi Antidagma edunt.

Inuictiſsime & glorioſiſsime Imperator Auguſte Domine clementiſsime, Sub finem Comitiorum Spirenſium, ſacratiſsimæ Maieſtati Veſtræ vti vnico noſtro poſt Deum præſidio ſtatum ſacroſanctæ noſtræ Religionis, vt tum illa apud nos habebat, ſignificauimus, eiuſque opem, qua maioribus & periculoſioribus nouationibus (quas tum, niſi tempeſtiuè obuiam iretur, non temerè metuebamus futuras) ſupplicibus votis efflagitauimus. Hactenus verò ad ea noſtra ſcripta, quæ extrema ſanè neceſſitas, vt præſens rerum conditio ſatis indicat, extorſit, nihil reſponſi retulimus, niſi quòd de Maieſtatis veſtræ optima voluntate in defendenda priſca noſtra ſancta & vera Religione benè ſperare iuſſi ſumus. Et perſuaſi quoque, vt ſi Reuerendiſsimus Archiepiſcopus noſter

Epiſtola totius Cleri Colonien. ad Imperatorē

à Comitijs illis, aduerſus Catholicam traditionem quid vlterius nouare pergeret, eam ſuo Imperiali officio (quod Eccleſiæ Chriſti debet) non defuturam. Hac ſpe, qua nos vtcunq; ſuſtentamus freti, ad Maieſtatem veſtram rurſus confugimus, ipſi non ſine graui dolore animorum noſtrorum quàm humillimè exponentes, quòd is timor, quem iampridem timebamus, aduenerit, & quod verebamur acciderit. Adeo enim præfatus Archiepiſcopus noſter, poſt habita Comitia, ab inſtituto illo ſuo non ceſſauit, vt longè etiam vehementius quàm antea illud vrſerit ac promouerit. Interea enim Schiſmatici illi prædicantes, quos in hanc diœceſim infauſtis auſpicijs iamdudum inuexit, ad illius ſuæ obtenſæ Reformationis præſcriptum, atque adeo ſæpè deterius ſua improbata dogmata vbiuis ſpargere ſummo conatu adnituntur, veris & legitimè vocatis Paſtoribus, neceſsitate illis cedendi impoſita. Qui & nunc iubentur Sacramentorum adminiſtrationem illis permittere, non quidem ad Eccleſiaſticam & Catholicam formam, ſed lingua Germanica, & nouo more, quemadmodum prædicantibus iſtis videtur, hoc eſt, non ſine veterum ſolemnium precum, & piarum Cæremoniarum à temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ad Sacramentorum exhibitionem vſitatarum. Necnon etiam à tot ſeculis obſeruatæ Miſſæ, & ſacroſancti Canonis abrogatione. Ante Comitia, Eccleſiarum ordinarijs Paſtoribus, alijsq; Presbyteris & Clericis adhuc (vt par eſt) licuit cuiq; ſua Eccleſiaſtica officia ſuis ſolitis & ſtatis horis in templis peragere. Nunc eò ventum eſt, vt eiuſmodi ordinarijs miniſtris ſubinde mandetur, ne vel prædicando, vel cantando, breuiter, ne verbo, vel facto, pſeudoeccleſiaſtis illis, vllo impedimento ſint, vt taceamus, quod

quod ab eo tempore libellus quidam Apoſtatæ Monachi Ioannis Meynertzhagen, qui ſe miniſtrum Eccleſiæ Bonnenſis appellat, qui & recens ſe inceſtis nuptijs polluit, ſub titulo, **Deß Chriſtlichen Bürgers handtbüchlin / ꝛc.** *blaſphemijs & impietatibus refertus, publicè venum expoſitus fuerit. Et nunc denique proſtet liber ille obtenſæ Reformationis Archiepiſcopi noſtri Francofordiæ, etiam in præſentibus nundinis, iuſſu eius, vt accepimus, diſtrahendus. Quæ omnia (quamlibet ea ne fierent ſuam Celſitudinem humiliter & ſedulò deprecati & obteſtati ſumus) impræſentiarum apud nos aguntur, innumeris pijs ad hæc grauiter ingemiſcentibus. Aguntur autem (id quod nobis longè grauiſſimum & acerbiſſimum eſt) ſub eo prætextu, perinde atque Sacratiſſima V. Cæſarea Maieſtas ipſi præfato Principi noſtro ſub ſuam à Spira abitionem (ſic enim nuper quidam ex ſuis Conſiliarijs ad nos retulit) ea agendi fecerit poteſtatem. Et quanquam adduci nunquam poſſimus, id vt factum eum in modum credamus. Scimus enim quid veſtra Maieſtas per ſuas ſerias literas bis, deinde quoque ſuo ipſius oraculo nuper perſonaliter præſens; Denique quid per ſuum Vicecancellarium poſt Comitia in diuerſam longè ſententiam nobis mandari curauerit. Vt hinc facilè intelligamus, Archiepiſcopo noſtro, non aliam à Maieſtate veſtra poteſtatem factam eſſe, quàm forſan prædicandi Euangelij. Verùm non ea procul dubio mente, id vt ſibi per Schiſmaticos & hæreticos adulterantes verbum Dei facere liceret, ſed tantum per Paſtores, alioſque miniſtros canonicè vocatos ad Apoſtolicam & Catholicam traditionem. Quia tamen hic prætextus nobis*

multum

multum negotij impræſentiarum faceſsit, neque videamus vlla alia ratione imminenti euerſioni veteris Religionis (quam Schiſmatici illi per abſentiam Maieſtatis V. in hac diœceſi fortiter vrgent) occurri poſſe, quàm ſi Maieſtas veſtra ſuis patentibus imperialibus literis ad nos omneſquе alios Prælatos, Capitula, Abbates, Conuentus, Paſtores, & animarum curatores, vniuerſumquе Clerum, necnon Comites, Barones, nobiles ac Communia oppidorum, omneſque incolas huius diœceſeos, coniunctim ac diuiſim dirigendis, Alijs quoque, ad ſenatum huius inclytæ ciuitatis deſtinandis, palam faciat ac declaret, ſuæ mentis nunquam fuiſſe Archiepiſcopo noſtro permittere, vt curaret in hac ciuitate & diœceſi per alios verbum Dei prædicari, vel Sacramenta adminiſtrari, quàm per idoneos, & Canonicè vocatos Paſtores, & Eccleſiarum legitimos miniſtros, idquе ſecundùm Apoſtolicam & Catholicam traditionem. Non autem per Sectarios, Hæreticos, Schiſmaticos, & apoſtatas Monachos, alioſquе veteris Religionis euerſores, Nobisquе ac alijs omnibus & ſingulis incolis ſupradictis ſeriò & diſtrictè demandet, vt veterem Religionem mordicus retinentes, nullum demus hiſce pſeudoeccleſiaſtis locum, nullaſue nouationes contra priſcam Eccleſiaſticam & Catholicam ordinationem, vel prætextu commemoratæ obtenſæ Reformationis noſtri Archiepiſcopi, vel alias inuectas ſeu inuehendas admittamus. Denique ſi nos in veſtræ Maieſtatis ſingularem tutelam & protectionem recipere non grauetur. Hoc igitur beneficij vt Maieſtatem veſtram pro ſua erga Chriſtum & Eccleſiam ſuam ſponſam, matrem noſtram indicibili pietate, nobis quàm humillimè ſupplicantibus collaturam. Et per hunc noſtrum Tabellarium, idquе quàm maturimè tranſmiſſuram planè confidimus.

Ita

Digitized by Google

Ita idem ſemel collatum, nulla vnquam apud nos aut poſteros noſtros delebit obliuio, Quod & imprimis ipſe Chriſtus Ieſus, qui Maieſtatem veſtram ſuæ ſponſæ aduocatum potentiſſimum & Catholiciſſimum fecit, immortali mercede remunerabit, Et nos pijs precibus pro feliciſſima Imperij Maieſtatis V. propagatione, & de hoſtibus ſuis referenda victoria Deo ſedulò ſundendis penſare numquam intermittemus Qui Maieſtatem veſtram nobis & vniuerſo Chriſtiano orbi, veluti vnicum auitæ pietatis & Religionis aſylum incolumem perpetuò ſeruet ac proſperet, & ouantem Germaniæ pacificandæ reſtituat. Datum Agrippinæ Coloniæ nonis Septembribus, ſub noſtris videlicet maioris & Metropolitanæ, atque Diui Gereonis Colonien. Eccleſiarum ſigillis. Anno ab incarnatione Domini 1544.

Sacratiſſ. Cæſar. Maieſtat.
V.
longè deuotiſſimi,

Prælati, Abbates, Capitula, & Monaſteria, totuſque Clerus Agrippinæ Coloniæ.

PRæter literas, miſerunt quoque Ioannem à Tyla, fratrem Ordinis Prędicatorum, Theologum inſignem & doctum, vt ille cauſam ſuam quoque quatenus coram Imperatore ageręt. Inſtruxerat capitulum abeuntem varijs literis, quibus apud Nicolaum Peronottum, Ioannem Poggium, Antonium præſulem Attrebatenſem, Ioannem Nauium, aliosque plures cæſareos conſiliarios commendabant, vtque libentur & benig-

Mittitur ad Cæſarem Ioannes à Tyla.

benignè habere eum audireque dignentur, tum & acceſſum ad Cęſar. Maieſtatem habere vt poſſit, precabantur. Illi rei grauitate permoti, quod prodeſſe videbatur, non intermiſerunt. Eorum quippe operâ ad Cæſarem admiſſus, cùm in quibus anguſtijs poſiti Colonienſes eſſent, eloquenti oratione propoſuiſſet, ſic Maieſtatē eius mouit, vt ipſe Nauius ad Archiepiſcopum Colon. à Cæſare cum mandatis ablegaretur, dehortaturus eum ab opere, quod tanta contentione promouebat. Poſtquam is infecto negotio, reuerſus fuit, Imperator edictum tulit, quo vniuerſum totius diœceſis populum grauiſſimis pœnis à nouis concionatoribus, doctrina & hæreſibus, deterrebat. Id in ampliſſima forma ad Colonienſes miſſum eſt, in hanc, vt ſequitur, ſententiam.

Edictū Imperatoris contra prædicantes Lutheranos in diœceſi Colonien.

Nos Carolus V. Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, &c. Nuntiamus Honorabilibus, Nobilibus, Dilectis nobis, Deuotis & ſacri Imperij fidelibus N. omnibus Prælatis, Capitulis, Abbatibus, Conuentibus, Parochis, Capellanis, Curatis, communique Clero, Comitibus quoque, Dominis nobilibus, & vniuerſo Equitum Ordini, ſimiliter & omnibus vrbibus, ſtatibus, ſubditis, & Incolis Ciuitatis & totius diœceſis Colonienſis, gratiam noſtram & omne bonum; & ſignificamus vobis, quemadmodum fideliter ad nos delatum ſit, nouos aliquos prædicantes, qui exortis recens & improbatis ſectis adhærent, in Ciuitates quaſdam diœceſis Colonienſis ſecretò & clanculum irrepere, alibique publico miniſterio præfici, quique ſub prætextu prædicationis Euangelicæ, ad quā tamen canonicè delecti non ſunt, idiotas, & ſimplices homines à veritate verbi Dei ad ſuas nouas ſeductrices opiniones & ſectas pelliciant,

tum

tum & inter Eccleſiaſticas & ſeculares honeſtas atque probas perſonas, vera adhuc antiquæ fidei deditas, rixas & contentiones, rancorem & odium excitent, ordinarios Parachos & Curatos loco ſuo per vim emoueant, ſeq́ue ſubſtituant eiectis, ac pro libitu adminiſtrent, cæremonias antiquitus laudabiliter vſurpatas, conciones, cantiones, lectiones, ſacrificia, adminiſtrationes Sacramẽtorum, & alios Eccleſiaſticos ritus & ordinationes, abrogent, eorumq́ue loco ſuas nouas antiquis Eccleſiæ ſtatutis prorſus contrarias cæremonias inuehant, & præter hæc omnia ad excuſandum huiuſmodi iniquos proceſſus, ad Reformationem (quæ vel in Chriſtianis Concilijs, vel alias ordinario permiſſu nunquam conceſſa recepta & approbata fuit, ſed ab omnibus Chriſti fidelibus tanquam præfatis omnibus laudabiliter hactenus in Eccleſia toleratis ordinationibus contraria, reiecta atque damnata) appellent, prætereaq́ꝫ (tametſi iniuſtè & ſine fundamento) prætendant, tales ſuas in religione innouationes voluntate noſtra & conſenſu inſtituendas eſſe; quæ res nobis nõ parum moleſtiæ ac difficultatis parit: idq́ꝫ eò magis, quòd nobis imputetur, quaſi huiuſmodi inconuenientia negotia & proceſſus, qui non niſi ad exterminium Chriſtianæ religionis noſtræ tendunt, vel in minimo indulſerimus, cũ talia nunquam pati aut ſuſtinere, multò minùs permittere vel vlli mẽs fuerit. Atqꝫ ideò vobis & ſingulis, poteſtate præſertim Cæſareâ, ſub euitatione grauiſſimæ inclementiæ noſtræ & pœnæ, hoc ſeriò ac ſeuerè mãdamus, & volumus, vt neqꝫ prædictos nouos prædicantes, neqꝫ illorũ ſeductricẽ doctrinã & ſectas apud vos recipiatis ac permittatis; ſed eiuſmodi prædicãtes doctrinã & ſectas rurſum abrogetis atqꝫ explodatis, omnes inſtitutas in religionis negotio innouationes tollatis, eisq́ue per omnia renuntietis; priores etiam Paſtores veſtros & Curatos in officijs

ſuis &

ſuis & muneribus defendatis ac toleretis, as vos veræ Chriſtianæ religioni noſtræ, quẽadmodũ à Catholica Eccleſia primũ inſtituta eſt, & hucusq; laudabiliter recepta, & retẽta, planè conformetis, hæc omnia, vti obedientes decet, obſeruetis, nec ſecus faciatis, quàm vobis Summa noſtra inclementia & pœnæ euitatio grata eſt & accepta. Nam ſi mandato huic noſtro morem non geſſeritis, & potius refractarios & inobedientes vos exhibueritis, conſtitutum nobis eſt, contra tales rebelles, propter inobedientiam, eo modo, quo decet, procedere. Hoc omnibus & ſingulis vobis in cautionem proponere voluimus, vt quales vos exhibere hoc rerum ſtatu debeatis, non ignoretis. Datum ſub ſigillo noſtro in ciuitate noſtra Bruxellenſi Brabant. II. Octobr. Anno 44. Imperij noſtri 24. Regnorum verò 29.

Carolus.

V. Boiſot

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium.

I. Obernburger ſſt.

Capitulum monet Decanos & paſtores, &c.

Eo cæſaris edicto, Eccleſiarum valuis vndiquaque per diœceſin affixo, ſingulis ruralibus, vt vocant, Decanis & Præpoſitis, tum & vrbium diœceſis ſuæ parochis, multa exemplaria libri ab ſe editi capitulares transmittunt, monentque, vt officij ſui memores, omnes in obedientia continere, nec quempiam noua dogmata afferentem admittere, ſed potius omni conatu obſiſtere, repellere ac amoliri velint. Atque vt vel quiuis, quid homines iſti ſub Reformationis nomine intendant & doceant, clarius ipſa luce videat, communicare ſe aliquot ſcripti ſui contra Archiepiſcopum exemplaria, quę paſtoribus & animarum curam agentibus porrigere debeant, ex

ſint, ex quibus illi contra ſubrepentes hæreſes & tela depromere, & ne quid agant, cuius poſtea pœniteat, quodque defendere non poſſint, præcauere queant. Cùm verò Epiſcopus re intellecta, contra hoc & Imperatoris & Capituli ſui mandatum Paſtores rurales ad approbationem Reformationis ſuæ, ſubmiſſis nouis concionatoribus, vrgeret, Canonici miſſis iterum legatis atque literis actionem ſuperiorem repetunt, & duo ſe flagitaſſe pridem ad ipſo dicunt. Primum, vt ab inſtituto mutandæ religionis deſiſteret, & generalis Concilij decretum expectaret; deinde vt nouos Prædicantes extra diœceſin relegaret. Ipſum verò precibus ſuis contemptis progredi, neque petitioni ſuæ locum dare, quod quidem magnam calamitatem toti patriæ ſit allaturum; ideoque per amorem Dei enixè petere & obſecrare, vt ſui muneris fideique memor, qua ſit Colonienſi Eccleſiæ, Summo Pontifici Imperatorique obſtrictus, concionatores illos remoueat, & rem totam ad publicam vſque determinationem differat. Quòd ſi verò nec hoc faciat, adhibendum ſibi apud ſuperiorem Magiſtratum ea media, quibus & ſuæ conſcientiæ conſulant, & iram Dei procul auertant. Inuitos quidem eò deſcendere, ſed tamen ſi facere compellantur, nihil quod ad defenſionem ſui faciat, omiſſuros.

Epiſcopus edicto Cæſaris & Capitulo contrarius.

„ *Cùm ne ſic quidem efficerent quicquam Metropolitani, ſub initium menſis Octobris, vnà cum reliquo Colonienſis Eccleſiæ Clero, cum Rectore magnifico, totaq; Vniuerſitate, in æde primaria conueniunt. Ibi cœtu facto, cui præſidebat Collegij Præpoſitus Ge-*

Digitized by Google

» orgius Dux Brunſuicenſis. poſtquam Syndicus de
» ſcripto recitaſſet, quibus difficultatibus atque angu-
» ſtijs per Archiepiſcopi ſui in religione innouationes
» diœceſis inuoluta eſſet, vt extremum malis adſer-
» rent remedium, ad Pont. Max. & Cæſar. Maieſt. ſu-
» premum Magiſtratum ſuum prouocant, eorumq́; or-
» dinationi ac tutelæ ſe ſuaq́; omnia cõmittunt. Prouo
» cationis eius ſiue appellationis forma eiuſmodi erat.

» Quãdoquidẽ diuino pariter & humano iure, certa
» forma tractandarum & agendarũ cauſarũ Eccleſia-
» ſticarum, tàm quæ ſacroſanctæ fidei, & religionis no-
» ſtræ doctrinam, quàm Eccleſiarũ ordinationem ad-
» miniſtrationemq́; & diſciplinam concernunt, ſalu-
» berrimè conſtituta & ſancita ſit, quam nulli, cuiuſ-
» cunque etiam dignitatis, gradus, ſeu præeminentiæ
» fuerit, quouis modo infringere, ſeu tranſgredi conce-
» ditur: Ea videlicet, vt inprimis nemini liceat, quæ
contra vnamquamque hæreſim coacta ſemel Syno-
dus, pro fidei communione & veritate Catholica &
Apoſtolica promulgaſſet, nouis retractationibus quo-
modolibet immutare. Deinde vt ſi recens vlla quæ-
» ſtio de doctrina fidei & religionis noſtræ ſuboriatur,
» quæ hactenus dijudicata non ſit, ea ad vniuerſalis
» Concilij determinationem reijciatur. Si verò de ad-
» miniſtratione ordinationeq́; Eccleſiarum & diſci-
» plina quæſtiones nouiter inciderint, hæ ſi quidem mi-
» nores fuerint, ad Prouincialem Synodum Canonicè
» & legitimè conuocandam: Sin maiores & difficilio-
» res extiterint, ad ſedem Apoſtolicam referantur,
» vtque ea relatione pendente, nemo aliquid audeat
» innouare. Et quidem quod ad authoritatem Epiſco-
» palem attinet, ſimili modo compertiſſimum ſit, eam
» in Eccleſia Dei non in deſtructionem, ſed in ædifica-
» tionem (vt Apoſtolus ait) poſitam & collocatam eſ-
» ſe, idq́; potiſſimum, vt vigilãti eius inſpectione hære-
ſum, & ſchiſmatum ſemina tollerẽtur. Proindeq́; li-

Colonięſium ad Pontificẽ & Cæſarem prouocatio.

queat hæc quæ ſequũtur ad Epiſcopi officiũ quàm maximè pertinere, veluti quibus neglectis, neceſſe ſit ſchiſmata cumulatim irrũpere. Primũ, vt vbi apertè Dominus, vel eius Apoſtoli & eorum ſequaces ſancti Patres, ſentẽtialiter aliquid diffiniuerũt, ibi Epiſcopus non nouam legem ſtatuere præſumat; ſed potius quod diffinitũ & prædicatũ eſt, ad animam & ſanguinẽ confirmare & defendere nitatur & cõtendat, vtq; ſacris Canonibus (quorũ cuſtos vocatur) nedũ ipſe debitã reuerentiam exhibeat, ſed & à ſuis ſubditis exhiberi procuret. Secundò, vt in adminiſtratione ſacroſanctorũ Sacramentorũ, nobis ab Apoſtolis & illorũ ſucceſſoribus ex inſtitutione Chriſti traditorũ, eam regulã & normã diligenter obſeruet & à ſuis clericis obſeruari faciat, quã ipſe ab Apoſtolica Eccleſia, veluti per manus traditã, accepiſſe diggnoſcitur, à qua etiã vlla temeraria nouitate recedere ſibi graue nefas eſſe ducat. Tertiò, vt nôrit ſe vocatũ in partẽ ſollicitudinis, nõ in plenitudinẽ poteſtatis; Eaq; de re eã obedientiã, quã ipſe ab his, quibus Prælatus eſt, exigit, ſe ſuis quoq; maioribus depẽdere debere. Poſtremò vt in adminiſtrãda Eccleſia hoc ante omnia ſpectet, quò lupos ab ouili Chriſti, hoc eſt, hæreticos & ſchiſmaticos à ſua Eccleſia vigilãti cura abarceat, vt alienæ vel pollutæ cõmunionis clericos ſeu à ſuis Epiſcopis ſegregatos, & præſertim perfidos monaſteriorũ deſertores & apoſtatas monachos, omneſq; alios, qui vlla hæreſeos ſeu ſchiſmatis labe aut ſuſpicione vel cõmaculati vel grauati ſunt, à ſe rerumque Eccleſiaſticarum adminiſtratione procul repellat. Eoſque modis omnibus prohibeat alienas inſilire parrochias, ordinarijſque rectoribus & paſtoribus vllam moleſtiam inferre: Eccleſiam verò ſuam, non priuato ſeu exterorum, ſed ſuorum presbyterorum & clericorum conſilio regat ac gubernet, ſuoſq;

Officium Epiſcopi, quod, & quale ſit.

clericos quaſi clericos honoret, vt ipſi à clericis quaſi Epiſcopo honos deferatur. Etſi Metropolitanus ſit, ſine ſuorum comprouincialium Epiſcoporum Conſilio in cauſis communibus nihil agat. Quæ item eorum accedente conſilio ſemel benè ſtatuit, ea rurſus priuatim ne abroget, præcipuam verò ſui primarij Capituli, à quo electus & præpoſitus eſt, rationem habeat, ac intelligat ſe & Capitulum ſuum vnum corpus conſtituere, in quo non deceat, caput omiſſis membris alieno conſilio in communibus Eccleſiæ negotijs vti. Quod id (non dubium) fuerit & honeſtati & Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire, veluti quibus expreſſim cauetur, vt Epiſcopus in Eccleſiæ ſuæ negotijs fratres ſuos requirat, & cum eorum vel maioris partis conſilio eadem peragat & pertractet, & quæ ſtatuenda ſunt ſtatuat, & errata corrigat, & euellenda diſſipet & euellat. Quum enim Iura & dignitates Eccleſiæ per Epiſcopũ, & Capitulũ pariter poſſideantur, & in re communi potior ſit prohibentis conditio, conſequi ſanè eſt neceſſe Epiſcopum non poſſe priuata authoritate ſuæ Eccleſiæ, vel Capituli conditionem deteriorem facere, ſeu ſibi ſoli arrogare, quod communiter expediendum eſt. Iam verò & id in facto manifeſtum ſit, qualiter iamdudum Apoſtolica Sedes Martinum Lutherum, omnesq́; illius complices, adhærentes, receptatores, fautores, & ſectatores, vt inobedientiæ filios Schiſmaticos & hæreticos ab omnibus euitandos declarauit. Qualiter item ſacratiſſima Cæſarea Maieſtas pro Imperialis Maieſtatis officio at debito, necnon zelo ac ſtudio defenſionis Catholicæ & orthodoxæ fidei, accedente conſilio & aſſenſu Electorum, aliorumq́; Principum Ordinumq́; ac Statuum Imperij eiuſmodi Apoſtolicæ Sedis ſententiam exequendo,

publi-

*publico edicto, authoritate Imperiali, decreuerit, »
commemoratum Martinum, ſuosq́ complices, adhæ- »
rentes, fautores, & ſectatores, pro talibus, vt decla- »
rati ſunt, ab omnibus habendos & vitandos eſſe, ſub »
criminis læſæ Maieſtatis, & amiſſionis feudorum & »
bonorum omnium, gratiarum quoque, & priuilegio- »
rum à ſe, & ſacro Imperio dependentium, nec non »
proſcriptionis & Banni, interdictiq́ Imperialis pœ- »
nis, quemadmodum in eodem edicto latius contine- »
tur & habetur. Quod poſtea in Comitijs Auguſtenſi- »
bus anno Milleſimo quingenteſimo triceſimo cum »
maiori & vberiori declaratione renouatum eſt. Et »
rurſus in Ratisbonenſibus anno Milleſimo quingen- »
teſimo quadrageſimo primo (vbi de religione collo- »
quium eſt habitum) hoc inter omnes Imperij ordi- »
nes conuentum, vt omnes articuli de Religione in v- »
niuerſale concilium, ſeu ſi id obtineri non poſſet, in »
nationale, aut ſi vtrumq́ ſucceſſu careret, in gene- »
ralem Imperij conuentum referrentur, prout relati »
ſunt. Vbi & hoc quoque diſertè ſtatutum, quòd Præ- »
lati Germaniæ, non quidem pro ſuo arbitratu, aut »
ex improbatorum & aduentitiorum hominum con- »
ſultatione, ſed inter ſe, & cum ſuis, quibus præeſſent, »
Chriſtianam Reformationem meditarentur; ita ta- »
men vt pragmaticæ Auguſtanæ nihil derogaretur, »
ſed ſi quid fortè inde diſceptationis ſuboriretur, ſu- »
per eo Cæſareæ Maieſtatis declarationem expectã- »
dam fore. Cum primis autem, ne Proteſtantes inter- »
ea temporis quemquam ad ſe pellicerent attrahe- »
rentuè; quod quoque ſtatutum (quod ad relationem »
articulorum religionis in concilium ſeu ſaltem fu- »
tura Comitia. Quod item ad prohibitionem coactè »
vel pellacis abſtractionis ſeu defectionis à priſca re- »
ligione attinet) in nouiſſimis Comitijs Spirenſibus »
confirmatum conſtat. Denique & hoc manifeſtum »*

 ſit qua-

Digitized by Google

Archiepiſcopus Hermanni conſilia & conatus in ſubuertenda religione Catholica.

ſit qualiter Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter Dominus Hermannus ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Princeps Elector, &c. (qui & cõmemorato edicto & Imperij decretis ſubſcripſit) anno milleſimo quingenteſimo triceſimoſexto in hac Metropolitana Eccleſia cum ſuis comprouincialibus Epiſcopis, ac commemorato ſuo Capitulo, necnon prælatis totoq; clero ſuæ diœceſis, perſonaliter conſtitutus, prouinciale concilium, ad præſcriptum ſanctorum Canonum celebrauerit, & in eodem communi & matura conſultatione præhabita, quandam Catholicam Reformationem in hac ſua diœceſi, donec alia melior per Sedem Apoſtolicam ſeu concilium (quorum iudicio etiam tum ſuam ſubiecit) ſuccederet, obſeruandam promulgauerit & publicauerit, quæ vno cum inſtitutione doctrinæ Chriſtianæ etiam num impreſſa extat. Cui quoque neque præfatum ſuum inſigne Capitulum, neque clerus, quominus per Canonicam viſitationem aliasque legitimas vias ad debitam executionem deduceretur, vnquam obſtiterunt, ſed potius ſeſe ad eiuſmodi ac aliam quamcũque Chriſtianam & Catholicam Reformationem (modò Catholicè & Canonicè inſtituatur) paratos ſemper obtulerunt, prout offerunt. Quamobrem præmiſſis omnibus ſic ſe habentibus & (vt meritò erant attendenda) attentis, non licuerit præfato Reuerẽdiſſimo Domino noſtro Archiepiſcopo aduerſus iſta ſolo ſuo priuato, ſeu extero conſilio, prædictis partibus meis, & præſertim ſuo Capitulo inconſultis, in ſuæ Eccleſiæ, cleri, & ipſorum ſucceſſorum, præiudicium aliquid præſumere ſeu attentare, & multo minus aduerſus hæc à ſe præſumptis & attentatis, omnibus ipſorum pijs & obſequioſis admonitionibus & deprecationibus ſpretis, inhærere, & duriora indies ordiri & moliri. Nihilominus tamen his omnibus

bus malè conſideratis, Celſitudo ſua Reuerendiſſima, quàm plurima contraria præſumpſit, fecit & attentauit, quibus etiam in præſentem vſque diem inhæſit, & indies plura ſimilia præſumere & attentare ſatagit. Principio enim Martinum Bucerum hominem monaſticæ profeſſionis deſertorem, & bis inceſtis nuptijs pollutum, quarum primas cum votifraga moniali, alteras cum bis vidua (vt quæ initio Oecolāpadio, & deinde Capitoni, alteri olim monacho & vtriſque presbyteris, impiæ Sacramentorum ſectæ coryphæis, nefariè nupta fuit) contra legis diuinæ & humanæ interdictum, contraxit. Qui & non tantum ſe Lutheri, ſui magiſtri diſcipulum, & memoratorum Oecolampadij & Capitonis (quibus etiam ſanctitatis titulum affingit) Symmachum & ſocium, editis publicè libellis, profeſſus eſt. Sed & Argentinæ alijſqúe in locis, Sacramentaria ſeu Berengarianæ & Iconoclaſtarum hæreſion præcipuus autor, illicqúe ſeditioſæ euerſionis Altarium, & imaginum, ac abolitionis Miſſæ, aliarumqúe piarum Cæremoniarum, & diuini cultus (in Eccleſia Catholica hactenus vſitati) necnon diſſipationis monaſteriorum, & ſuppreſſionis Eccleſiaſticæ libertatis incentor, & tantorum facinorum ſignifer fuit. Hunc inquam Bucerum ſua Celſitudo Reuerendiſſima, vnà cum alijs compluribus improbatis & ſchiſmaticis concionatoribus, cum eodem conſpirantibus, qui itidem omnes ferè perfidi deſertores monaſtices & apoſtatæ ſunt) ad ſe præfatis ſuis, capitulo & clero inſcijs, & vbi innotuiſſet, fortiter reclamantibus acciuit. Eoſqúe ſua priuata authoritate, Andernaci, Bonnæ, Lynzij, Kempenæ, angularibus videlicet, & medianis oppidis, alijſqúe in locis huius diœceſeos, prædicationi verbi, ſeu

Archiepiſcopus Bucerum Monachum apoſtatam miniſterio Eccleſiæ præfecit.

Digitized by Google

» *concionibus præfecit, prabita eis licentia alienas Ec-*
» *cleſias, ſeu parochias, in iniuriam verorum paſtorum,*
» *eo prætextu inſiliendi, & eorum ordinaria officia*
» *præoccupandi. Secundo, tametſi ſæpe memoratum*
» *ſuum Capitulum vnà cum Clero & celeberrima V-*
» *niuerſitate generalis ſtudij, huius inclytæ ciuitatis*
» *Colonienſis, Celſitudinem ſuam reuerendiſsimam di-*
» *ligenter & crebrò commonefecerint, ipſi neque Iure*
» *diuino, neque humano, licuiſſe Bucerum, & ſui ſimi-*
» *les Schiſmaticos, verbi prædicationi præficere; ta-*
» *metſi item doctrinam Buceri (quam ille ſe Bonnæ*
» *profiteri, & diſſeminare libello Germanico in hoc pe-*
» *culiariter edito teſtatus eſt) innumeris Schiſmati-*
» *cis, & ſeditioſis articulis ſcatere manifeſtè oſtende-*
» *rint, prout iudicium Cleri & Vniuerſitatis (quod hic*
» *repetitum volo) præter alia multa ſcripta ad Reue-*
» *rendiſsimam celſitudinem ſuam, ea de cauſa miſſa*
» *demonſtrat Et proinde Celſitudinem ſuam in publi-*
» *co conuentu omnium ſuorum ordinum huius diœce-*
» *ſeos obſequiosè & ſuppliciter obteſtati ſint, vt ab-*
» *legatis & amotis iſtis Schiſmaticis & ſeditioſis de-*
» *clamatoribus, in antiqua religione perſeuerare, &*
» *vel reformatione iampridem in ſuo prouinciali con-*
» *cilio edita, in præſentia contentus eſſe. Sin minus a-*
» *liud prouinciale Concilium, ſecundùm Canonum præ-*
» *ſcripta, (vbi de Reformatione legitimè agatur) in-*
» *dicere, vel denique generale concilium, quod tunc*
» *indictum erat, aut ſaltem publicum Imperij con-*
» *uentum, qui inſtabat, (ad quæ cauſa iſta Religionis,*
» *omnium Imperij Ordinum conſenſu accedente, vt*
» *ſuperius commemoratum eſt, relata erat) expecta-*
» *re dignaretur. Adeò tamen his omnibus nihil profe-*
» *cerunt, vt Celſitudo ſua Reuerendiſsima ſuum inſti-*
» *tutum acrius vrgendo, volumen quoddam, ſatis ma-*
» *gnum & longum, ſub nomine Reformationis per ſe-*
ctarios

*ſtarios iſtos componi & conſcribi, & commemoratis ››
ſuæ diœceſeos Ordinibus, publico conuentu ad hoc in- ››
dicto, exhiberi fecerit. Quanquam item tum præfa- ››
tum inſigne Capitulum per ſuum Decanum, aliosq; ››
ex ſuo gremio capitulares, Canonicos, nuntios, & ››
commiſſarios ad eiuſmodi conuentum deputatos, ››
cauſæ huius ſublimitatem & pondus, cum omnibus ››
circunſtantijs, per ſuam Reuerendiſſimam celſitu- ››
dinem meritò penſandis, magna cum diligentia, pro- ››
ut res exigebat, rurſus repeti & exaggerari fece- ››
rit, humiliter ſupplicando, ne ſua Reuerendiſſima ››
celſitudo, in re tanta, quid præcipitantius ageret, a- ››
liud tamen quàm breuem admodum dilationem ››
(intra quam, quæ ipſi Capitulo in eo libro diſplice- ››
rent, ex ſcripturis refellere deberet) non potuit im- ››
petrare. Præterea quanquam idem Capitulum in- ››
tra eiuſmodi dilationem (etſi multo breuiorem, ››
quàm prolixitas tanti voluminis, tam longè excur- ››
rentis poſcebat) iam dictum volumen diligenter in- ››
ſpexerit, & per Theologos orthodoxos doctos pios & ››
Catholicos viros, inſpici & examinari fecerit, illud- ››
que quantum fieri intra tantillum temporis potuit, ››
diligenter inſpectum & examinatum compluximis ››
reſperſum articulis, partim hæreſim ac ſchiſma ſa- ››
pientibus, partim ſcandaloſis & piarum aurium of- ››
fenſiuis, partim cum Eccleſiaſtica Oeconomia, ex ››
diametro pugnantibus, & ferè ijſipſis, quos imprimi- ››
mis Sedes Apoſtolica, & Cæſarea Maieſtas, ſuo e- ››
dicto in Luthero damnauit, deprehenderit. Et ad in- ››
ſtuendum ſuper his, Celſitudinem ſuam Reueren- ››
diſſimam, quoddam Orthodoxum & Catholicum ››
ſcriptum refutatorium, quod Latinè verſum Antidi- ››
dagma viſum eſt appellare, (in quo ſigillatim tales ››
articuli annotati & per ſcripturas ſacras orthodo- ››
xosq;, & Catholicam Eccleſiæ Doctrinam, & San-* ››

" ctorum Patrum conſenſum & diffinitionem reproba-
" ti comperiuntur) conſici curauerit (quod etiam ego
" Syndicus pro iuſtificatione præſentis appellationis
" hic repeto,& pro repetito haberi volo) illudque tum
" Celſitudini ſuæ Reuerendiſſimæ cum magna ſubmiſ-
" ſione tranſmiſerit, vnicè obſecrans, vt tale ſcriptum
" diligenter perlegere, & quæ illic, ad propugnatio-
" nem fidei,& religionis noſtræ Catholicæ bona fide &
" ſynceriter adducta non dubitant, animaduertere,
" illiſque attentius librum ſuum obtenſæ reformationis
" ſupprimere dignaretur, à Celſitudine ſua Reueren-
" diſſima nihil minus expectantes, quàm quòd eo no-
" ſtro ſcripto ſpreto & contempto,& forſan nunquam
" lecto, neque ordinibus ſuis diœceſeos, ſeu illorum de-
" lectis (prout tamen in antedicto conuentu pollicita
" erat ſe facturam) communicato, volumen ſuum im-
" primendum curare, edere, & in publicum emittere
" debuiſſet; nihiloſecius tamen Reuerendiſſima ſua
" Celſitudo, his omnibus poſthabitis, praua & ſedu-
" ctrice ſuggeſtione eorum, qui volumen illud pro ſua
" libidine congeſſerunt, circumuenta, idem volumen,
" etſi ab autographo ſcripto ſuo Capitulo prius miſſo,
" & communicato, valde diuerſum typis æneis excudi
& imprimi. Et primùm quidem complura exempla-
ria huc illuc, deinde verò in comitijs Spirenſibus pro-
ximis, inter complures Germaniæ Principes ſpargi
fecit. Iam verò demum in nundinis Franckfurdien-

Spargit volumen ſuum per totam Germaniã.

" ſibus ad natale virginis matris proximè præteritum
" habitis,& nunc quidem in hac inſigni Agrippina Co-
" lonia ea etiam publicè & paſſim venum exponi, &
" diuendi curauit & curat; In quorum ſanè proœmio
" inter cætera,& hoc conteſtatur, ſe iam ſecum planè
" deliberaſſe & conſtituiſſe, in ea doctrina, quæ hoc ſuo
" volumine continetur, velle perſiſtere, eamque quã-
" tacunque diligentia poterit, executioni committere,

pro-

*promouere, tueriqúe. Nec ſuper ea diutius ne ad ho-
ram quidem, quorumcunque hominum commune aut
priuatum iudicium expectare, quemadmodum etiã
quæcunque in volumine illo habentur, per modũ præ-
cepti digeſta ſunt, & vt ſtatim exequenda promul-
gantur, prout etiam nunc paßim ſchiſmatici illi præ-
dicantes, quos Celſitudo ſua Reuerendißima in hãc
diœceſim inuexit, ad illius ſuæ obtenſæ Reformatio-
nis præſcriptum, atque etiam ſæpe deterius & ſedi-
tioſius ſua improbata & damnata dogmata vbiuis
ſpargere, ſummo conatu, adnituntur, veris & legi-
timis paſtoribus & animarum curatoribus illis cede-
re iußis & abactis. Quibus & nunc ſuæ Reuerendißi-
mæ Celſitudinis mandatis identidem iniungitur, vt
illis ſectarijs Sacramentorum adminiſtrationem, in
ipſorum Eccleſiis exercere permittant, non quidem
ad Eccleſiaſticam & Catholicam formam, ſed nouo
planè more, lingua Germanica, & quemadmodum
prædicantibus iſtis videtur, hoc eſt, non ſine veterum
ſolemnium precum (quibus Beatus Auguſtinus tan-
tum tribuit, vt de his diceret, quod legẽ credendi lex
ſtatuit ſupplicandi) abrogatione piarumqúe & à tẽ-
poribus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ad Sacramento-
rum exhibitionem vſitatarum cæremoniarum, nec-
non à tot ſeculis vniformiter obſeruatæ Miſſæ & ſa-
cri Canonis, (in quo corpus & ſanguis Domini conſe-
crantur) nefaria abolitione. Quin & nunc eò ventum
eſt, vt cõmemoratis ordinarijs paſtoribus, & anima-
rum curatoribus, alijsq́; Eccleſiarũ presbyteris ac cle-
ricis, per Reuerendißimam ſuam Celſitudinem ſub-
inde diſtrictè mandetur, ne vel officium prædicatio-
nis exercendo, vel in Eccleſia diuina officia decantã-
do, breuiter, ne facto vel verbo pſeudoeccleſiaſtis illis,
vllo impedimento ſint, cum prohibitione Eccleſiaſti-
cæ iuriſdictionis hactenus exerceri ſolitæ; vt ta-
ceamus*

Digitized by Google

„ ceamus quòd à tempore, quo primùm Bucerus acci-
„ tus eſt, non ſine multorum infirmorum graui ſcanda-
„ lo & corruptione, circumlati ſint, ac etiamnum paſ-
„ ſim in hac diœceſi impunè circumferantur libelli o-
„ mnium pernicioſiſſimi. Qualis inter alios eſt libellus
Lutheri Hæreſiarchæ in Canonem Miſſæ planè im-
pius & blaſphemus, & libellus Ioannis Meynertzha-
gen apoſtatæ Monachi, moderni declamatoris
Bonnenſis, in locum Buceri ſurrogati (qui & re-
cens ſe inceſtis nuptijs conſpurgauit) ſub titulo.
„ Deß Chriſtlichen Bürgers handtbüchlein. ꝛc.
„ Blaſphemijs & impietatibus plenus, ſuo tempore in
„ deductione & proſecutione huius appellationis ſpe-
„ ciatim deſignandis, ad quem finem etiam prætacti
„ libelli, pro iuſtificatione eiuſdem appellationis, hic
„ repetuntur. Iam vt ante dictum Capitulum, vnà
„ cum Clero ciuitatis Colonienſis præfatum, Reueren-
„ diſſimum Dominum noſtrum, de his non ſemel admo-
„ nuerit, & vt in Meynertzhagen alterius libelli au-
„ thorem, & in impreſſores & diuenditores vtriuſque,
„ Bonnæ & alibi commorantes, animaduerteret, re-
„ quiſiuerit; eius tamen nihil potuit obtinere. Quo fit,
„ vt idem Meynertzhagen, & cæteri prædicantes iſti,
„ ſuis hæreticis & Schiſmaticis ad populum declama-
„ tionibus, verbum Dei miris modis adulterare, Sacra-
„ menta & illorum adminiſtrationem Eccleſiaſticam,
„ & Catholicam palàm irridere, blaſphemare, &
„ contemptim explodere, plebem in ordinem Eccleſia-
„ ſticum concitare, & nihil aliud in hac diœceſi, quàm
„ diſſentiones, contentiones, æmulationes, rixas, ſe-
„ ctas, inuidias, atque adeò cædes, & ſubinde violentas
„ turbationes, publici diuini cultus, (quales nuper
„ Andernaci, Bonnæ, Kempenæ, & alibi magno cum
„ piorum gemitu, præter omnem ſubſequutam ani-
„ maduerſionem, quam leges grauiſſimam requirunt,
viſa

Permittit vſum & lectionem librorum hæreticorum.

Molitur interitum Colonienſis Eccleſiæ.

viſæ ſunt) excitare pergunt. Ex quibus omnibus nihil aliud tandem (niſi tamen oportunis remedijs tantis malis tempeſtiuè obuiam eatur) ſequi eſt neceſſe, quàm prædictæ Eccleſiæ Metropolitanæ, & totius Cleri, hucuſque inſignis diœceſeos, indubitatam euerſionem, almæq; huius, & Catholicæ Vniuerſitatis, atque adeò veteris veræ & Catholicæ religionis exturpationem omnis obedientiæ diſſipationem. Denique rerum omnium horribilem & deplorandam confuſionem, non ſine graui metu, ſenſim ſubſecuturæ finalis ruinæ, totius inferioris Germaniæ, quod ea ferè tota à conſtantia fidei & religionis, inclytæ Agrippinæ Coloniæ impreſentiarum ab hæreticis & ſchiſmaticis circumlatrantibus periculoſiſſimè obſeſſæ dependere videatur. Quum itaque omnia & ſingula præmiſſa ſic, vt præſcribitur, ſe habeant, eaqúe præfatus Reuerendiſſimus Archiepiſcopus noſter, quamlibet monitus & interpellatus, emendare planè negligat, Imò, vt ex veridica relatione intelligitur, Reuerendiſſima Celſitudo ſua intendat, quæcunque in prædicto ſuo libro obtenſæ Reformationis continentur, per quandam præpoſteram viſitationem, operâ ſuorum ſchiſmaticorum effectui mancipare, & interim ſacris canonibus caueatur, quod ſicut laudabile diſcretumq; eſt, reuerentiam & honorem exhibere prioribus, ita viciſſim rectitudinis, & Dei timoris ſit ſi quæ in eis ſunt, quæ indigent correctione, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum (quod abſit) corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite: Et proinde Prælati antedicti, & Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ, vti proxima mēbra, vnà cum toto Clero teneantur hæc tam grauia nedum omni ſolicitudine & viuacitate indagare; ſed & ſuperioribus ſuis, cuiuslibet perſonæ gratia & fauore (quæ veritati cedere debent) longè

poſtpoſi-

Digitized by Google

" *poſtpoſitis, vijs legitimis intimare, ne ſi in his pigri &*
" *negligētes reperti fuerint, eorum omnium apud Deū*
" *ſe reos, & participes faciant. Et rurſus caueatur,*
" *neminem clericorum Apoſtolicæ offenſæ futurū im-*
" *munem, qui, ſi quid in Eccleſia damni, vel quæ ſint*
" *prohibita, Pontificem viderit facientem, id diſſimu-*
" *lauerit, præſertim in cauſa fidei, pro cuius ſincerita-*
" *te retinenda, quilibet Chriſtianus, & inprimis Cle-*
" *rus ſe totum impendere, & pro Eccleſia Dei ſeſe vel-*
" *uti murum, contra omnem hominem opponere tene-*
" *tur, ne facientis culpam contrahat, qui quod poteſt*
" *corrigere, negligit emendare. Quod & tanto magis*
" *ipſis incumbit, ne ſcilicet propter ſuam diſſimulatio-*
" *nem & negligentiam, (quam ſcrupulo occultæ ſocie-*
" *tatis non carere canones definiunt) pœnas priuatio-*
" *nis omnium & ſingulorum ſuorum priuilegiorum, iu-*
" *rium, & bonorum, ex vi Imperialis edicti ſupra com-*
" *memorati, quod nedum in facientes, ſed & conſen-*
" *tientes diſtringitur, amittant. Denique cùm Iure*
" *expreſſe cautū ſit, quod ſi ex facto Epiſcopi aliquod*
" *præiudicium ſeu iactura Eccleſiæ quomodolibet ge-*
" *neretur, ſeu generari veriſimiliter timeatur, tū poſ-*
" *ſe, & debere Capitulum tali facto obuiare & con-*
" *tradicere, atque etiam ab eodem appellare, quodquè*
" *Epiſcopus tali appellationi, ſub grauiſſimis pœnis a-*
" *lioqui incurrendis, deferre teneatur. Hinc ego Syndi-*
cus præfatorum Dominorum Prælatorum, & Capi-
tuli Eccleſiæ Metropolitanæ, ac ſecundarij, & vni-
uerſalis Cleri, necnon Rectoris & totius almæ Vni-
uerſitatis ſtudij Colonienſis, & eo nomine reſpectiuè
ſentiens, eandem Eccleſiam Metropolitanam, om-
neſquè alias Eccleſias, Monaſteria, & pias domos,
totumquè clerum huius inſignis ciuitatis Colonien-
" *ſis, imò totius diœceſeos, & hanc inſignem Vniuerſi-*
" *tatem, & illius membra, per commemoratas indebi-*

Colonienſes coguntur contra Archiepiſcopū Supremi Magiſtratus auxilium implorare.

tas &

*tas & inconceſſas præſumptiones, nouationes, recu- ,,
ſationes, & denegationes præfati Domini noſtri Ar- ,,
chiepiſcopi, & alia præmiſſa per Reuerendiſſimam ,,
Celſitudinem ſuam, quomodolibet, in, & circa præ- ,,
miſſa, aliena magis circumuentione, quàm dedita o- ,,
pera facta & procurata, grauiſſimè læſos, & graua- ,,
tos. Timeamque partes meas veriſimiliter tempo- ,,
rum ſucceſſu plus lædi & grauari poſſe. Idcirco & ne ,,
mora longior, ingens periculum afferat, ab eiſdem ,,
partibus meis hactenus inflictis, & adhuc perdurā- ,,
tibus, & in futurum forſan infligendis grauamini- ,,
bus omnibus, melioribus modo, via, iure, cauſa, & for- ,,
ma, quibus melius & efficacius poſſum, & debeo, pro ,,
eiſdem partibus meis, omnibuſque alijs, & ſingulis, ,,
ſucceſſu temporis huic appellationi adhærentibus, & ,,
adhæſuris, ad ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & ,,
Dominum noſtrum Dominum Paulum eius nominis ,,
tertium Sanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pō- ,,
tificem maximum, ſanctamque Sedem Apoſtolicam ,,
Legatumue miſſum, vel mittendum; necnon etiam ,,
ad Inuictiſſimum, & glorioſiſſimum Principem, & ,,
Dominum noſtrum Dominum Carolum, Romano- ,,
rum Imperatorem ſemper Auguſtum, Regem Ca- ,,
tholicum &c. Dominum noſtrum Clementiſſimum, ,,
vti religionis noſtræ ſacroſanctæ & Eccleſiæ Dei ſu- ,,
premum aduocatum & protectorem, & eorum, quæ ,,
in eiuſmodi cauſa religionis hactenus definita ſunt ,,
legitimum executorem, &c. coniunctim & diuiſim, ,,
& prout cuiuslibet harum ſummarum poteſtatum ,,
officium hæc res concernit, (cùm in executiuis ,,
ſimus) in his ſcriptis prouoco & appello, mihi- ,,
que à vobis Reuerendo Domino & Illuſtriſſimo ,,
Principe Domino Præpoſito & Archidiacono Ec- ,,
cleſiæ Metropolitanæ, necnon almæ Vniuerſita- ,,
tis ſtudij Colonienſis Cancellario digniſſimo, ,,*

pari-

„ *pariter & vobis Notario publico, ſeu alio quocun-*
„ *que dare & concedere valente Apoſtolos ſaltem te-*
„ *ſtimoniales, primò, ſecundò, tertiò, inſtanter, inſtan-*
„ *tius, & inſtantiſſimè, dari peto & repeto. Subijciens*
„ *me & præfatas Metropolitanam, aliasq; Eccleſias,*
„ *monaſteria, & pia loca prædicta, totumq; Clerum,*
„ *& Vniuerſitatem ſtudij Colonienſis necnon & ſin-*
„ *gulares perſonas, eorundem & illorum omnium res*
„ *& bona, priuilegia, libertates, & Iura, ſingulari tui-*
„ *tioni protectioni, & defenſioni prædictæ ſanctæ Sedis*
„ *Apoſtolicæ & Cæſareæ Maieſtatis, ſolemniterq; &*
„ *expreſſè aduerſus omnes & ſingulos, cuiuſcunq; ſta-*
„ *tus gradus & conditionis fuerint, qui huiuſmodi ap-*
„ *pellatione pendente aduerſus prædictum inſigne Ca-*
„ *pitulum & Clerum, necnon & Vniuerſitatem ipſam,*
„ *eorumq; res & bona quidquam quomodolibet attē-*
„ *tare, præſumpſerint. Proteſtans de nullitate & pœ-*
„ *nis contra tales innouatores, tàm in Canonicis, quā*
„ *Imperialibus conſtitutionibus fulminatis, eo ipſo in-*
„ *currendis, deq; huiuſmodi appellatione intimanda,*
„ *inſinuanda, & proſequenda, loco & tēpore congruis*
„ *& oportunis. Saluo Iure addendi, mutandi, &c. Et*
„ *proteſtor, prout fuit & eſt moris, &c.*

Archiepiſcopus appellationem reijcit.

Accidit hoc ipſum, menſis Octobris die nona Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto. Quod vbi ad Archiepiſcopum literis quorundam Lutheranorum famaque perlatum fuit, edito ſcripto, appellationem illam aſpernatur prorſus, & veluti rem nullius momenti contemnit, eò, quòd, quemadmodum ſcribit, nihil abs ſe factum fuerit, quod ſit præter officium veri Epiſcopi, quandoquidem hoc ſolum, purum Dei verbum, vt vbique in Eccleſia populo traderetur, intenderit, atque ideò etiam ſpem habere, futu-

ſuturum, vt deinceps Clerus ab incepto deſiſtat. Sin autem, progreſſurum ſe nihilominus, & quod ſui muneris putet, ſeriò ſeduloque executurum, nullius in hoc priuatæ perſonæ reſpectu habito. Cæterùm quod id ſibi minimè licere Capitulum contendat, cùm propter alia multa, tũ verò eas ob cauſas, quòd expreſsè VVormacienſi edicto, alijſq; Decretis Imperij videatur cõtrarium, cui quidẽ ipſe ſubſcripſerit, ad hoc vix ſcire, quid reponat, quam figmentum eſſe & meram fabulam, tantum enim abeſſe vt edictum ipſum VVormacienſe approbarit, vt etiam reiecerit ſemper, & nedum viderit ante, quàm typis expreſſum in publicum prodierit. Fateri quidẽ, diſtractum variè, & multis locis per diœceſin ſuam ſparſum ad plurium manus deueniſſe; ſed hoc potius Conſiliariorum quorundam operâ, quàm iuſſu ſuo effectum eſſe, ac licet mandarit tum ipſe, vt voluntati Cæſaris mos gereretur, vniceque ſibi, hoc edicto monitis, ne quem reptãtium per Germaniam hæreticorum incautius admitterent, cauerent, edixerit, zelo non ſecundùm ſcientiam feciſſe, nunc verò melius edoctum facti eius vehementer pœnitere, omneſq; eam malle doctrinam ſecum profiteri, quam ipſe non ita pridem publico volumine Ordinibus ſuis propoſuerit approbandam. Quod de decreto Auguſtæ, anno trigeſimo facto, ſibi, quaſi fidẽ Imperatori violarit, cui pleriq; Principes tum, æternum ſe religioni catholicæ Romanæ adhæſuros, nec mutaturos quicquã in dominijs ſuis, promiſerint, obuertant, non videre quo fundamẽto nixi hoc audeant, cùm ſemper ſibi decretũ iſtud diſplicuerit, id quod & præcipui aduerſariorum, quos tunc cõſiliarios habuerit, teſtari poſ-

ri poſſint, quib⁹ ne quid eiuſmodi promitterēt, imo vt publicè contra teſtificarētur, in mandatis dederit; ab iſtis verò ſi quid præſtitū ſit, promiſſionesq́; factæ, eas ſe nunquā cōprobaſſe, ſed vel ut inanes ac irritas apud ſe iā dudū declaraſſe. Imò, poſito, promiſerit eo tēpore & hoc, ac in ipſum decretū iurarit, non tamē obligari nunc ad iusiurandū, in cauſa longè maxima, quę ſalutē animę, & totius Eccleſiæ Chriſti vtilitatē, quæ ſit omnibus decretis humanis longiſſimè anteponēda, concernat; cū pactū nullū aut iusiurādum, qualecunq; demū ſit, ſi honos Dei violari queat, vim vllā habeat. Quod prætereà de Ratisbonēſi decreto adferūt, pro ſe potius, quā illis militare; quādoquidē omnibus Epiſcopis & prælatis munus iniunctū ſit, in ſua diœceſi publicè reformationis inſtituēdæ; cui ipſum parere, quod & Eccleſiæ neceſſitas, & Dei honos requirat, æquum fuerit. Ad Bucerū quod attinet, iniuriā illi ſummā fieri, quod tantis conuitijs vir innocēs à Capitulo grauetur; nec ſibi exprobrandū, quod reformationi inſtitutæ adhibuerit, cū iā ante publicis Ratisbonę, & alibi, colloquijs à Cęſare adhibitus, nihil quā cōcordiā inter Germanos reſarcire ſtuduerit. Eſſe enim naturâ māſuetiſſimū, tū & ijs donis prędıtū, quę paucis ad ædificationē Chriſtianæ Eccleſiæ, diuinitus concēſſa ſint & elargita. Sed nec ſe priuato ſolū conſilio virum hunc accerſiuiſſe, negotiumq́; tā arduū demandaſſe, Gropperi quoq; & aliorū impulſu, qui ſibi hominē vehemēter cōmendarint, queadmodū & in ſua Sleidanus mythologia, ex Bucero refert, Argētorato euocauiſſe. Deinde hoc ſtante negotio, nihil in eo vſpiā deprehēdiſſe, quod in alicui⁹ ſcādalū vergat, aut Chriſti doctrinę repugnet,

ſed

ſed id potius animaduertiſſe, omnē laborē ſuum ſtudiūq; ad religionis reſtaurationē applicuiſſe, Id quod nō tantū de Martino Bucero, verū reliquis ſuis omnibus, quos Eccleſijs paſſim præfecerit, miniſtris, dictum velit.

Capitulares eo Principis reſpōſo accepto, rurſū, præmiſſis tamē nouis ad Epiſcopū literis, quibus denuò ab incepto opere enixè hortabātur, vniuersū vrbis & è cōfinio clerū, ac Vniuerſitatē ipsā cōuocāt, ad octauū mēſis Nouēbris. Præſentibus ea breuiter in memoriā reuocant, quæ hactenus vtrinq; ſe inter & Archiepiſcopum acta ſint; deinde quid iniūctū ipſis à Pont. Max. & Cæſ. Maieſt. fuerit, de ſcripto recitāt. Poſtremò cauſas reddūt, quib. adducti ad ſupremū Magiſtratū ſuū prouocarit, ipsāq; prouocatiōis formā ex inſtrumēto publico prælegāt. Qua prælecta, dicūt ſe, tametſi bona ſpes ipſos cū prouocarēt tenuerit, nimirū Rdiſ. D. ſuū, libello Appellatiōis ſuæ, maturè cōſiderato, cōſilia ſua mutaturū, nihilo minus tamē, quod nō ſine ingēti animi mœrore referāt, tale reſpōſū ad inſinuationē Appellationis eiuſmodi, à ſua Reuer. retuliſſe, vt niſi eandē Appellationē ſuā apud ſummū Catholicæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Pōtificē, & ſupremū eius aduocatū Cæſarē, legitimè proſequantur, actū planè de inſigni iſta Colonienſi Eccleſia meritò videatur. Ergò cū apud ſe hoc facere conſtitutum ſit, niſi tamē R.C.S. mentē ſuam cōmutet in meliorē ſententiam. Idcircò inprimis ſe præſentes omnes, Capitula & Conuentus, ac pias domos, Paſtores quoq; intra ſingulos Decanat⁹ ſuos rurales cōſtitutos, vti ſecū vnius eiuſdēq; Eccleſiæ & diœceſeos mēbra, nomine Cæſareę Maieſt. vigore quoq; Imperialis mādati ſuper hoc facti, in

Capitulum, Clerum & Vniuerſitatem conuocat.

Propoſitio Capituli.

Digitized by Google

Domino requirere ac monere, ne vllis ſuaſionibus, monitis, ſeu iuſſis, ſæpè memorati Reueren. Domini ſui, ſeu cuiuſcunque alterius quacunq; authoritate prædicti, ſinant ſe à vera, priſca, chriſtiana, & catholica fide, antiquaque religione, ac pijs & laudabilibus cæremonijs & moribus, cultuque diuino hactenus in ſacroſancta Eccleſia Dei laudabiliter frequentato, vlla ratione diuelli. Neuè permittant aliquid aduerſus eiuſmodi veram & antiquam religionem, cæremonias & diuinum cultum hactenus in catholica Eccleſia obſeruatum, quouis modo nouari ſeu attentari. Quin potius, vt vnà ſecum in commemorata fide & religione catholica, vſque ad aliam Oecumenicam concilij generalis, ſeu præfatæ cæſareæ Maieſt. & catholicorum Imperij Ordinum communi conſilio edendam Ordinationem, conſtantes & immobiles perſeuerent. Et ſi quid in Eccleſijs ſuis iam fortaſſis præpropere & inconſideratè nouatum fuerit, id pro virili ſua tolli, & in ſtatum priſtinum, vtpote catholicum, reduci faciant & procurent. Secundò cùm hæc religionis ſacroſanctæ cauſa ſit omnibus chriſtianis communis, & præſertim omnium Eccleſias non minùs quàm ſuas contingat, ſintque proinde coram Deo obſtricti & obligati, Eccleſiæ catholicæ vnitatem vſque ad ſanguinem ſecum defendere. Idcirco præſentes omnes, & Eccleſias, & Monaſteria, pias quoque domos ac conuentus, quorum nomine adſint, in ſimul & Paſtores intra ſuos Decanatus conſtitutos in Domino adhortatos & requiſitos velle, vti quoque seriò hortentur ac requirant, vt memoratæ Appellationi ſuæ (veluti ſana membra vnius eiuſdemq; corporis decet) adhæ-

adhæreant, eamq́ue ſecum donec Reuerendiſs. Dominus ſuus, ea grauamina, ob quæ appellatum eſt, ſuſtulerit, legitimè proſequantur, ad Dei Optim. Maxim. honorem, & ſuæ Eccleſiæ, pretioſo ſanguine Filij ſui Domini Ieſu Chriſti comparatæ, communis matris defenſionem, & Eccleſiaſtici Ordinis atque ſtatus conſeruationem. Hoc quoque ſpeciatim ab omnibus poſcere, vt hanc propoſitionem ſuam, capitulis, conuentibus, pijs domibus & Paſtoribus, intra cõmemoratos Decanatus, per vniuerſam Diœceſin conſiſtẽtibus, fideliter & diligenter exponãt, & curent, vt intra dies quindecim, aut ad ſummum viginti, ſingula capitula, conuentus, piæ domus, & Paſtores, publica Inſtrumenta ſuæ factæ adhæſionis ſibi huc mittere non prætermittant. Denique hoc præſentes omnes, & capitula, &c. quorum nomine huc venerint, commonefacere, vt ſinguli ſuis officijs Eccleſiaſticis, quibus deſtinati ſint, diligenter incumbant, vt vbique curetur, quò verbum Dei, & ſacroſancta Sacramenta, purè & ſincerè, ſecundùm Apoſtolicam & Catholicam traditionem, adminiſtrentur. Adhæc, vt Canonicæ preces, & laudes Deo, ſedulò, piè, ac religiosè reddantur: denique vt mores & vita omnium ad Dominica præcepta & Apoſtolicam & Eccleſiaſticam regulam corrigantur, emendenturq́;. Certè hæc ſi fiant, vt ea fieri eſt neceſſe, tum obtinente veritate & traditione Catholica, quicquid aliter ſe habet & veritatem ſimulat, inſuperabili ſtatui veritatis obiectum, facilè argui poſſe, & per ſe caſurum. Et quibus nunc, ob ſegnius adminiſtratum officiũ, & vitam contaminatiorem, omnia iuſto Dei iudicio aduerſantur, tunc piè colentibus & diligẽ-

tibus Deum, quēadmodum teſtatur Apoſtolus, cooperatura in bonum. Hęc, & alia multa in rem eam omnibus & ſingulis propoſuêre.

Capitulum Clerum & vniuerſos Ordines rurſum conuocat.

Non multò poſt, cũ Archiepiſcopus inſtitutũ ſuum vrgeret vehementius, ad decimum octauũ eiuſdem menſis, reliquos Ordines & clerum in vrbem rurſus euocant, omnibusq́; ab initio repetitis, Appellationē tũ quoq; pręlegũt, rogãtq́; ſimiliter, vt veluti membra Eccleſię huius, nihil contra vel religionē, vel cæremonias & reliquũ diuinũ cultum, attentari, aut innouari vel per ſe, vel per alios patiantur; ſed potius ratã vbiq; cõſtitutionē in Eccleſia habeãt, eiq́; per omnia adſtipulētur, & ſi qua in re alibi cõtra itũ ſit, corrigere, innouationesq́; abrogare & abolere ſtudeant. Deinde quia Sũmus Pontifex & Cęſarea Maieſt. ſeuerè admodũ, ne quid in rebus fidei mutetur, caueãt; petere, eorũ mandatis ne reluctētur, aut quidpiã agãt, quod in ſui poſtmodũ, totiusq́; diœceſis grauiſſimũ detrimētum cedat. Cõcionatores nouos, ſicuti cõſtituti ſint, muneribꝰ ſuis exuãt, eosq́; promoueãt, qui ritu Catholico, Dei verbũ, maiore cũ fructu, plebē edoceant. Ad extremũ cũ vtrinq; ſacramēto antiquitus ſēper obſtricti fuerint, mutuaq́; ad procurãdã patriæ ſalutē conſilia auxiliaq́; adhibere teneãtur, hoc idētidē flagitare, ſibi nę deſint, ſed in cõmune cõſultēt, quibꝰ medijs malis hiſce mederi, patriæq́ue priſtina trãquillitas & religio reſtitui, tũ demũ modus cõcordię inter ſe & Reuerēd. Dominũ ſuũ inueniri queat. Quod ſi fecerint, quēadmodũ confidãt firmiter, ſe viciſſim in re nulla ipſis vnquã defuturos, factũq́; ipsũ maximi beneficij loco habituros. Ad ea reſpondēt illi: Dolēter admodũ intelligere ſe, eo in cardine rē patriæ

triæ verſari, optimúmque Principē adeò nefariè à prauis hominibus circumueniri, qui sēper inter reliquos Imperij præſules hoc laudis tulerit, quod nō minus auitę fidei, quā & Chriſtianę cōcordiæ ſtudioſiſſimus extiterit. Inuitos equidem ad hoc opus requiri, vt quē tot iā annis Principē ſenſerint pacatiſſimū, ei ſe nūc in re tāti momēti opponāt. Rogare ſi quo pacto fieri poſſit, de alijs medijs, ne iſt negotio, vti ſeculares, admiſceantur, cogitent; hac enim via citius fortè animū princip s permotū iri. Replicāt illi, laborem eū inanē eſſe, non inde motū, ſed multò vehemētius irritatū iri animū eius, qui teſtatū iā palam fecerit, ſe quoad vita ſuppetat, ab hoc inſtituto minimè receſſurū. Itaq; ſi diœceſin perditū ire, ſi fidem catholicam extinctam, ſi deniq; ſe ſuoſq; dignitatib⁹ ſuis emotos nolint, id agāt, quod requiritur, & neceſſarium vel à quolibet exiſtimatur. Quid agāt? illinc erecta antiquitus pacta ſtatutaq; patrię, hinc capitulū in anguſtijs poſitum vehemēter vrgebant, ita quidē, vt iuſtiſſimæ petitioni, reiq; adeò neceſſariæ refragari ratione nulla poſſent. Subſcribūt ergò omnes prouocationi, quam pręlectam ipſis initiò diximus, ac fidem iuxta pacta pollicentur. *Subſcribunt Appellationi Ordines.*

Ea re cognita, Archiepiſcopus, cū præuideret hoc generali Ordinū conuētu habito, eaq; coniunctione animorum facta, nouas rurſum ad S. Pontificem & Cęſaream Maieſt. querelas contra ſe delatum iri, vt negotium nonnihil prorogaret, ſub finem Octobris hunc in modum ad capitulum ſcribit: *Quandoquidem literas veſtras,* „ *quibus nos officij noſtri, inſimulq; ad dilationem* „ *captæ reformationis noſtræ, & abdicationem nouorum* „ *prædicātium, quos hic & alibi non ita pridē numeri* „ *Archiepiſcopi ad Capitulum literæ.*

» *Eccleſiaſtico præferimus, vſque ad determinationẽ*
» *Oecumenici Concilij, monuiſtis, cum proteſtatione*
» *ea addita, qua animos veſtros hoc facto noſtro grauiter turbatos ſignificauiſtis, legerimus, expenderimusq́; noluimus præterire, quin viciſsim vobis ſcriberemus, mentemq́; noſtrã declararemus, Nos videlicet eo erga vos animo affectuq́; eſſe, vt nullæ petitioni veſtræ, modò ſine præpotentis Dei offenſa fieri poſsit, deeſſe cuperemus, multo minus vel minimã cõtra nos conquerendi anſam præbere, quemadmodum hactenus ſemper, & toto, niſi nos animus fallat, adminiſtrati Archiepiſcopatus noſtri tempore feciſſe arbitramur. Atque ideò & à vobis hoc expectauimus, futurum, vt à nobis præter ius & æquum, omneq́; id, quod vel honori Dei, vel conſcientiæ noſtræ deroget, peteretis nihil. Iam verò nullum apud nos eſt dubium, quin adhuc recenti teneatis memoria, quemadmodum veſtrum nonnulli, præter alios diœceſis noſtræ Ordines, in publicis conuentibus, præſertim anno 1542. reformationem aliquam piam inſtitui obnixè petieritis, propalam faſsi, non omnia, quæ antehac in religione, cæremonijs, ac cultu diuino, vſurpata fuerint, tam eſſe Chriſtiana, Apoſtolica atque Catholica, nulla vt emendatione egeant. Præterea, & hoc admiſeritis, non eam ſufficere tantummodò, quàm non ita pridem publicam fecimus, ſed aliam adhuc neceſſariam fore, modò ponderis quicquam intentio noſtra habere debeat. Atq́; hæc cũ ita ſe habeãt, meritò prætermittendũ nobis non erat, id exequi, quod munus noſtrũ iuſtiſsimè exigebat; videlicet iuxta Ratisbonenſe decretũ, per totã diœceſin noſtrã, accedẽte petitione veſtra, quãtũ quidẽ per diuinã gratiã potuimus, reformationẽ in rebus fidei ac morum ſuſcipere, eiq́; pios, doctos, & rerum vſu experientiaque probatos viros præficere, qui & eam*

verbo

verbo Dei conſentaneam, mandato noſtro, conſcribe- ”
re, ſubditis noſtris proponere, atque ſine humanis ”
traditionibus, purè, clarè Chriſtianeq́; prædicare, ac ”
denique imitandam omnibus porrigere poſſent. Qua- ”
re ſi in reformatione hac noſtra, vel per eos, quos de- ”
legimus, vnquam aliquid quod Verbo Dei, vel Apo- ”
ſtolicis traditionibus ac doctrinis repugnet, tradidi- ”
mus, hoc inautenticum & verbo Dei indignum, a no- ”
bis quoque reprobatum continuò fuiſſet, cùm tamen ”
& vos de Metropolitano Capitulo, & totus mundus ”
ad reformationis negotium nos incitaueritis: ſin au- ”
tem in opere noſtro non tradidimus, aut per deputa- ”
tos noſtros concionatores non docuimus quicquam, ”
quod verbo Dei aduerſetur, ſed planè cum traditio- ”
ne & doctrina Apoſtolorum conueniat, imò à Domi- ”
no ipſo impoſitum nobis ſuerit, & iniunctum, tunc ”
hoc ipſum omnes vos, veritati vel maximè conſonum ”
eſſe; nec ab eo nos reuocare, multo minus ad hominis ”
alicuius arbitrium iudiciumq́; recurrere debetis, et- ”
iamſi ad hoc nos nemo vnquam induxerit, modò hu- ”
manum iudicium diuino nolimus anteponere, aut ”
ſciſcitari, an Deo magis obediendum, quàm homini- ”
bus fuerit. Et quia ad eum modum hactenus ſi quan- ”
do requiſiti ſumus, nos reſoluimus, emendaturos ſci- ”
licet id, quod Dei verbo contrarium teneremus, non ”
ſolùm ſi à vobis, qui præcipua eſtis membra noſtra, ”
verùm & ab infimæ ſortis homine quodā hoc ipſum ”
nobis veriſimiliter oſtenderetur. Deinde etiam ſæ- ”
penumerò & oretenus, & ſcripto, & cumprimis ”
Bonnæ anno 1543. 23. Iulij in conuentu generali Or- ”
dinum a Deputatis ſiue Commiſſarijs veſtris, poſt ”
etiam Comitibus, Equitibus, & Ciuitatum legatis ”
ſignificauimus, rogauimusq́;, vt modeſtos aliquos pios ”
& doctos viros, noſtris, quos ad hoc negotium dele- ”
gimus adiungerent, qui conuentione facta, reforma- ”

,, tionis noſtræ conſtitutionem in manus ſumerent,
,, percurrerent, & quaq; iuſtis ponderibus exami-
,, narent, tum denique in eo quod pium, quod ſan-
,, ctum, quod Apoſtolicum, quod Chriſtianum eſt, con-
,, ſpirare, concordare manereq; poſſent. Tres etiam
,, reliqui Status, vt ſunt, Comites, Ordines, & Ciui-
,, tates idem approbarunt primò voluntatiq; noſtræ
,, adſtipulati ſunt, & poſtea, cùm intellexerunt à
,, vobis de Capitulo improbatum iri, totum in nos
,, negotium proſequendæ reformationis reiecerunt.
,, Atqui & nos (licet ex Antidagmate veſtro, vel
,, alias in rei veritate necdum cognouerimus certò,
,, quicquam in reformatorio ſcripto noſtro, vel præ-
,, dicatum traditumue à Concionatoribus noſtris, quod
,, verbo Dei, aut doctrinæ Apoſtolicæ repugnet, re-
,, periri) in cœpto reformationis opere diutius, quàm
,, forte coram Deo defendere poſſimus, ſubſtitimus;
,, interea tamen vos per diſtractionem Antidagmatis
,, veſtri & admiſſionē eius ad rurales Decanos, Colle-
,, gia, Monaſteria, Ciuitates, & reliquos ſubiectos no-
,, bis & ſanguine iunctos, anteuertiſtis. Ex quibus om-
,, nibus facilè conijcere liceat, nos in Chriſtianam
,, concordiam omni tempore pronos & procliues
,, fuiſſe. Et ſanè minimè exiſtimaſſemus, inſtitutum
,, noſtrum, quod ad ſolius Dei gloriam, & Eccleſiæ ſiue
,, fidelium ædificationem, ſuſcepimus, adeo malè à
,, vobis interpretatum iri, cauſamq; noſtram ſic vobis
,, odioſam fore, quam nunc primum experimur. Verū
,, quicquid horum ſit, vt, quàm concordiæ ſtudium ar-
,, dēter expetam⁹, manifeſtū euadat, videamurq; hoc
,, cū zelo promouere velle, idq; ſequi & amplecti, quod
,, verè Chriſtianū, Apoſtolicum, & Catholicū eſt, non
,, reſpiciēdo ea quibus antehac in propoſito noſtro, quâ
,, priuatim, quâ publicè, moleſtati atq; turbati ſæpè
,, fuimus, à parte noſtra non ſolum patimur, ſed roga-
mus ve-

mus vehementer & obteſtamur in nomine Domini Ieſu Chriſti, Saluatoris noſtri, nolle impoſterum vos amplius quanquam iuſtam cauſam habeatis nullã, querelis vel moleſtationibus alijs, quàm factum hactenus, nos interturbare; quin potius pios aliquos & doctos viros deputare, quod & nos facturos pollicemur, qui coniunctim opus noſtrum reuidendum examinandumq́ue ſumant, locaq; locis opponant & conferant, & quæ verbo Dei contraria reijciant, quæ conſona ſeruent, ſicq; in omnibus & ſingulis piè, Chriſtianè & Catholicè conſentiant: Qui præterea prædicantes reliquos & eorum aduerſarios præuio examine audiant, contentiones dirimant, ac omnia Dei verbo conforment. Quod ſi tum vel in vllo fundamento veritatis diuinæ & Apoſtolicæ ſcripturæ ac doctrinæ pars noſtra vacillare, aut à prædicantibus plus vel minus fieri doceatur, profectò nihil ad abrogationẽ atq; correctionẽ eius, adeoq; ad promotionem gloriæ Dei, & fidelium ædificationis à nobis prætermittetur, verùm potius ſumma diligentia laboreq;, quantum quidem per Dei gratiam liceret, omnia optato vt fine potirentur, anniteremur. Similiter, ſi oſtenderetur, nos Dei gloriam, ac veram Apoſtolicam atque Catholicam traditionem, hoc eſt, omne illud, quod nobis Chriſtus Dominus, & Apoſtoli eius velut depoſitorium reliquerunt, quodque per abuſum & corruptelas deprauatum eſſet, repurgare ac priſtino nitori reſtituere, inq; Eccleſiam rurſum & cathedras introducere cogitare; non dubitamus, quin tum & vos Deo gloriam daturi expẽdere apud animũ veſtrũ velitis, Dei præceptũ humanis traditionibus, imò proprijs noſtris deſiderijs ac cõuerſationi longiſſimè præferendũ eſſe, atq; adeò propoſitũ noſtrũ hoc vehementius & à vobis quoque promo-

" *promouendum. Quia verò ſecus accidit, & è contra,*
" *quod intendimus, quantumuis in ſcripturis fundatum ſit, ac ab ipſo Domino grauiter iniunctum, nouitatis arguitis, eoſque, qui de reformatione procurāda docent, apoſtaſiæ, ſchiſmatis & hæreſeos incuſatis, imo & nos quoque apud Supremum magiſtratum traducitis, vehementerq́; grauatis, vti hactenus magno animorum feruore præſtitiſtis; Non poſſumus melius quicquam agere, quàm præpotentis Dei, miſericordiſſimi patris noſtri, per vnigenitum Filium eius Dominum noſtrum & redemptorem, gratiam opemq́; implorare, & ea media, quæ is nobis præbuerit, vſurpare, eidemq́; deniq; totam cauſam noſtram, qui procurare ac ad ſui nominis gloriam melius dirigere poteſt, committere, id, quod de nobis diſpoſuerit, in hoc expectaturi. Atque hæc ſunt, quæ latere vos noluimus; enixè & ſumma diligentia vnum illud rogantes, vt cauſam hanc ſtrictius apud vos ponderare, nec amplius nos in hac ætate ſatis prouecta, ſuper eiuſmodi æqua & Chriſtiana reſolutione, contra conſcientiam noſtram, vrgere atq; moleſtare intendatis; id quod firmiter de vobis confidimus, ſumusq́; erga vos & aliàs fauorabiliter & gratioſè affecti. Datum Brulæ, Anno 44. menſe Octobri.*

Archiepiſcopus vrget Appellationis intermiſſionem.

Miſit & alias literas Capitulo & reliquis Ordinibus, triduo & amplius poſt, in quibus repetitis omnibus ijs, quæ ſupra ſcripſerat, & hoc quoque voluit, Appellationem contra ſe cœptam, vt intermitterent, fore alioqui, vt ijs vtatur medijs, quæ in rem hanc ſummè neceſſaria iudicet, &c.

Quibus omnibus prolixè admodum reſpondet Capitulum: ſe, quandoquidem cognouerit,

ægrè admodum R.C.S. ferre, factum iſtud, quo cum Clero, Vniuerſitate & Ordinibus, in reformationis introductæ negotio ſeſe oppoſuerit, ſummumque ſuper hoc magiſtratum interpellarit; itidemque grauiter conqueri, quod in ætate hac contra conſcientiæ dictamen, & Dei verbum Apoſtolicamque doctrinam & traditionẽ à R.C.S. roget quicquam; noluiſſe, imò nec debuiſſe aut potuiſſe prætermittere, quin R.C.S. ad omnia reſpondeat. Itaque nequaquam inficias ire, quòd per integrum iam biennium omni diligentia & ſtudio hoc ſolũ quæſierit, vt R.C.S. ab inſtituto iſto poſſit reuocare. In rem eam principiò demonſtraſſe, minimè R. C. S. licuiſſe, peregrinos ac nouos concionatores, eo, quo factum modò, Eccleſijs præficere, multo minus ſe inſcio, nec requiſitis reliquis Ordinibus, generalem reformationem prouinciali ſuo concilio è diametro repugnantem, diœceſi obtrudere. Secundò, etiamſi R. C.S. quod tamen non admittit, poteſtatem id faciendi habuerit, non debuiſſe per eiuſmodi homines, qui verbo Dei, & Apoſtolicæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ contraria docent, procuraſſe, cùm ipſorummet iudicium, ſiue liber iſte reformatorius ſic conſcriptus fuerit, vt nulla ratione admitti queat. Atque quod ita res ſe habeat, non nudis ſolùm verbis, ſed firmiſſimis argumentis à ſe ſæpius comprobatum. Spem eam quoque habuiſſe, R. C. S. Antidagma ſuum diligenter perlecturam, & cauſam tanti momenti iuſtis rationum momentis ponderaturam, locisque ſcripturæ adductis & vtrobique collatis, ſibi plus fidei, quàm nouatoribus & peregrinis prædicantibus, daturam fuiſſe. Verùm experiri nunc, quod non ſine ingẽti dolo-

Capituli reſponſum ad literas Archiepiſcopi.

ti dolore referat, R. C. S. in ſemel malè fixa ſententia & propoſito perdurare, atque hoc prętendere, quaſi iuſtam faciendi cauſam habuerit. Quod reformationem attinet, ſe ſemper veræ Chriſtianæq; cupidum fuiſſe, modo illa ordinariè ex vi verbi Dei & ſacrorum Canonum inſtituatur. Quod verò proponat iam & vrgeat R. C. S. vt præter ſeculares Ordines, pij aliqui atque docti viri deputentur à nobis, quemadmodum quoque ſe facturam recipit, qui de ſæpè dicta reformatione & Antidagmate noſtro, inter ſe conferant, locaque concilient; hoc ſibi quidē vehemēter probari, ac de medijs ijs iamdudum cogitare, per quæ commodius expediri queat. Interim tamen quo ſucceſſum aliquem bonum, & optatum finem negotium conſequatur, neceſſariam eſſe, remotis tantiſper nouis illis ex Eccleſia concionatoribus, prioris & fidei & cultus diuini, id quod prolixè probat, reſtitutionem, &c. Tertiò ſuperuacaneam etiam videri ſibi collationem illam eò, quòd Antidagma ſuum vbique verbo Dei conſonet. Diſputationem quoque cum ſecularibus Ordinibus ineundam, de rebus ijs, quas nec ſe, nec R. C. S. iudicare poſſit, ait, fruſtaneum prorſus eſſe. Sed nec à ſua parte quicquam difficultatis reſtare, cum mentem ſuam clarè ſatis aperteque declarauerit. Quod ſi verò quis ex Ordinibus dubium moueat, vel amplius quid requirat in ſcripto ſuo, de eo plenam informationem vel cuilibet denegatum non iri. Cui ſperat vel omnes acquieturos. Et ne piæ conciliationi ſe aduerſari R. C. S. arbitretur, conuocaſſe Ordines, quibus & rei cauſam propoſuerit, & de omnibus ſufficienter inſtruxerit,

Digitized by Google

ſterit, inſimulque & de medijs excogitandis, quibus turbæ ſopiri poſſint, modum præſcripſerit; ita, vt nec de illis quicquam dubitetur. Quartò, quia in hoc virorum congreſſu, intelligat, R. C. S. iudicandi ſibi & controuerſias decidēdi ius ſumpturam, & quidem ſecundum nudam literam, nec ad communem Doctorum Paſtorumq; ſenſum, qui in Eccleſia Chriſti ſemper habitus fuerit, reſpecturam, imò & quia hactenus & nunc ex poſtremis literis, abundè ſatis cognouerit, pro libro ſuo & prædicantibus nouitijs contra ſe ſuumq; Chriſtianum Antidagma ſententiam laturam, præuidere, quàm inanis & irritus conuentus iſte futurus ſit, & quàm ſit grauiter Deum offenſurum, ſi vel huic rei conſentiat, vel Eccleſiam ſuam in extremas difficultates adducendo, cum ſeductoribus illis & hæreticis, quos Scriptura vitandos velit, in collationem deſcendat. Sed quid ſcribat multum, ait, cùm fruſtra ſit, R. C. S. monitionibus ſuis locum daturam, quæ à principio eius mentis fuerit, librumque ſuum multò ante, quàm Ordinibus approbandum exhiberet, Typographo Bonnenſi cudendum tradiderit. Verùm vt & hæc prætereant, ne putet R. C. S. ſibi cordi prorſus non eſſe concordiæ ſtudium, hoc enixè rogare rurſum ac petere, R. C. S. prædicantes iſtos nouos omnes dimittat, & inſtitutam innouationem retractet; tum ſe cum Ordinibus & reliquis Statibus, in hoc negotio ſic progreſſurum, eaque conſilia adhibiturum, vt vel priori reformationi R. C. S. omnes pareant, vel nouum rurſus Prouinciale Concilium indicetur, in quo

Petitio Capituli Metropol.

Digitized by Google

in quo omnia iuxta Domini noſtri & Apoſtolorum doctrinam tranſigantur. Et hoc precari per pretioſiſſimum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ille ad colligendam Eccleſiam ſuam profuderit, huic petitioni locum dare non dedignetur, quòd æqua ſit & iuſta; inque eo laboret, vt ſi monitio vlla, iuxta dictum Apoſtoli, in CHRISTO valet, ſi vlla amoris eſt conſolatio, ſi vlla ſpiritus communicatio, ſi vlla denique ſyncera charitas & miſericordia, R.C.S. petitionem ſuam adimpleat, vt vnanimes effecti, hoc grauiſſimum ſchiſma tolli queat & extingui. Sin autem in eo adſtipulari ſibi R.C.S. nolit, grauaminaque in Appellatione ſua benè fundata abrogare, facilè perſuadere ſibi poſſe, non debere vlla ratione vel Appellationem intermittere, vel ab illis diſcedere, quæ proſequenda neceſſariò cenſeat. Adhæc, non niſi ijs acquieſcendum ſibi, quæ à S. Pontifice & Cæſarea Maieſt. deinceps demandata fuerint. Itaque ſperare atque confidere indubitatò, R.C.S. eum quoque honorem & reſpectum ſuperiori magiſtratui ſuo delaturam, & eius ſecum reſolutionem, quàm par eſt, ſtudioſè expectaturam. Atque tum ea impetrata, de legitimis medijs R.C.S. cogitare poſſe, quibus & ſe lubentes obſecundare paratos. Intereà tamen ſi maiores turbæ, ſtante negotio, vel motus vehementiores exorti animos grauius exacerbauerint, proteſtari, hoc ſe inuito & inſcio accidere, eius ſolam cauſam R.C.S. exiſtere. Atque hoc eſſe, quod R.C.S. latere noluerit. Rogare ergo identidem adhuc, ne ſe, ætatemque ſuam, & totam diœceſin tot malis implicare, ac poſtremò contra conſcientiam ſuam vrgere nihil vlterius pergat.

Digitized by Google

pergat. Quod de R. C. S. planè ſibi futurum perſuadeant, quam deinceps omni obſequiorum genere magis magiſque ſibi demerere cupiant.

Scriptæ hæ ſunt literæ eodem tempore, quintovigeſimo nimirum menſis Octob. & Metropolitani Capituli, S. Gereonis, & Vniuerſitatis ſigillis roboratæ. Sed effectum nihil. Princeps enim, contemptis Capituli ſeu Cleri & Ordinū precibus, ardentiùs reformationem ſuam proſequebatur, miſſis ad vrbes & oppida diœceſis nouis concionatoribus, qui exploſis Catholicis, Lutheraniſmi publicum exercitium introducerent. Atque tum, ſi quæ hactenus vrbes ad hoc deformatæ Religionis contagio liberæ remanſerant, tentatæ fuerunt, quarum multæ grauiſſimas turbationes pertulerunt, quæ ex doctrina & acceſſu horum præconum oriebantur. Inter reliquas VVerla, quæ eſt ciuitas VVeſtphaliæ, caſtro, quod Satrapæ domicilium eſſe ſolet, inſigni nobilis, graui motu eſt cōcuſſa. Nam cùm Princeps ex Prædicantibus Lutheranis huc aliquem ablegaſſet, iſq; ſparſo per ciuium domos volumine iſto reformatorio, multos ſenſim in hæreſim pertraxiſſet, Senatus vt didicit, indignè tulit, præconemq; ex vrbe repellens, in eos aduertit, qui contra mandatum ſuum aures temerario auſu homini præbuiſſent. Quod vbi vulgo innotuit, armis contra magiſtratum correptis, in forum agminatim confluxit, Curiamque cingens & armamentarium, libertatē Euangelicam erigi poſtulauit. Senatus vt erat prudens, miſſo Syndico ſic pleroſque commouit, vt poſitis armis domum repedarent. Atque hoc modò, tùm

Archiepiſcopus contemptu ſuorum precibus, progreditur.

VVerla & alibi tumultuantur Lutherani.

K quiz

quidem motus ille ſedatus fuit. Triduo verò poſt, longe periculoſior exortus, Catholicorum animos vehementer perturbauit. Cùm enim diuino quiſque officio vacaret, illi in foro rurſum conueniunt, cætuque facto in templum irruunt, non viri ſolùm, ſed & mulieres, quæ mixtim curſitabant, ac horrendis clamoribus horrorem præſentibus incutiunt. Exterrit ad rem inſolitam, Catholici quid negotij ſit, exquirunt. Reddunt illi, libertatis Euangelicæ cauſam nunc agi, quam principis iuſſu introductam, & publicè receptam velint. Rogant Catholici tantiſper ſe temperent, quouſque paſtor concionem abſoluerit, tum de toto negotio deliberaturos. At fruſtra petunt, quando præcipua quæque ſeditionum capita in Catholicos vulgus animarent. Ad extremum eò audaciæ ac furoris procedunt, vt Paſtorem ipſum è ſuggeſtu violenter deturbent, temploque multis verberibus, quæ & viri paſſim & mulieres, cùm libris, tum ſedibus, inflixerant, exceptum eijciant. Inde in ſacrarium & chorum proruunt, & quicquid furentium manibus deſeruit, quicquid oculis placet & arridet, abripiunt; pars ornamenta ſacerdotalia, pars mundum altarium, pars ipſas imagines, alij alia auferunt. Sacrilegio iſthoc patrato, non ſatis erat Eccleſiam violaſſe, ſed plateas adhuc obeunt, & luſtratione ficta Catholicos illudendo, more ſuo cantiunculis teutonicis per vrbem perſtrepunt. Quidam ex ijs ad cauponam digreſſi, ſpolia Baccho dedicant, feſtumque diem, re quaſi bene acta, celebrant. Inuenti nonnulli, qui Miſſam ad ludibrium & contemptum Sacerdotum

Sacrilegiũ Lutheranorum.

tum

tum affectato more, in publico diuerſorio, inſtituêre; quo in facto omnes ſenſibiliter diuinitus puniti fuerunt, cum primis verò principalis autor eius, qui plurimas cruces formando, ſingulas fulmina per riſum dixerat, in furorem actus; eas pœnas dedit, vt totum corpus, ſingulaque membra eius, quaſi fulmine tacta & confracta viderentur, ad extremam quoque inopiam ſub ſenium redactus, famis ſubleuandæ cauſa, oſtiatim panem emendicare, iuſto Dei iudicio, coactus fuit. Rei teſtis oculatiſſimus extitit Kleinſorgius, qui & ab alijs negotij totius proceſſum didicit, & hominem poſtmodum, eo quo dixi modo, quemadmodum in ſuo VVeſtphaliæ Chronico ſcribit, miſerrime afflictum vidit. *Horrenda hiſtoria.*

Quæ dum fiunt à nouatoribus, mandatu Archiepiſcopi, VVormaciam comitia Rex Ferdinandus indicit, Principum Imperij auxilia contra Turcam petiturus. Verùm cùm illa minus feliciter ſuccederent, inde Ratisbonam non multò poſt trauſtulit celebranda. Hic, quemadmodum & Francofurti, per Legatos ſuos principes Proteſtantes Archiepiſcopus ſollicitat, vt pro ſe apud Cæſaream Maieſtatem intercedant, animumque eius leniant, ſi quo modo canonici in ſe concitarunt. Suſcipiunt illi cauſam Epiſcopi, illam quam poſſint diligenter coràm Cæſare acturi. Sed & catholicos ſtatus adeunt, vtque vna ſecum pro Archiepiſcopo apud Imperatorem ſollicitent, efflagitant. Verùm cùm illi abnuerent, nõ quod, vt ſcribit Sleidanus, offenſionem metuerent, ſed quod ſcirent, decretis Imperij omninò contrarium eſſe; Legatos ſuos *Archiepiſcopi negotium Proteſtantes ſuſcipiunt.*

Traiectum ad Cæſarem, qui tum ibi morabatur, amandarunt, vt ſuo nomine Electoris Colonienſis negotium explicarent. Dedit ſimul & literas ad Granuellanum Landtgrauius, quibus ſignificabat, non ex Germania tantùm, ſed ex Italia quoque nunciari, alijſque locis, Pontificem atque Cæſarem contra Lutheranos bellum adornare, & velle tueri concilium, primoque vere facturos initium, ac fore, vt in Colonienſem Archiepiſcopum, ex inferiori Germania omnium primò fiat impetus, &c. Sed hæc vana eſſe Granuellanus in literis, quas ad Landgrauium reſcripſit, oſtēdit. Legatorum verò petitionem quod attinet, eius hæc erat ſumma: Vt ad cæteras religionis cauſas, hanc etiam Cæſar referat, & inſtitutam à clero actionem reſcindat, ſi qua vis ei fiat, non ſe poſſe eum negligere, ſignificabant. Ad eam reſpondit Cæſar per Nauium. Intellexiſſe Maieſt. ſuam cauſam legationis Principum, ac maximè dolere, ad eum modum inter Archiepiſcop. & clerum Colon. agi, vt hinc interceſſiones pro Electore, iſtinc à clero querelæ ad ſe continuò ferè ferantur, malle alio loco rem poſitam, quàm nunc experiatur. Interim tamen ſi Archiepiſcopus ab inſtituto ſuo deſiſtere, Maieſtatiſque ſuæ ordinationi & mandato parere cogitet, ac deinceps prouidere, ne quis motus oriatur, Maieſt. ſuam petitioni eius non defuturam. Non expectabat Epiſcopus quid reſponſi à Cæſare Legati referrent, ſed progrediebatur in cœptæ reformationis negotio, mittebatque, ſicut & ab initio, huc illuc Prædicantes ſuos apoſtatas, qui nihil non noui & magnos vbique tumultus excitabant. Hinc cogeba-

gebatur Capitulum, Appellationi ſuæ vehementius inſiſtere, ac Pontificem & Imperatorem auxilio inuocare, ad ſedandos motus qui ex hoc facto oriebantur. Quin & denuò ſe, totamque cauſam ſuam eorum diſpoſitioni committebat, vnicè rogans atque obteſtans, ne ſe in his anguſtijs conſtitutum deſerant, ampliſſimamque diœceſin hæreticis diripiendam permittant.

Imperator rei indignitate motus, cùm videret Archiepiſcopum monitiones ſuas & mandata prorſus contemnere, 27. Ianuarij, anno 1545. Scriptum ſatis prolixum VVormatiæ promulgat, quo publicè declarabat, ſe Colonienſes in tutelam ſuam recipere; inſimulque omnibus & ſingulis in Imperio ac ditionibus ſuis, ne quis ipſos in antiqua religione ſua, poſſeſſionibus, & bonis, iuſtitiaque, impediat, aut interturbet, iniungebat. Deinde & ipſum Archiepiſcopum citat, vt intra tredecim dies coràm Maieſtate ſua compareat, rationem ſui facti plenam redditurus. Iubebat etiã interea nihil vt innouare præſumat, ſed ſi quid eiuſmodi attentatũ ſit, in priorem ſtatum commutet. Quod cùm ille negligeret, ac aliquo tempore poſt, Procuratorem cum Appellatione quadam inani, & ab hęreticis conflata, qua ſe purgare (ſed fruſtrà) nitebatur, nec interim à propoſito recederet, Imperator, ſcriptis ad Principes & Status Auguſtanæ Confeſſionis literis, non poſſe ſe hos Archiepiſcopi conatus amplius diſſimulare, ſignificauit.

Imperator citat Archiepiſcopũ.

Principes, acceptis literis, non intermittendum cenſent ſuſceptum pro Archiepiſcopo negotium;

Principes Lutherani

Intercedunt pro Archiepiſc. gotium;ſed nouam rurſus legationē inſtituunt. Huic Landgrauius ipſe & Palatinus, & Legatus VVirtenbergici Principis, Gulielmus Marbachius,præficiuntur. Hi à Granuellano moniti, vt cum Cæſare Ratisbonam eunte, in via congrederentur, Spiram verſus iter ſuſceperunt. Atque hic Landgrauius priuatim Cæſarem adijt, multaque de rebus Proteſtantium, & turbato Germaniæ ſtatu locutus, Colonienſis Archiepiſcopi cauſam adducit, ac velut Scripturis, Patribus & Ratisbonenſi decreto conformem, Cæſari commendatam petit; paſtorem enim eſſe, adeoque officium paſtorale, vt bonum pabulum, inſtituta hac reformatione, proponeret, exegiſſe. Verùm hæc omnia luculenter admodum Cæſar refellit, oſtendens hoc minimè ſolius in Archiepiſcopi poteſtate ſitum fuiſſe, quique ipſe, cùm Latina vix tenuiter attigerit, quid ſub reformatione iſta moliatur, ignoret.

Citatur Romam Archiepiſc. Non multò poſt & Pontifex Romam Archiepiſcopum citat, vt ibi vel in perſona propria, vel per procuratorem ad depoſitionem & querelas Capituli, reliquique Cleri Colonienſis reſponſurus compareat. Verùm nec hoc ſuorum ſuaſu cùm faceret, ſed quo pede pridem cœperat, vlterius atque vehementius in opere malo progrederetur, Pontifex lata ſententia, illum quòd ſuæ ſalutis immemor, contra regulas & doctrinam Eccleſiaſticam, & Apoſtolorum traditiones, contra Chriſtianæ religionis conſuetos in Eccleſia ritus, atque cæremonias, contra Leonis Decimi cenſuram aduerſus Lutherum atque ſocios editam, non vno

modo

modo peccârit, ab Eccleſiæ communione (inquit Sleidanus) ſubmouet, & Archiepiſcopatu, cæteriſque ſacerdotijs omnibus & priuilegijs & facultatibus priuat, & ipſius ditionis populo mandat, in vniuerſum, ne deinceps ei pareant, iuſiurandum etiam, quo ſint ei deuincti, remittit, eique ſilentium imponit, & vt ſumptum litis aduerſæ parti reſtituat, edicit. Erant adiuncti Colonienſibus, Leodinus & Vtricenſis Epiſcopus, & Academia Louanienſis: ea ſententia Romæ poſt excuſa fuit, ad eum modum, vt ſequitur.

Archiepiſcopatu priuatur.

S. D. N. PAVLI DIVINA PROVIDENTIA PApæ Tertij

SENTENTIA,

Contra Hermannum, olim Archiepiſcopum Colonienſem lata.

Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius vices, licet immeritò, in terris gerimus, nomine inuocato, pro Tribunali ſedentes, & ipſum ſolum Deum, qui iuſtus eſt Dominus, & iudicat orbem terræ in iuſtitia, præ oculis habentes: Per hanc noſtram Diffinitiuam Sententiam, quam de Venerabilium fratrum noſtrorum, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ferimus in his ſcriptis, pronuntiamus, ſententiamus, decernimus & declaramus, in cauſa & cauſis, quæ coram

dilecto filio noſtro Marcello, tituli ſancti Marcelli Presbytero Cardinali, de Creſcentijs nuncupato, nobis in noſtro Secreto Conſiſtorio, ſicut moris eſt, referendis, & per eum nunc coram nobis, & eiſdem fratribus noſtris in dicto Conſiſtorio relatis, inter dilectos filios Canonicos, & Capitulum Metropolitanæ, ac alia Capitula Collegiatarum Eccleſiarum Colonienſ. necnon Abbates, Abbatiſſas, & Conuentus Monaſteriorum, tam virorum, quàm mulierum, & denique vniuerſum Clerum, tam ſecularem quàm regularem, ciuitatis Colonienſ. ac Regentem & Rectores, almamque Vniuerſitatem generalis ſtudij Colonienſ. Appellantes: necnon Venerabiles fratres Leodienſ. & Traiectenſ. Epiſcopos: & dilectos filios Canonicos & Capitula Leodienſis & Traiectenſis Eccleſiarum, & Abbates, Decanos, ſeu Vicedecanos, Clerumque Secundarium Leodienſ. & Capitula certarum Eccleſiarum Traiectenſ. ciuitatis: Nec non Rectorem & Profeſſores atque ſuppoſita quinque facultatum almæ Vniuerſitatis generalis ſtudij Louanienſ. Leodienſ. Diœceſis, eiſdem Canonicis, Capitulis, Abbatibus, Abbatiſsis, Conuentibus, Clero & Vniuerſitati dictæ Colonien. ciuitatis Appellantibus adhærentes, Actores ex vna, ac quendam Hermannum, tunc Archiepiſcopum Colonienſem, reum & conuentum & appellatum partibus ex altera, de & ſuper nonnullis innouationibus & exceſsibus, ac maximis grauaminibus, Metropolitanæ, & alijs Eccleſijs, totique Clero, & Vniuerſitati Colonien. prædictis per eundem Hermannum, tunc Archiepiſcopum Colonienſem illatis, & indies (vt metus erat) inferendis: prout in Inſtrumento Appellationis, & Appellationum, per Canonicos, Capitula, Abbates,

bates, Abbatiſſas, Conuentus, Clerum & Vniuerſitatem Colonienſem, huiuſmodi coram dilecto filio Georgio, ex Ducibus Brunſuicenſibus & Lunenburgenſibus, dictæ Metropolitanæ Colonienſ. Præpoſito, & Archidiacono, ac eiuſdem Vniuerſitatis Studij Colonienſis ſummo Cancellario, tanquam ſublimi & Eccleſiaſtica dignitate prædita perſona, interpoſitarũ, in Actis cauſæ & cauſarum huiuſmodi producto: Cuius tenorem de verbo ad verbum in calce præſentis ſententiæ, deſcribi voluimus, plenius continetur: necnon incurſu Cenſurarum & pœnarum in literis Inhibitorijs, per eundem Marcellum Cardinalem, vigore ſpecialis commiſſionis deſuper obtẽtæ, decretis, contentarum, rebuſq; alijs in Actis cauſæ & cauſarum huiuſmodi latius deductis, in prima ſeu vlteriori verſæ fuerunt & vertuntur inſtantia. Quæcunq; per eundem Hermannum, tunc Colonienſ. Archiepiſcopum, qui ſuæ ſalutis immemor, contra regulas & dogmata Eccleſiaſtica, ac Apoſtolicas Traditiones, necnon Chriſtianæ Religionis, hactenus in Eccleſia conſuetos ritus & Cerimonias, & felicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri literas, in quibus idem Leo prædeceſſor, pernitioſum & deteſtandum dogma, & doctrinam Martini Lutheri, eiuſq; ſequacium, complicum & adhærentium, damnauerat, reprobauerat, & ex Eccleſia Dei reiecerat, atque omnibus perſonis, præſertim Eccleſiaſticis ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac omnium & quorumcunque ſuorum Beneficiorum priuation. pœnis, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinẽda, ne quiſpiam huiuſmodi peruerſam doctrinam Martini, & aliorum prædictorum, aſſerere, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publicè vel occultè fauere præſumeret, aut cum dicto

Martino eiuſq; complicibus, ſequacibus & adhærentibus commercium, aut aliquam conuerſationem, ſeu communionem haberet, neq; eis neceſſaria adminiſtraret inhibuerat, ea temerè perpetrare auſus fuit, geſta, innouata & attentata, de quibus in Inſtrumento Appellationis & Appellationum huiuſmodi, fuiſſe & eſſe, temeraria, illicita, iniqua, indebita ſchiſmata & iniuſta, atque perperam & de facto præſumpta, illaq; præfato Hermanno, tūc Archiepiſcopo Colonienſi, facere minimè licuiſſe, neq; licere, ac per Canonicos, Capitula, Abbates, Abbatiſſas, & Conuentus, Clerumq; & Vniuerſitatem, ac adhærentes huiuſmodi, à præmiſſis, indebitis & iniuſtis grauaminibus ſic (vt præfertur) perperam geſtis, innouatis & attentatis, benè Appellatum, & de nullitate dictum fuiſſe & eſſe, ipſosq; Canonicos, Capitula, Abbates, Abbatiſſas & Conuentus, Clerumq; & Vniuerſitatem, & adhærentes huiuſmodi, ad illa ſeruandum, & ab Apoſtolicis & Eccleſiaſticis traditionibus, ac antiquis, & hactenus (vt præfertur) in Eccleſia Dei vſitatis cæremonijs, propter ipſius Hermanni, tunc Archiepiſcopi Colonienſis Mandata, præcepta & iuſsiones, recedendum, ipſisq; Mandatis, præceptis & iuſsionibus, etiam quaſcunque Cenſuras & pœnas in ſe continentibus, parendum minimè teneri ſeu aſtrictos fuiſſe aut eſſe, vel fore: Et propterea geſta, innouata & attentata huiuſmodi, reuocanda, irritanda, & annullanda fore & eſſe: Ac reuocamus, irritamus, & annullamus. Pariq; noſtra Diffinitiua Sententia, præfatū Hermannu, tunc Colonienſem Archiepiſcopū, Excommunicationis & Anathematis, necnon priuationis omnium & ſingulorum Beneficiorum ſuorum, etiam Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Prælaturarum, & quarumcun-

que

que dignitatum & officiorum, aliorumq; Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac etiam annuarum penſionum, Iuriumque & Priuilegiorum omnium & ſingulorum bonorum, etiam feudorum Eccleſiaſticorum, priuandum: necnon inhabilitatis ad quaſcunque Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica, etiam qualitercunque qualificata, & alias in literis Inhibitorijs huiuſmodi, per prædictum Marcellum Cardinalem, vt præfertur, decretis, contentas, pœnas damnabiliter incidiſſe & incurriſſe: Proptereaque ipſum Hermannum Archiepiſcopum, Archiepiſcopatu Colonienſi & Adminiſtratione Epiſcopatus Paderbornenſ. alijſque Prælaturis, Dignitatibus & Officijs, Canonicatibus & Præbendis, alijſque Beneficijs ſuis Eccleſiaſticis, quæ hactenus forſan obtinuerit: necnon Penſionibus annuis, Iuribuſque & Priuilegijs, ac omnibus & ſingulis bonis, etiam feudis Eccleſiaſticis, priuandum, atq; ad illa, & alia quæcunque, Dignitates & Beneficia, inhabilitandum eſſe: Prout priuamus, & inhabilitamus, ac priuatum & inhabilitatum eſſe Declaramus: Dictoſque Canonicos, Capitula, Abbates, Abbatiſſas, Conuentus, Clerum, Vniuerſ. & Adhærent. ac alios Epiſcopos eius Suffraganeos quoſcunque: necnon omnes & ſingulos Comites, Barones, Nobiles, Clientes, Præfectos, Præſides, Iudices, Locatenentes, Gubernatores, Schultetos, Burgimagiſtros, Conſules, Scabinos, & quoſcunque alios Magiſtratus, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Villas, Terras, & quæcunque alia loca, intra ambitum Diœceſis Colonienſis & Paderbornenſis, ac totius Prouinciæ Colonienſ. conſiſten. necnon Communitates, & perſonas ſingulares, præfato Hermanno, olim Archiepiſcopo Colonienſi, ratione dictæ Colonienſis

& ſeu

& ſeu Paderbornenſis Eccleſiarum quomodolibet ſubiectas & pertinentes, ſubiectaq́; & pertinentia ad aliquam obedientiam, tam circa præmiſſa per eum (vt præfertur) geſta, innouata & attentata, quàm omnia alia quæcunque præſtandum, minimè obligatos fuiſſe aut eſſe, aut in futurum fore. Et propterea illos & eorum ſingulos, à quibuſcunque Iuramentis & promiſsionibus, præfato Hermanno. olim Archiepiſcopo Colonienſi præſtitis, abſoluendos, liberandosq́; eſſe: Et abſoluimus & liberamus, ac Iuramenta huiuſmodi relaxamus: necnon ſuper omnibus & ſingulis prædictis, præfato Hermanno, tunc Archiepiſcopo Colonienſi, perpetuum ſilentium imponendum eſſe, & imponimus, ipſumq́; in expenſis, in huiuſmodi cauſa, pro parte dictorum Canonicorum, Capitulorum, Abbatum, Abbatiſſarum, Conuentuum, Cleri & Vniuerſitatis, ac adhærētium principalium, coram præfato Marcello Cardinali & Nobis factis, condemnandum fore, & eſſe, ac condemnamus. Quarum expenſarum taxationem, dicto Marcello Cardinali, in poſterum reſeruamus: Supplentes in ſingulis præmiſsis, omnes & ſingulos, tam Iuris quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint.

Ita pronuntiamus nos PAVLVS Papa Tertius.

Hoc inſtrumentū quia ſemel Statibus inſinuatum eſt hic omiſſū propter breuitatem.

Lecta, lata & publicata fuit ſupraſcripta Sententia Diffinitiua ſimul cum ſupraſcripto Appellationis Inſtrumento, per prælibatum Sanctiſsimum in Chriſto patrem, & Dominum noſtrum, Dominum Paulum, Diuina fauente clementia Papam Tertium, in Palatio Apoſtolico, ac Conſiſtorio ſuo ſecreto, in

to, in ſolio ſuæ Beatitudinis ſedentem. Sub anno à natiuitate Domini & Seruatoris noſtri Milleſimo, Quingenteſimo, Quadrageſimo ſexto, Indictiono quarta, Die vero decima ſexta Aprilis, Pontificatus prælibati Domini noſtri, Domini Papæ anno duodecimo: Præſentibus ibidem R. D. Steffano de Buffalis, & Alexandro Ruffino, præfati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Camerarijs, Clericis Romanis, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Nicolaus Halot Notarius rogatus ſubſcripſit.

Ea ſententia contra Hermannum lata, ne nouis Archiepiſcopatus difficultatibus inuoluerentur, alio miſſo diplomate, omne ius & authoritatem ſimul attribuit Adolpho Comiti Schauuenburgio, Ordinesque prouinciæ monet, vt eum pro Archiepiſcopo ſuo recipiant & agnoſcant: adhæc Cæſarem rogat, vt latam ſententiam, ſi Hermannus cedere nolit, exequatur. Exemplar literarum S. Pontificis ad Adolphum, quibus eum preſulem declarabat, hoc erat, quod ſubteximus.

Monet ordines Pontifex, vt Adolphum recipiant.

DILECTO FILIO COADiutori Colonienſi.

PAulus Papa Tertius. Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex literis, quas ad dilectos filios Clerum & Senatum iſtius inclytæ & maximè Catholicæ ciuitatis Colon. miſimus, cogno-

ſces

ſces id, quod tamen ſine noſtris literis optimè per te noſti, quam graues & neceſſariæ cauſæ nos coëgerint, vt Archiepiſcopum olim Colonien. Hermannum ſerius quidem quàm ſeueritas huius ſanctæ-Sedis, & mos prædeceſſorum noſtrorum poſtulabat, aliquando tamen de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Roman. Eccleſiæ Cardinalium conſenſu, deponeremus, & ex Eccleſia Catholica eijceremus. Cuius rei acta iſtuc mitti iuſſimus. Nunc iſtius Ciuitatis omni à nobis atque ab hac Sede, honore & laudi digniſſimæ, quieti & tranquillitati, pro noſtra paterna in eam charitate, tuoq́; ſimul officij debito conſultum cupientes, ne Paſtore illa diutius careat, Te præfati olim Archiepiſcopi Coadiutorem, hortamur, & pro noſtra atque huius Sanctæ Sedis authoritate tibi iniungimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, vt ſine vlla iam cunctatione ac mora, iſtius Eccleſiæ, quæ eiuſmodi cœleſtium nuptiarum vinculo tibi copulata eſt, quod reliquas omnes neceſſitudines longè ſuperat, Regimen, Adminiſtrationemq́; ſuſcipias. Eiuſmodi enim Cleri & Senatus Ciuitatis iſtius, de fide, virtute, prudentia tua teſtimonium habemus, vt futurum minimè dubitemus, quin boni ac ſapientis in regenda Eccleſia Paſtoris officio functurus in eis rebus, quæ ad Imperij Rom. ſtatum pertinebunt, paci ſemper & tranquillitati publicæ, quantum in te erit, conſulturus: nobis verò, atque huic Sanctæ Sedi, eam quam debes fidem, obſeruantiamq́; præſtaturus ſis. Nos quidem eo te ſtudio proſequimur, vt quæ ad commodum & honorem tuum pertinebunt, libenter, quantum cum Domino poterimus, tua cauſa ſemper acturi, & conceſſuri ſimus. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die tertia

tia Iulij, M. D. XLVI. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Blo. el. Fulgin.

Cùm verò admonitus aliquoties Archiepiſcopus, vt cœptum reformationis negotium intermitteret, non ſe poſſe, tuta conſcientia, diceret, Imperator, cui, vt ſupra memorauimus, executionem Pontifex commiſerat Legatis Coloniam miſſis, vniuerſæ diœceſis Ordines interpellat, vt Hermanno relicto, ad eum tranſeant, qui iam ſit ad Archiepiſcop. munus, à S. Pontifex delectus, eique, vt antiſtiti ſuo, deinceps morem gerant. Quod cùm plerique ſe facturos reciperēt, fuēre nihilominus ex nobilitate quidam, qui Hermannum retinendum allatis in medium rationibus, demonſtrarent. Sed ex Principis Cliuenſis, Theodorici Manderſchiti, & Gulielmi Nuenarij, Comitum interuentu, facilè ſunt diſſolutæ. Hinc quidquid monerent alij, hoc Principi perſuaſerunt, vt is motu proprio, ne propter ſe tota diœceſis bello vaſtaretur, iuſiurandũ omnibus remitteret, vltroq; Archiepiſcopatui renũtians, in Comitatũ VVedenſem ſecederet, vbi priuatã deinceps vitã egit, ad annum vſque 1552. quo rebus humanis exceſſit, 15. nimirum menſis Auguſti, ætatis ann verò 80. Suffectus autem in locum eius, Adolphus Comes Schauuenburgius, quicquid ab Hermanno anteceſſore innouatum erat, abrogauit, remotiſque ijs, & dignitatibus nudatis, qui hæreſin vnà promouerant, totam diœceſin ab omni hęreſeos

Archiepiſc. Hermãnus ſubditis iuſiurandũ remittit.

Succedit Hermanno Adolphus Comes Schauuenburgius.

ſeos

ſeos labe repurgauit ; quo in ſtatu ad Gebhardum Truchſeſium vſque permanſit, qui poſt Hermannum primus, non eam quidem, quam ille, ſed Caluinianam, ſubditis ſuis obtrudere, violenta manu, conatus fuit : quod quomodo ipſi ſucceſſerit, Michael ab Iſſelt, ſcriptor non incelebris, libris quatuor clariſſimè oſtendit, quos noſtro huic libello ſubiungere voluimus.

ARNOLDI MESHOVII LIPPIENſis, De defectione & Schiſmate Hermanni Comitis de VVeda Colon. quondam Archiepiſcopi, libri

FINIS.

BEL-

BELLI COLONIENSIS
Liber Primus.

DE
GEBHARDI TRVCHSESII ELECTIONE, *eiusq́ à fide Catholica deſectione.*

GEBHARDI Truchſeſij, Colonienſis quondam Archiepiſcopi, res domi foriſque contra Catholicam Eccleſiam geſtas ſcripturus, illud, amice lector, tibi perſuaſum habeas velim, nihil me, in fauorem huius, nec in odium alterius partis dicturum: ſed ordine etiam, ſicuti geſta ſunt, veriſsimè proſecuturum.

Adoleſcentia & ſtudium Truchſesij.

Gebhardus itaque Sueuus, perantiqua & illuſtri familia Baronum in VValburg, Truchſeſia cognomento natus; cum magnæ ſpei & bonarum artium auidus eſſet, adoleſcens multas Academias ſtudiorum gratia perluſtrauit. Deinde Romam profectus, ibidem aliquandiu ſubſtitit, & in conſpectu ſummi Pontificis, & Cardinalium, præcipuè verò laudatiſsimi Principis Ottonis Cardinalis Auguſtani patrui ſui, non ſine gloria verſatus eſt; Inde in Germaniam reuerſus, opera patrui clero adſcriptus, mox Auguſtæ Vindelicorum fit ſummi Collegij Præpoſitus, & apud Argentinenſes cathedralis Eccleſiæ Decanus, interque Ca-

nonicos Metropolitanæ Colonienſis recipitur. Interea Salentinus ex antiquiſsimis & clariſsimis comitibus ab Iſenburg omnium Capitularium aſſenſu electus Archiepiſcopus Colonienſis, cum Eccleſiæ decem annis, maxima cum nominis ſui laude, & Diœceſis vtilitate, præfuiſſet, cum nominis ſeu illius comitatus Iſenburgici maſculus hæres non eſſet, animo matrimonium contrahere deſtinauit: & cum diſpenſatione ſummi Pontificis (necdum ſacris erat initiatus) in pleno ordinum conuentu reddita ſuæ gubernationis ratione, Archiepiſcopatum, quem lateritium acceperat, marmoreum; quem ære alieno grauatum, liberiorem Capitulo reſtituit, ſeſeque omni Eccleſiaſtica & politica Diœceſis adminiſtratione abdicauit: magnum ſubditis tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis ſui deſiderium relinquens.

Capitulares quibus ius eſt nouum Archipræſulem eligendi, cum poſt trimeſtrem deliberationem ad nouam electionem procederent, duo inter illos, ſede hac Archiepiſcopali digniores præ cæteris eſſe videbantur, alter Sereniſsimus Erneſtus Bauariæ Dux, pro quo omnes Principes & Reges, ipſe etiam Cæſar, & Pontifex Romanus intercedebant: Alter verò Gebhardus Truchſeſius, qui vehementer hanc dignitatem ambibat, & eorum animos, ad quos electio pertinebat, maximè verò quos nonnihil ad Proteſtantium partes declinare ſciebat, partim promiſsionibus, partim perſuaſionibus, & ſubdolis inductionibus in ſua ſuffragia pertraxit. Hermannus Comes Nuenarius, cum intellexiſſet multorum animos in Ducem Bauariæ propendere, magna diligentia cauſam Gebhardi apud quoslibet agebat. Erat enim hic Comes alterius, quam Catholicæ religionis, & metuebat zelum potentiamque Bauari, ne ipſe Archiepiſcopus creatus, religioni ſuæ obeſſet. Ope igitur & induſtria quorundam aliorum Capitula-

pitularium, clanculum apud multos obtinuit, ne Bauarum, ſed Truchſeſium potius eligerent: multum enim linguæ volubilitate, atque eruditione pollebat, quibus nonnullos facile in ſuam ſententiam pellexit: atque hoc modo ipſi Truchſeſio nonnulla ſuffragia emendicauit. Cum itaque ad ſuffragationem ventum eſſet, iamque vota colligerentur, compertum eſt, quod Bauarus & Gebhardus in votis pares fuiſſent, ſi vnius ſuffragatoris calculus Bauaro, præter eos quos habebat, acceſſiſſet. Vnde non parua animorum exorta eſt diſſenſio. Gebhardus tamen Archiepiſcopalem ſedem (quam iuſto titulo iudicent alij) obtinuit. Bauarus autem ius ſuum volens defendere, ſedem Apoſtolicam appellauit.

Sequenti anno, vt eius electio à Pontifice Romano rata haberetur, iuramentum quod ab Archiepiſcopis & Epiſcopis iuxta canonum præſcripta Romana Eccleſia poſtulat, in præſentia multorum, Archiepiſcopo Treuirenſi, huic negotio à Pontifice præfecto, 30. iam annos natus ſolenniter præſtitit. nihilque quod ad confeſsionem Catholicæ fidei pertinebat omiſit. *Anno 1578. 24. April.*

Quo iuramento modo ac ſolennitate conſueta præſtito, Gregorius decimus tertius Pontif. Rom. (cum iam lis inter Sereniſsimum Bauariæ Ducem Erneſtum & Gebhardum Truchſeſium Romæ aliquamdiu pependiſſet) partim ob felicem Ottonis Cardinalis Gebhardi patrui recordationem, partim ſpecioſo pietatis titulo, quam mirum in modum qui cauſæ illius patrocinabantur, exaggerebant, inductus, tãdem Capituli Colonienſis iudicium & electionem, de Gebhardo factam approbauit, confirmationiſque Apoſtolicæ robur adiecit. Exiſtimabat enim (vt ipſe literis ſuis teſtatur) neminem eo aut Religionis orthodoxæ, aut S. Romanæ Sedis, aut etiam diſciplinæ *Confirmatio Gebhardi.*

Digitized by Google

Eccleſiaſticæ ſtudioſiorem vel obſeruantiorem fore.

Anno 1579. Rudolphus quoque eius nominis ſecundus Imperator Roman.cum ad compoſitionem tumultuum Belgicorum, Philippo Hiſpaniarum rege conſentiente, animum adieciſſet, exiſtimatione huius Gebhardi permotus, neminem hoc digniorem,qui negotio iſti præficeretur arbitratus eſt: in qua legatione Gebhardus aut verum ſe Catholicum,aut inſignem exhibuit ſimulatorem: nam præter alia,vt felix fauſtumque diſceptationibus daret auſpicium, tam celebrem, vnà cum vrbis Senatu, inſtituit ſupplicationem, vt nunquam Colonia viderit celebriorem.

In hac ſupplicatione præter Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, præter innumerabiles Sanctorum reliquias, pretioſiſſima ſigna, magmentariaq; fana,iucundiſſimum erat videre,tam infinitæ plebis deuotionem, tam ſupplicem vniuerſi cleri pietatem, tam ſinceram denique tot principum atque magnatum religionem. Etenim iuxta Sacratiſſimum diuini corporis Sacramentum,incedebant duo Electores, hinc Gebhardus ſcilicet Colonienſium, illinc Iacobus antiquiſſimorum Treuerorum Archipræſul: medius verò Legatus Pontificius D.Ioannes Baptiſta Caſtaneus,Archiepiſcopus Roſſanenſis Italus. Subſequebantur tres Illuſtriſſimi Principes, Reuerendiſſimus D. Iulius Epiſcopus Herbipolenſis, & Franconiæ Dux, Cæſareæ Maieſtatis Legatus: Carolus de Arragonia, Dux Terræ nouæ, Marchio Abulæ, Coneſtabulus regni Siciliæ,Philippi Regis Hiſp. Legatus, Princeps magnæ auctoritatis, & Regi ſuo charus;cum Philippo Duce Arſcottano, eiuſque filio Carolo,Principe de Cimey, duobuſque Abbatibus qui Ordinum Belgij legationem obibant.Condecorabant ſolennem hanc pompam & multi alij, ſummæ.auctoritatis & dignitatis viri,

viri, inter quos Otto Henricus Svvartzenburgius, Legatus Cæſ. Maieſt. Legati quoque Illuſtriſſimi Ducis Iuliacenſis: Maximilianus Arteſiæ Gubernator; denique & ampliſſimus ordo Senatorius vrbis Colonienſis.

Poſt hanc celebrem ſupplicationem, prædicti Principes omnes ſeptem continuos menſes maximis ſumptibus, atque infinitis laboribus cauſam pacificationis Belgicæ ventilarunt: ſed cum nihil efficere poſſent, re tandem infecta diſceſſerunt.

Gebhardus verò in tanta dignitate conſtitutus & confirmatus, paulatim luxui ſeſe mancipans, de priſtina virtute plurimum cœpit remittere, ære alieno grauari, nihil tali principe dignum agere. Malè à pleriſq; audiebat, & plurima de illo ſpargebantur, quæ quia ſuſpiciones & coniecturæ ſuorum æmulorum credebantur, ſpreta ſunt. Illud autem omnibus manifeſtum fieri incipiebat, quod in ſcortorum & concubinarum choro aſſiduus erat, qua vitæ impuritate, maculam gloriæ ſuæ nominis inferebat: quam vt nouo fuco tegeret, venenumq; quod iam pridem in animo conceperat occultaret, reſq; ſuas eo magis pro voto ſuo & animi ſententia, confirmaret, Sacerdotio ſe initiari fecit, hoc titulo priſtinam exiſtimationem volens conſeruare. *Gebhardus fit ſacerdos.* Cæterum muliercularum illecebris delinitus, tandem in amorem cuiuſdam virginis Veſtalis, è familia Comitum Mansfeldenſium, nomine Agnis, incidit: quam tam perditè adamabat, vt eius conſuetudine carere non poſſe videretur. *tio Gebhardi illicitus amor.* De cuius amoris initijs hæc circumferuntur: Erat hæc Agnes Canoniſſa (vt vocant) in Monaſterio Gerrisheim vbi Eccleſiaſtica præbenda gaudebat. Anno verò 1578. circa hyemem, viſendæ ſororis gratia, Coloniam profecta eſt: vbi tunc ſoror eius Maria, quæ breui Petro Erneſto Baroni à Kreichingen nupſerat, apud ciuem quendam diuerſa-

bantur. Manſit apud eam Agnes menſes plurimos, donec ſequenti anno Principes vtriuſque Germaniæ, pacis inter Philippum Regis Hiſpaniarum, & ordines Belgicos componendæ cauſa, Coloniæ conuenirent.

Venit eodem fortè fortuna Nigromanticus quidam inſignis Italus, nomine Scotus. Hunc confeſtim in ſui tutelam ſuſcepit Colonienſis Archiepiſcopus Gebhardus, plurimum illius illuſionibus, ſpectaculis & phantaſmatibus delectatus. Maleficio iſtius Nigromantici, in amorem huius Agnetis præcipitatus eſſe dicitur: vt qui in ſpeculo faciem illius, Electori adhuc ignotæ, repræſentaſſet. Familiaritas huius Nigromantici paſſim nota eſt omnibus. Sunt tamen plures, iјque graues viri, qui quod per hunc Gebhardus in notitiam Virginis veniſſet, fabulam eſſe vulgi arbitrantur, cum iam ante illam Gebhardo cognitam fuiſſe affirment. Vt vt eſt, hoc conſtat, conceptam ſemel flammam Coloniæ tunc temporis familiaritate fotam increuiſſe. Paulò poſt eodem adhuc anno, Petrus Erneſtus cum coniuge ſua Maria, & eius ſorore Agnete in Thuringiam (vnde erant oriundæ) iter inſtituit, vt nouos affines ſuos inuiſeret. Decimo quinto igitur Septemb. ſub veſperem, Bruelam, oppidum Germanico miliari Colonia diſtans (vbi Archiepiſcoporum Palatium eſt, & tunc temporis Gebhardus commorabatur) veniunt. Ea fama mox vt ad Archiepiſcopum perlata eſt, eos ad ſe in arcem vocat: ipſi verò (quia nox aderat) venire recuſabant: vinum igitur & cibaria mittuntur ipſis ex arce, & in ſequentem diem ad prandium vocantur: adſunt hora conſtituta: menſæ accumbitur: epulatur: potatur: ſaltatur: multi inconditi geſtus: multi laſciui aſpectus: multi petulantes contactus hinc inde. Protrahitur is luſus in multam noctem. Singulis tandem ſua cubilia aſſignantur. Gebhardus vino inflam-

inflammatus, amore dementatus, noctiſque & tenebrarum opportunitate inuitatus, Agnetem poſt multa de amore ſuo colloquia, tandem ad ſuum cubiculum, alijs vino ſomnoque ſepultis perduxit: totamque ibi noctem ſolus ſolam detinuit. Hoc furtum multis ſequentibus noctibus commiſſum eſt: primumque ab Agnetis pediſſequa, & Gebhardi cubiculario (cui profundum ſilentium ipſe credebat) detectum eſt. Poſt ſeptimanas verò duas, in Thuringiam pergit Baro cum coniuge. Agnes verò ipſis ſalutatis aut valedictis, in Muers ad Comitem Nuenarium ſe recepit. quam non ita diu poſt Gebhardus ſubſequitur, & aliquamdiu apud Comitem permanſit. Inde Cæſaris Inſulam profectus, Agnetem clanculum ad ſe vocauit, eamque ſeptimanas aliquot in arce latitantem detinuit, pauciſſimis huius rei conſcijs. Poſt paucos deinde menſes, Petrus Erneſtus eiuſque coniunx è Thuringia reuerſi ſunt, quibus gratificari volens Archiepiſcopus, Cancellariam (vt vocant) Bonnēſem habitandam dedit. Relicto etiā Nuenaro, Agnes Bonnam ſorori & marito reditum gratulatura, & apud eos permanſura, celeriter contendit. vbi pariter vſque ad annum 1582. ad aduentum Ducis Ioannis Bipontini, commorati ſunt. Hac de cauſa Gebhardus crebrius, quam antea ſolet, in arce ſua Poppelſtorff, quæ in agro Bonnenſi eſt, Aulam ſuam habuit: quotidie Agnetem inuiſebat, aut inuiſebatur ab illa: iucundas apud inuicem moras trahentes. Conſuetudo & familiaritas metum & pudorem extinxit: ita vt diutius celari furtiuus hic amor non potuerit, fama quoque id inuidente, quæ ſtatim multiplici populos ſermone replebat. Quid faceret hic Princeps natura quidem (vt videbatur) non malus, ſed amore cœcus? Serò enim meminerat iſtius Lucretiani.

Nam vitare plagas in amorem ne iaciamur,

Non ita difficile eſt, quam captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris diſſoluere nodos.

Quid inquam hic faceret? ſollicitat fœmina, titillat caro, mordet conſcientia: ſi non ducat, flamma quotidiana: ſi ducat anguſtum patrimonium, dos nulla, Archiepiſcopatus relinquendus erat: nec per vim eum retinendi facultatem vidit. Tandem cum turpe hoc facinus fratribus Mansfeldicis innotuiſſet, maximo ex tanta indignitate dolore, furoreque correpti fuerunt: adeò vt Comes Hoierus ſenior, & Patris in comitatus adminiſtratione ſucceſſor, ſororem propria manu confodere minaretur, vt quæ tanta macula domum & familiam Mansfeldicam aſperſiſſet. Sed duro huic nodo tandem cuneus inueniendus erat: magnis itineribus ad Gebhardum proficiſcuntur, cum ſtomacho rogantes eum, qua temeritate & audacia, Virginem tam generoſo & illuſtri natam ſanguine conſtupraſſet? & poſt multa dentata conuicia, tandem ei minantur, niſi Epiſcopatui renuncians, ſororem ipſorum, quam tam fœdo concubitu commaculauerat, Chriſtiano matrimonio cohoneſtaret, ſe rationes inituros, ne ſacrilegium iſtud manerent inultum. Gebhardus itaq; videns iuſtam illorum indignationem, in Aula magna Cancellariæ Bonnenſis, præſentibus Agnetis fratre Petro Erneſto Comite Mansfeldiæ, & Petro Erneſto Barone à Kreichingen, cum vxore Maria: alijſque nonnullis, è nobilitate ſua viris, fidem dedit, ſe relicto Archiepiſcopatu, Agnetem ſibi caſto & ſtabili matrimonio iuncturum. Facta ſunt hæc initio anni 82. poſt milleſimum quingenteſimum. Erat quidem in ea tunc opinione Archiepiſcopus, honorem vt deponeret. Sed is, cuius inſtinctu in præcipitium hoc inciderat, hoſtis humani generis, huic tam laudabili Diœceſi infeſtus, ratus ſe occaſionem nactum, iram ſuam nunc tandem in hanc Eccleſiam euomendi, omniaque

ſurſum

ſurſum & deorſum vertendi, aliud meditabatur. Intercedebat Archiepiſcopo magna familiaritas cum Comite Solmenſi, Nuenario, alijſque Caluiniani dogmatis hominibus. Illi nequaquam propter matrimonium Electoratus atque Archiepiſcopatus dignitatem relinquendam eſſe aiunt: non repugnare ſacerdotium & matrimonium perſuadent: Sacras literas & Imperij conſtitutiones, pro hac ſententia militare dicunt. Mulier quoque (quæ maioris erat apud ipſum auctoritatis, quam omnes Eccleſiæ Canones & decreta, omniumq; patrum definitiones) quotidianis blanditijs eum non difficulter in hanc ſententiam pertraxit: in affectuum enim atque perturbationum imperio, exulat omnis ratio, ſanumque iudicium. Viſum itaque fuit (vt ad ſcopum hunc perueniretur) Religionem mutare: idque non ſtatim, ſed per occaſionem faciendum eſſe: interim Gebhardus occultis voluptatibus frueretur.

Imperator iam pridem conuentum Auguſtæ Vindelicorum indixerat, vt inter Principes Imperij de ſeditione Aquiſgranenſium decreta fierent. Dictus dies præ foribus erat. Hanc oportunitatem nequaquam negligendam rati ſunt nonnulli, qui vel ex alijs Prouincijs ob hæreſin eiecti, Coloniam ſe receperant, vel ciues qui ab his ipſis corrupti erant: ſperabant enim ſi Magiſtratus publicum exercitium Religionis negaret, facilè ſe à Principibus Imperij, qui ad comitia conuenirent, id impetraturos. Libellum itaque ſupplicem Magiſtratui obtulerunt, quem totidem ferè verbis è Germanico latinum hoc modo fecimus.

Libellus ſupplex à Proteſtantibus Senatui Colon. oblatus.

Magnus eſt, Clementiſſimi Domini, conciuium noſtrorum numerus, quos conſcientia ipſa, fames ſitisq; Dei verbi, veri animarum pabulum pellit, motos procul dubio inſtinctu Spiritus S. qui bonarum omnium inſpirationum eſt auctor ad opem ac ſubſidium in hac animarum ſuarum neceſſitate implorandum. Cum itaque Deus ipſe, pater

 omnium,

omnium, per ſalutiferum Verbum ſuum, moneat, iubeatq́;, vt in huiuſmodi negotijs ad legitimum ac Chriſtianum Magiſtratum confugiamus, quemadmodum per Prophetam ait: Et erunt Reges nutritij Eccleſiæ & Reginæ nutrices illius: non potuimus nos, qui vera Dei Eccleſiæ membra ſumus, omittere, quin hanc extremam neceſſitatem, animarumq́; noſtrarum anguſtiam veſtris clementijs, vtpote legitimo ac diuinitus nobis dato Magiſtratui, ſimplici hoc libello ſupplice, omni tamen Chriſtiana obedientia, animarumq́; ſubmiſſione conquerendo, ac deprecando, declaremus: fore ſperantes, vt Deus (in cuius manibus eiuſmodi ſunt) animos veſtros ad hunc libellum ſupplicem (quo non quod noſtrum, nec quod momentaneum eſt poſtulamus: Sed Dei gloriam & quod ad Chriſti æternum honorem ac Maieſtatis ſplendorem ſpectat;) non modò benignè audiendum: verum etiam ad tale reſponſum dandum vos commoueat, quod Deo Optimo Maximo, nobisq́; frequentiſſimo vtriuſque ſexus conciuium veſtrorum numero gratum acceptũq́; futurum ſit: quod vt fiat, magna contentione Deum precamur ac ſingulari cum animorum deſiderio expectamus.

Cum itaque clariſſimi atque integerrimi Domini, nos aduerſarij calumnientur, quod interdicta & clamdeſtina in ædibus noſtris conuenticula fiant, quæ ad ſeditionem tendere, vel politicis conſtitutionibus aliquid derogare poſſent. etiam vobis iniecta eſt ſuſpicio, quod nos ſub prætextu Auguſtanæ per Imperium permiſſæ Confeſſionis, aliam ſeditioſam & hæreticam Religionem introducere, & miſeras rudis plebeculæ conſcientias varijs erroribus & opinionibus irretire moliamur. Vt igitur huiuſmodi de nobis ſuſpicio tollatur, impulſi ſumus vobis legitimo Magiſtratui noſtro pro publico exercitij loco ſupplicare: teſtari quoque, quod in huiuſmodi clandeſtinis congregationibus noſtris, nihil aliud, quam vera nominis Chriſti cognitio intendatur: iuxta illam S. Apoſtoli Pauli adhortationem, qui non vult Chriſtianos & vera Dei membra (niſi de ſalute ſua periclitari velint) cœtus & conuenticula ſua intermittere. Chriſtus quoque vnigenitus Dei filius, huiuſmodi congregationibus adfuturum ſe in Euangelio promiſit. Hiſtoria

præterea ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum Dei, has ſecretas collectas, vbi ea publicè non poſſunt haberi, copioſè ſatis approbant & confirmant. Perpendite quæſumus Domini & Chriſtiano cum Zelo ponderate quid ſit mundum vniuerſum, & omnia quæ in eo ſunt lucrari, animæ verò ſuæ iacturam facere? quid prodeſt breui putreſcens corporis alimentum, ſi ſempiterno immortalium animarum noſtrarum cibo deſtituamur? Ad quæ nos Domine tempora reſeruaſti! Vidimus proh dolor non ſine lachrymis, & videmus adhuc quotidie tot Chriſtianos in hac celeberrima ciuitate, tam corporalibus quam ſpiritualibus tentationibus exagitatos, in extremo mortis agone (vbi corpus & anima ſeparantur, vbi omnium creaturarum procul abeſt auxilium, conſtitutos) querelis, gemitibus & lachrymis puri verbi Dei conſolationes, incorruptum cœnæ Dominicæ vſum, fideles animarum paſtores & concionatores deſideraſſe: debuiſſe tamen quam plurimos iis omnibus carere. Putatiſne has querimonias, hæc ſuſpiria, has lachrymas hominis moribūdi in conſpectu altiſſimi aſcendere? & ante tribunal in extremo iudicio (ad quod rapiemur, diuites ſimul & pauperes) vindictam poſtulare? Miſeremini itaq; noſtri, miſeremini noſtri clementiſſimi Domini, ſollicitos anxioſq; ciues veſtros reſpicite, annuite, vt participes efficiamur imperij conſtitutionis Chriſtianæq; confeſſionis anno 1530. potentiſſimo Imperatori Carolo Auguſtæ vindelicorum oblatæ, & ſubſequenti 55. anno ibidem, 57 verò Ratisbonæ: atq; iterum 59. & 66. Auguſtæ, ab ipſa Cæſarea Maieſtate atq; ab omnibus Sacri Rom. Imp. ordinibus approbatæ & confirmatæ. Quod etiam ſexageſimi ſexti anni decretum, ab huius Reip. legatis, laudabilis memoriæ Conſtantino à Lieskirchen ſeniore Conſule, Doctore Petro Scultingio Steenvvichio Syndico & Laurentio Webero ab Hagen Secretario acceptatum eſt: id quod ex ſecunda parte Sacri Rom. Imp. conſtitutionum anno 72. in vrbe Moguntina impreſſarum folio 290 lin. 42. cuiuis ſit manifeſtum. Fatemur quidem clementiſſimi Domini, obijci poſſe, omnis generis ſectas, ſub titulo Auguſtanæ confeſſionis clam irrepere: nos tamen Deum ſeuerum iudicem omnium teſtamur, nihil nobis cōmercij eſſe cum ſectis & ha-

Trip. Hiſt. lib. 11. cap.

& hæreſibus, qui aliud credunt, quàm quod Chriſtus cum in Nouo tum in Veteri Teſtamento docere & credere præcepit: quale dogma, fidemq́; breuiſſimo compẽdio, Auguſtana Confeſſio, eiuſq́; Apologia, quam communi vocabulo Lutheri doctrinam nuncupant, complectuntur. Qualis etiam diſciplina in Electorum Saxonis, Brandenburgenſis, Palatiniq́; ditionibus: & apud alios Imperij ordines & ciuitates vſurpatur.

Obijcietur fortaſſis & illud: per iſtam alterationem Magiſtratus authoritatem imminui poſſe. Sed contrarium arguunt aliarum ciuitatum Imperalium exempla, vt ſunt, Francofurtum, Spira, Wormatium, Auguſta, Erfordia, Ratisbona, & alia quamplurima, in quibus maior obedientia & honor Magiſtratui defertur, pax & vnitas inter conciues magis coaleſcit, quam in alijs locis & ciuitatibus, vbi hæc doctrina impeditur & prohibetur. Sed vt omnis de nobis diſceptatio, ſuſpicio & metus, quæ apud vos ſunt, tollantur: teſtamur omnes & ſinguli vnum omnipotentem, omniſcium, viuentemq́; Deum, qui omnium noſtrorum Dominus eſt, in cuius conſpectu conſiſtimus omnes, quique ſcrutatur corda & renes: immò per animarum noſtrarum ſalutem, perq́; omnem externarum rerum felicitatem proſperitatemq́; iuramus; quod neq́; cogitationes, neq́; intentiones noſtræ ad vllam ſeditionem politicarum conſtitutionum alterationem tendant: quodq́; nulla importuna libido, nullus ſeditioſus animus nos ad hanc Chriſtianam ſupplicationem incitauit, ſed fames ſola ſitisq́;, qua cœleſtem illum cibum, Chriſtum Ieſum, qui per verbum eius & Sacramenta diſpenſatur, appetimus. Venientes igitur ſecundò fractis animis, lugubri affectu, fameſcentibus, ſitientibusq́; cordibus, ad pedes Dominorum noſtrorum ſupplices procumbimus, & ex totis omnibusq́; animarum noſtrarum viribus obſecramus, per charitatem Dei, per merita Ieſu Chriſti vnici Redemptoris & Saluatoris noſtri oramus, ploramus, vlulandoq́; inclamamus clementias veſtras, per virtutem & illuminationem Ieſu Chriſti, Sancti & ſuper omnia benedicti vnici Filij Dei, ſupplicationem noſtram alto corde figite, curæ vobis ea ſit, miſeris nobis ciuibus propitij

pitij

pit ÿ ſuccurrite: vt Regi gloriæ Chriſto Ieſu portæ attollantur, nobisq́ publicum diui verbi exercitium, certo loco admittatur: idq́ ad conſolationem & ſalutem animarum noſtrarum, multarumq́ inquietarum, anxiarumq́ mentium: Spiritualem pacem & Chriſtianam tranquillitatẽ. Quidquid verò politicam obſeruantiam & ciuilem obedientiam concernit, iuramus & obligamus noſmet ipſos, & in oculis Dei, Domini noſtri IeſuChriſti (agnoſcimus enim corã Deo, & hucvſq́ in omni ſubmiſſione agnouimus, id nos debere) ſanctè pollicemur vobis, Domini clariſſimi, à Deo nobis cõceſſo Magiſtratui, omnẽ debitam obedientiam: eamq́ nos in omnibus Chriſtianis, politicis rebus, corporibus, animab. & ſubſtantÿs, opibus, inquam, & ſanguine vobis exhibituros.

Iterum igitur clementias veſtras oramus & obteſtamur, per amaram paſſionem & mortem Ieſu Chriſti, per omnipotentiam, virtutem & Maieſtatem Dei, per ſeuerum & diſtrictum tribunal Dei Patris, Filÿ & Spiritus ſancti, miſerrimorum, mœſtorumq́ ciuium veſtrorum Chriſtianã petitionem (in qua non ea, quæ peritura ſunt, & adhuc ſæculum ſpectant, ſed verum animarum nutrimẽtum, verus panis qui de cœlo deſcendit, verus agnus Dei Emanuel quæritur & deſideratur) benignè exaudite: clemens etiam & propitium reſponſum amore Chriſti reddite. Eam pietatem & liberalitatem omnipotens, æternus & fidelis Deus, de cuius gloria & honore hic agimus, vobis & poſteritati veſtræ hic temporarÿs, illic autem æternis diuitÿs liberaliſſimè compenſabit. Et nos humiles ſubditi veſtri, præter omnem Chriſtianam obedientiam apud omnipotentem Deum, pro clementÿs veſtris precibus & obſecrationibus intercedemus. Nouit hoc Deus omnipotens, cuius tutelæ & protectioni clementiarum veſtrarum, noſtrasq́ omnium animas & corpora commendamus.

Contra hanc tam mollem ſupplicationem, mox libellum ædidit Melchior Bruin, Eccleſiæ collegiatæ SS. Apoſtolorum apud Colonienſes Canonicus & Paſtor: in quo ſingula petitionis capita ſuccinctè refellit: & in eo loco vbi Confeſſionem Auguſtanam vbiuis locorum in Imperio permiſ-

ſam,

ſam, item à nobiliſsimo & clariſsimo illo Lieſkirchio viro, cuius laudatiſsima nullo ſæculo ſepelietur memoria, alijſq; duobus viris cõſultiſsimis atq; integerrimis legatis Colonienſibus, ſubſcriptam aſſerunt, imprudentiſsimæ falſitatis arguit & conuincit, Prudentiſsimus verò Senatus Colonienſis negotium hoc ratione, experientia & euentis ponderans, minimè conſultum eſſe ſtatuit, vllius quam Catholicæ Religionis exercitiũ publicum admittere: Sed ne tumultus alicuius occaſionem daret Magiſtratus, reſponſum magna cum prudentia atque diſcretione in tempus magis oportunum diſtulit. eos verò qui libellum ſupplicem ſubſignârant, quique obtulerant, per Aparitorem carceres (is enim patrius mos eſt, cuiuis reo, ad carcerem, vt vltrò eat, mandare, non inuitum rapere, niſi magni ſceleris alicuius cauſa ſubſit) adire præcepit, vt è cuſtodia ciuili cauſam dicerent.

Aderat iam dies Comitijs Auguſtanis conſtitutus, ad quæ Imperator ipſe, cæterique Religionis vtriuſque Principes conuenerunt. Supplicantes itaque Colonienſes peroportunè ſe facturos arbitrati, nonnullos è ſuis Legatos decreuerunt, quam petitionem, grauamen & iniuriam (vt illi exiſtimabant) Cæſari explicarent: rati ſe omnia pro voto impetraturos. Sed fefellit illos opinio. Imperator enim cognita cauſa & perpendens quantam malorum conſequentiam hæc nouitas importaret, procul illorum petitiones à ſe reiecit.

Interim cum hæc Auguſtæ aguntur, Proteſtantes reſponſum Cæſaris & Legatorum ſuorum non expectantes, 7. Iulij ſocijs ſuis in ſequentem diem extra vrbem locum concioni deputatum aſsignârunt. Erat is locus mille ab vrbe Colonienſi paſſibus, in villa nomine Mechteren, quæ ſub aduocatia erat Capituli metropolitani, à quo Nuenarius eam tanquam Vaſallus aut Cliens obtinebat. Hic

Comes

Comes Caluini dogmatibus imbutus, iſtius tragœdię auctor erat: idque annuente vel ſaltem diſſimulante Archiepiſcopo (vt fama tunc erat) Gebhardo ad eumque proteſtantes receptum habebant. Concionatorem in hunc finem è Caſimiri Ducis prouincia accerſiuerat, nomine Vrſinum, Sileſium patria. Poſtridie, hora circiter octaua ante meridiem, Comes Nuenarius Adolphus prędicto loco viſus eſt, tumultuariorum militum quatuor manipulis ſtipatus. Auditores humaniter & perbenignè excepit: erant autem numero non pauci. Finita verò concione, populoq; dimiſſo, ipſe cum Miniſtro in vrbem reuerſus eſt.

Vehementer hæc audacia Magiſtratum Colonienſem commouit: qui conueniens, & conſilia conferens, quomodo commodiſſimè huic temeritati obſiſteret: populoque aditum ad has conciones prohiberet: tandem decreuit, portas ciuitatis futuro die Dominico non aperire, & poſtridie neminem è ciuibus in vrbem recipere, qui non iuſtam daret abitus ſui cauſam, ſeſeque in concionibus non fuiſſe oſtenderet: Variè per vrbem & Diœceſin à varijs hac de re diſceptatum eſt: quidam Alpenſem nihil contra Imperij conſtitutiones feciſſe aiebant: Villam in qua conciones habitæ erant, ad Comitis Iuriſdictionem pertinere: eum ibidem religionem quam vellet exercere poſſe. Alij ad hæc: Nuenarium aliquot Magiſtratus & feuda ab Eccleſia obtinere, non quidem gratis, multò minus vt Eccleſiam hanc impugnet: ſed vt defendat: Villæ Mechterenſis ſupremum ius non ad Nuenarium, ſed ad Archiepiſcopum pertinere, non licere igitur ei ex Imperij cóſtitutionibus illic religionem mutare: aut ſi liceret, ſaltem exploſa Catholica, Caluinianam (quæ in Imperio interdicta eſt) ſubſtituere non poſſe. Capitulum quoque conuentus quotidianos agebat, conſilia captans, quomodo hæc nouitas poſſet impediri.

Comes

Comes verò Solmenſis, animaduertens ſe huius factionis ſuſpectum haberi, ſurrexit, & in pleno conſeſſu manu pectori, (Eccleſiaſticorum more) admota, iure iurando teſtatur: ſe omnium harum rerum inſcium fuiſſe: nunquam huiuſmodi nouitates approbaſſe, nec approbaturum eſſe. Hac eius purgatione accepta, ad concilium admiſſus, ſingula quæ contra Comitem Adolphum proponebantur, accuratè annotauit, & paulo poſt, quinq; comitatus equitibus, vrbe relicta, ad Nuenarium contendit.

Die Dominico ſequenti, ex mandato ampliſſimi Senatus, portę ciuitatis claudebantur, vt commodius ciues (ſi qui pridie exiuiſſent) è concione, in prædicta villa, non per Sileſium illum, ſed Comitis Adolphi Miniſtrum habita, redeuntes, obſeruari poſſent. Senatus enim conſulto decretum & edicto publico diuulgatum erat, ne quis ciuium conciones iſtas accederet: qui ſecus faceret, proſcriptus municipijs priuaretur. Non obſtante hoc decreto, quidam primo mane erepſerant, quidam pridie vrbe exceſſerant, vt ad conſtitutam horam adeſſent, è quibus nonnulli capti & in carcerem coniecti ſunt. Conſolabantur atque animabant ſe mutuo Proteſtantes, iactabant apud ſuos, numerum ſociorum creſcere, proximæ concioni aliquot milia interfutura.

Sed cum dies tertiæ concioni dictus iam adueniſſet, Senatus (admonuerat enim per internuncios Comitem Adolphum, à temerario cœpto vt deſiſteret, vrbem non inquietaret, magiſtratum non prouocaret; quod ſi pergeret ſe rationem initurum, vt temeritas iſta coerceretur) ſummo manè milites, paulò ante ad vrbis cuſtodiam, & hanc audaciam comprimendam collectos, emittit, vt locum pręoccuparent. Sed poſt non multum temporis nunciatum eſt, cohortem equitum eò accelerare, qui ab aduerſarijs ſubmiſſi erant, vt Miniſtrum

ſtrum & auditores tuerentur. Milites itaque à magiſtratu emiſsi, in vrbem reuocati redeunt. Inter equites Comes Solmenſis, Nuenarius Adolphus, eiuſque ſororius Benthemius erant & Broekius. Conſueta hora prodijt Miniſter, cœpit concionari, &c. Doluit hæc violentia Magiſtratui & ſuccifis confeſtim aliquot arboribus quæ proſpectum ex vrbe in locum hunc impediebant, admotis maioribus tormentis ad concionis locum collimans iaculabatur, pila tecto perforato, parum abfuit, quin Nuenarium grauiter ſauciaſſet. Miniſter accepto ſigno, finem concioni imponit, & populum dimittit.

Senatus memor ſui muneris eſſe, aduigilare ne quid detrimenti acciperet Reſpub. & præſentiens negotium hoc ad bellum tendere (Alpenſis enim & coniurati reliqui dira imprecabantur, terrores iaciebant, cruces & tormenta denunciabant) Capitulum admonuit vt ſuum officium faceret, & Archiepiſcopum hortaretur vrgeretque, vt confeſtim Comitem tanquam Dominus feudi, & ſubditum ſuum tanquam princeps patriæ deterreret, quod Capitulum ſe facturum promiſit, præſtitamque fidem confeſtim exoluit. Archiepiſcopus itaque Gebhardus miro quodam ſtudio & artificio, animum in Alpenſem propenſum condiens, conuentum Mullemi (vulgo **Herren mullem**) inter Coloniam & Lechenium vico indixit: miſsi ſunt eò ex parte Capituli Illuſtris Comes à Tengen Vicedecanus Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, & duo Canonici presbyteri eiuſdem. Cæterum Nuenarius cum ſuis vt conuentum hunc aut impediret aut ſaltem protraheret; cum vxore ſua alijsque Comitibus & Comitiſsis in Bruel ad Archiepiſcopum Gebhardum venit, à quo honorificentiſſimè exceptus eſt. Agitabantur conuiuia quotidiana, viuebatur genialiter: nihil minus quam de Alpenſi ob conciones inſtitutas coërcen-

do, eumque in ordinem redigendo actum eſt.

Gebhardus iam in conuentu expectabatur: ille autem currum conſcendens, cum toto Gynæceo præter omnium expectationem Bonnam proficiſcitur Agnetem Mansfeldicam ſalutaturus. Sed cum alij inſtarent, vt indictus ille conuentus maturaretur, Archiepiſcopus tandem Mullemum adrepit vtramque partem auditurus. Solmenſis Nuenarius, & Benthemius dicto die quoq; comparuerunt. Hi qui à Capitulo legati erant, initio ſine vllis verborum ambagibus, quæ in mandatis habebant proponunt, quorum ſumma erat: Capitulum iam antea ab Archiepiſcopo petijſſe, vt hæreticas iſtas conciones impediret, audaciamq; Comitis Nuenarij compeſceret & cohiberet: ſed nihil effectum eſſe. Eandem & nunc eſſe illius petitionem: nec modo petere, ſed & velle, vt Sua Celſitudo Alpenſis inſolentiam coërceat: quod ſi id facere detrectet, Capitulum officium ſuum non intermiſſurum. Animaduertens itaq; Archiepiſcopus rem Capitulo cordi eſſe, in congregatione ipſa Alpenſem compellat, atq; iubet, vt in poſterum à concionibus deſiſtat, hic diu multumque vtrinq; diſceptatum eſt. Alpenſis pilam ferream, quam in eum Colonienſes eiacularant, cui annũ & diem inſculpi curauerat, protulit: & ſuo nomine indignum eſſe ait, ſi Colonienſes hoc inultum ferrent. Alij contra Colonienſes defendebant, eorumq; intentionem fuiſſe, non Comitem aut alium quemquam lædere, ſed hoc modo auditoribus & miniſtro terrorem incutere, vt concio dimitteretur, ab eaq; deinceps ceſſarent. Sed Comes Nuenarius duriuſculè increpatus & admonitus, tandem ceſſit, & in poſterum à concionibus abſtinere promiſit, data dextera fidem ſuam confirmans: cum hac proteſtatione, non in gratiam Colonienſium, ſed Archiepiſcopi ſe id facturum. Solmenſis quoq; delicti ſui veniam poſtulaſſe, & obti-

Conuentus in Tsheren Mullem.

obtinuiſſe dicitur. Deinceps verò tractatum eſt de profectione Archiepiſcopi ad conuentum Auguſtanum, vbi à Cæſare, Bauaro, Saxone, alijsque Principibus Imperij expectabatur, loco ei non infimo decreto, vbi diuerſaretur.

Cum autem Capitulum animaduerteret Archiepiſcopum tergiuerſari, nec ad comitia proficiſci decreuiſſe: Illuſtriſſimum Ducem Saxoniæ & Lovvenburgij Fridericum Auguſtam Vindelicorum cum mandatis legauit. Quam legationem optimus hic Princeps non inuitus accepit, & fideliter obiuit: Aegerrimè hoc tulit Gebhardus, atq; hoc initium, hic fons & origo capitalis odij inter Saxonem & Gebhardum: quod quantas paulatim vires acceperit ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Illuſtriſſimus Dux Cliuiæ, Iuliæ, &c. cum præfractum & obfirmatum Alpenſis animum cognouiſſet, Senatui Colonienſi auxilium ſuum obtulit, & vt Rempub. ab hæreticis iſtis concionibus vindicaret, hortatus eſt. Idem & Princeps Parmenſis fecit.

Anno 82. die 8. Auguſti, poſt maturam deliberationem, duo Conſules de more Vrbis, equis inſidentes, forum, ac præcipua Vrbis loca, præcedentibus duobus Præconibus, aut Apparitoribus obequitabant. Inde reuerſi ad curiam, conuocato populo, Vrbis Secretarius tablinum ante curiam conſcendit; Senatuſq; conſultum coram populo legit: erat autem ſumma iſtius hæc: Senatum decreuiſſe, vt omnes aduenæ, qui poſt annũ 1566. in Vrbem Colonienſem cõmigrarant, & ad præſcriptũ Catholicę religionis non viuerent, aut viuere vellent, infra ſpacium quatuor ſeptimanarũ Vrbe exirent, ſeſeq; aliò transferrent: Senatum enim eos ferre diutiùs nolle. Quotquot autem ex illis, contra Senatusconſultum concionibus in Mechteren habitis, aut conuenticulis clandeſtinis alijs, interfuerant, vel antehac Vrbe cedere

iuſsi erant: in hos Senatum inſuper pœna, huic temeritati debita animaduertere velle.

Interea Proteſtantes non ſine ope quorundam legatorum, poſt multas querelas ſuas, multaſque preces, quibus Principum Auguſtanæ confeſſionis, qui ad conuentum Auguſtanum venerant, pectora ſollicitabant, tandem huiuſmodi ſcriptum, ab ijs ad Ampliſſimum Senatum Colonienſem impetrarunt.

Non dubitare ſeſe, quin Senatus Colonienſis meminiſſe poſſet, iam pridem ſæpius Electorum & Principum nonnullorum Auguſtanam confeſſionem profitentium interceſſiones, & admonitiones amicas, nomine conciuium ſuorũ eidem religioni initiatorum litteris & legationibus miſſas eſſe; nec eoſdem Principes vllarum moleſtiarum vel expenſarum rationem habuiſſe, vt ad optatum ſaltem finem peruenirent: eum autem alium non fuiſſe, quam vt Magiſtratus ipſe, atq; adeò tota Reſp. optima tranquillitate felicitateq; frueretur: pacificusq; Imperij ſtatus qui nunc eſt, idem perpetuò conſiſtere poſſet. Et quanquam ijdem Principes & Electores, alijq; Auguſtanæ confeſſionis ordines, omnino exiſtimabant, petitioni ſuæ à Colonienſibus ſatisfactum eſſe, literas & legationes ſuas impetraſſe, vt conciues ſui (ſicut iam aliquamdiu vſurpatum intellexerant) ſecurè ſuam religionem exercere poſſent, omnibus moleſtijs & vexationibus, quas cauſa fidei perpeſſi erant hactenus, tandem liberati eſſent. tamen famam increbreſcere horum omnium nulla habita ratione, non tantum locum & templum publico religionis Auguſtanæ exercitio denegari, ſed in eiuſdem religionis ciues quotidie ſeuerius animaduerti, eos carceribus, exilijs, direptionibus, mulctis pecuniarijs, alijsq; indignis modis vexari, nullum eorum ad dignitatem Magiſtratus, aut Senatus conſeſſum admitti: eius gratia iuramenta, ſtatuta & confœderationes fieri: quibus ipſi ab omnibus honeſtis officijs & dignitatibus excludantur, idq; ob eam tantummodo cauſam, quod ſecundum conſcientiam ſuam, priuatim (ſine tumultu tamen & ſchiſmate) conueniant, aut extra mœnia verbum Dei audiant, aliaq;

Chre-

Christianæ negotia & instituta exequantur. Quæ ſi vera ſint (neq; enim ſine magno animi dolore hæc ad Ordines Auguſtanæ confeſſionis delata eſſe, aiebant) interpretari ſe poſſe, tantam iniuriam in omnes Auguſtanæ religionis Principes & ſocios redundare: id enim nihil aliud eſſe, quam religionem hanc, vt damnatam in Imperio æſtimare, eiuſque cultores reos eſſe, & indignos honeſtis officijs & Reipub. dignitatibus iudicare, pacificationem Religionis ſolam & vnam conſeruatricem tranquillitatis publicæ, & fiduciæ inter Principes & ſubditos ſuos longè aliter definire. Eam nunc eſſe Imperij conditionem & ſtatum, vt dum finitimis circumquaq; bellis cingatur, & potentiſſimorum Principum conatibus impetatur, ſi aliàs vnquam, certè hoc tempore maximoperè neceſſarium eſſe, vt omnes Ordines & membra Imperij, per obſeruationem conſtitutionum eiuſdem firmiter coaleſcant: fas etiam eſſe, vt omnes querelæ, ſeditionis ac diffidentiæ occaſio tollatur. Hæc prorſus fieri non poſſe, ſi vel huius, vel alterius Religionis ciues, nulla indicta cauſa, ob ſolam Religionis confeſſionem, intempeſtiuo & parum æquo iudicio damnatos perſequi, in eoſq; ſæuire liceat.

Sibi itaq; ex ſpeciali mandato Principum ſuorum iniunctum eſſe, Colonienſes præter ſuperiorem fideliſſimam legationem ſcriptamq; admonitionem ſecundò adhortari comiter, eiq; officioſè ſupplicare, vt hanc petitionem diligenter perpendat, ſingulaſq; eius circumſtantias fideliter examinet, tandem verò concedat, vt prædictæ punitiones, exilia, mulctæ, vincula, è magiſtratu reliquorumq; officiorum adminiſtratione excluſiones, conciuibus ſuis, qui à confeſſione Auguſtana ſtant conſtitutæ, abrogentur. Compertum iam multoties eſſe, Euangelicam religionem nouiſſimis iſtis temporibus, per vniuerſum mundum diffundi in cordibus hominum radices agere, & quotidiana incrementa ſumere, humanas vires ad hanc extirpandam nimis eſſe imbecilles. Omnes magiſtratus qui hanc perſequendo & ſuffocando, ſuas Reſp. tranquilliores reddere voluerunt, nihil præter ſeditiones, bella, cædes & extremas terrarum ſuarum euerſiones conſecutos eſſe: ſeipſos excruciaſſe, & ſanguinis

guinis multorum innocentium effuſi reos ſe feciſſe: neq; tamen ſic ad intentionem ſuam perueniſſe. Sed tandem ſtabilem pacem, publicum Euangelij exercitium permittendo inueniſſe. id Colonienſes in vicinis Belgicis Prouincijs expertos eſſe: Præterea multis iam annis obſeruatum eſſe, quibuscumq; locis in Imperio, vel extra Imperium hæc religio non oppreſſa, ſed per publicum exercitium, iuxta Rom. admiſſa eſt, in ijs Magiſtratus iuribus & prærogatiuis derogatum nil eſſe: ſed omnem potius ei obedientiam & honorem, fidelius etiam quam antea delatum. loco barbari, inconditi, atq; inordinati regiminis, honeſtam politiam & diſciplinam erectam & obſeruatam: pernicioſam diffidentiam inter ciues ſublatam, & bonam fidelemq; concordiam, vnitatem & pacem reſtitutam eſſe. Obteſtari ſe igitur Magiſtratum vt hæc res ei curæ ſit. Cogitet benigniſſimum Deum multa millia animarum in vna ciuitate Colonienſi, ſui Euangelij radijs illuſtraſſe, infinitaq; hominum corda occupaſſe, multos publicam Chriſtianæ fidei confeſſionem non erubeſcere, eos vt membra huius ciuitatis nihil aliud, quam publicum ſuæ Religionis exercitium, idq; à ſuo legitimo Magiſtratu, demiſſis animis ſupplicare: polliceri viciſſim in omnibus rebus politicis fidem & obedientiam, nunquam ſe à Magiſtratu defecturas: & ſi res poſtulet, pro ſalute illius animas & corpora, opes & ſanguinem obiecturos: nihil etiam eos tentare velle iſtorum, quæ (ſi hæc admittantur) hactenus euentura nonnulli metuerunt ſed omnem politicam adminiſtrationem Magiſtratui & Deo, cuius negotium agitur, commendare: aliaſq; celebres & liberas Chriſtianæ Religionis in Imperio ciuitates imitari velle. Fas igitur eſſe, Magiſtratum ſuorum conciuium petitionem, quæ non temporalia, ſed immortales animas concernit, clementer exaudire, eisq; templum aut alium locum propitium, in quo prædicta religionis exercitium ſecurè & cum omni impunitate vſurpare poſſint; concedere: nec quid aduerſarij (qui fortè ſibi conſulentes, hanc inter ciues diffidentiam, & quæ ex ea euenire ſolent incommoda, ſuum commodum & lucrum arbitrantur) ſentiant, contradicant & obloquantur, æſtimare. Certos etiam

ſe

ſe eſſe dicebant, Senatum re ipſa comperturum, talem in vrbe pacem & tranquillitatem breuiſſimo temporis interuallo, hanc permiſſionem ſubſecuturam, non tantum inter ciues, ſed & inter Senatores ipſos, qualem vix optare poſſent: hac etiam ratione commodiſſimè diffidentiam tolli, & errores, damnabileſq; hæreſes, quæ per clandeſtina conuenticula in Rempublicam irrepunt, facilius poſſe agnoſci & eradicari. Manifeſtum quidem eſſe Colonienſes, in quibuſdam Comitijs exceptos, iureiurando ſeipſos tam auidum obſtrinxiſſe, nullius alterius Religionis, quam Papatus (vt ipſi vocabant) exercitium ſe in vrbem recepturos; negari tamen non poſſe, quin de Religione decretum, ius publicum ſit, cui priuatæ pactiones nihil poſſunt derogare. Adhæc tale pactum talemque exceptionem fundamento pacis Religioni datæ, quæ conſeruatio eſt fiduciæ inter ordines Imperij, omnino aduerſari: ac proinde imbecillia & nullius eſſe momenti. Non dubitare igitur ſe, quin Cæſarea Maieſtas, cæterique Imperij Ordines, temporis neceſſitati parentes, hanc petitionem approbabunt: & Colonienſibus felicitatem & tranquillitatem, Reipublicæ, quæ ſine dubio ſubſecutura eſt, libentiſſimè fauebunt. Omnino itaque ſibi perſuaſum eſſe, Colonienſes (quod & ceteræ celebres ac liberæ ciuitates Imperij hactenus fecerunt) ſtabilem fiduciam, amicitiam, ſocietatemque cum Electoribus & Ordinibus Chriſtianæ confeſſionis continuaturos, præſentibuſq; tumultibus pro viribus ſuis occurſuros. Quod ſi magiſtratus id optauerit, nihil ſibi dubitationis relinqui, quin confeſtim pœnas mulctaſq; proteſtantib. conſtitutas abrogabit: ſupplicanteſq; conciues ſuos pro ſua beneuolentia & miſericordia exaudiet. Futurum hoc modo, vt Electores & Ordines dictæ confeſſionis, ipſo rerum euentu deprahendant, Colonienſes de neceſſaria hac fiducia, ex eaq; prouentura ſtabili pacificaq; concordia inter ſe, & ordines Imperij, nunquam non cogitare; neceſſitudinem quoq; & vicinitatis ſocietatem ipſis vehementer curæ eſſe. Hinc occaſionem euenturam, vt ipſorum Electorum Principum, ceterorumq; membrorum Imperij beneuolentia & fauor in Remp. Colonienſ. viciſſim incrementum

Digitized by Google

uenerit, verum etiam omnes abuſus, quos in Eccleſia ſua reperit ipſo facto auferre, & Chriſtianam, diuinoq́; Verbo optimè congruentem reformationem introducere voluerit: quam eodem ſubditi ſui maximo cum deſiderio expectabant. ſed prô dolor compertum eſſe, hunc tam laudabilem pij Principis conatum impeditum fuiſſe: nec ad optatum finem perueniſſe. Interim nec ſeſe, nec parentes ſuos hanc tam firmam, viuente Archiepiſcopo Hermãno, conceptam ſpem, poſtea omninò abijcere potuiſſe, ſed quouis tempore hanc expectationem habuiſſe, fore, vt ille qui ſuorum ſemper & vbiq́; curam diligentiſſimam gerit, ſuccedentibus Archiepiſcopis ſimilem gratiam & benedictionem impertiretur. diffiteri etiam ſe non poſſe, aiunt, quin ijdem ſuccedentes Archiepiſcopi, tempore ſuæ adminiſtrationis, nihil quod ad vtilitatem ditionum & ſubditorum ſibi à Deo commiſſorum ſpectaret, intermiſerint. Cum ad Reipublicæ commodum & proſperitatem amplificandam accuratiſſimam diligentiam & induſtriam contulerint. Verùm præter alia incommoda, hoc etiam infortunij (exigentibus id ſine dubio populi peccatis) celeberrimo, & antiquiſſimo Archiepiſcopatui acceſſiſſe, quod poſt Hermanni deſtitutionem ſubſecuti Archiepiſcopi partim non diu ſuperuixerint, ſed è medio ſuæ adminiſtrationis curſu, magno ſui deſiderio relicto erepti ſint: partim viuentes dignitate & imperio ſponte abdicauerint.

Hinc inter alias quam plurimas difficultates, etiam hanc (qua non temporaria tantum proſperitas, ſed æterna ſalus animarum periclitatur) exortam eſſe: vt ſcilicet hactenus conſcientiarum ſuarum libertatem petere auſi non fuerint, multò verò minus exercitium veræ, Euangelicæq́; doctrinæ (quod tamen apud alios Electores & Ordines Imperij, Confeſſionis Auguſtanæ ſocios ſubditis permittitur) ſine magno periculo, & apud ſuos Principes indignatione, potuerit haberi.

Hanc verbi diuini inopiam Suæ Celſ. ſubditis (quibus non minus, quam ipſi Archiepiſcopo ſuo incumbit rationem vitæ & vocationis ſuæ reddere eorumq́; qui ſibi vel ſanguinis vel naturæ communione attingunt, vxorum etiam

Digitized by Google

iam & liberorum momentaneæ huius ſeculi, & æternæ alterius vitæ felicitati prouidere) non minimum huc vſque conſcientiarum remorſum peperiſſe: eoſq; hactenus varia conſilia, occaſionesque captaſſe, ac tandem decreuiſſe, apud Archiepiſcopum, ſuum à Deo legitimè conceſſum Principem, querimonias deponere, eiq; pro gloria Dei, communi pace, & celeberrimi Electoratus Colonienſis vtilitate ſupplicare, vt Sua Celſitudo ad mentem reuocet, quid Archiepiſcopale ſuum, ſibi à Deo iniunctum officium requirat, præſertim cum illud tale ſit, vt fungentem eo ſollicitum eſſe deceat, non de politicis tantum rebus (quas Sua Celſitudo gratia Dei huc vſq; laudabiliter diſpoſuit) ſed multò potius de Eccleſiaſticis, vt ſcilicet ſubditi ſui veram Dei cognitionem, eiusq; incommutabilis voluntatis in ſcripturis manifeſtatæ (quæ omnibus humanis conſtitutionibus præponitur) ſcientiam conſequantur: aut ſaltē hæc ipſis non inuideretur, multo minus huius gratia perſecutiones inſtituãtur.

Orare igitur ſe ſupplices Celſitudinem ſuam, vt pro innata liberalitate, & Chriſtiano mandati diuini examine (quo Cæſari quæ Cæſaris ſunt, Deo autem quæ Dei reddere præcipitur) ipſa Proteſtantibus largiatur, vt in poſterum conſcientiarum ſuarum (quibus omnipotens ſolus imperare poteſt) libertate frui, & incorruptæ Euangelicæ doctrinæ exercitium, non minus quam alij aliorum Electorum & Principum Auguſtanæ confeſſionis ſubditi ſecurè habere poſſint, & vna cum alijs ſubditis ſuis ſub laudabili regimine & tutela Sua Celſitudinis in poſterum non minus quam hactenus (cuius beneficentiæ gratia immortales ei gratias agebant) deliteſcere, & cum conciuibus ſuis pacificè, tranquillè, & ſine metu vllius perſecutionis aut oppreſſionis, ſine vlla alterius religionis contradictione Chriſtianè vitam traducere poſſint.

Promittere ſe viciſſim & tam pro ſeipſis quam pro ſocijs fidem ſuam, non coram Archiepiſcopo tantummodo, ſed & coram Illuſtriſſimo Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulo conciuibusq; omnibus, qui ad Catholicæ religionis præſcriptum vitam continuare cupiunt, obligare ſe, in debita obedientia & tranquilla cohabitatione perſeueraturos, omniaq; præ-

ſtituros quæ ad Reipub. commodum & proſperitatem conducant: vt reipſa compertum ſiat, quam ad pacem propenſi ſint. Deniq; nec ſe gratia Dei, vllam occaſionem daturos, ex qua ſuſpicio vel minima oriri poſſit, in hoc negocio aliud quidquam, præter conſcientiarum libertatem & exercitium Euangelicæ doctrinæ quæſitum fuiſſe. Omnino igitur ſe ſperare, quod S. Celſ. ad gloriam Dei & communem Reip. vtilitatem promouendam, & ad omnem diſcordiæ, vlteriorisq; incommodi occaſionem amputandam, ſtudia ſua atq; operam omnem intendet: ſui autem, ſociorumq; ſuorum, qui ad Archiepiſcopum ſuum, poſt Deum (cuius ipſe vicem gerit) confugiunt, paternè miſerebitur: Chriſtianam verò hanc petitionem exaudire, & præſentem ſupplicationem, quam ob prægnantes cauſas alias, tum maximè propter periclitantem animarum ſuarum ſalutem diutius prorogare non potuerunt, æqui boniq; conſulere dignabitur. pro inſigni ſua prudentia ponderans, quam breuis & incerta ſit hæc mortalium vita, & quàm neceſſariò omnes homines, cuiuscunq; ſtatus, conditionis aut dignitatis ſint, incommutabili præcepto Dei obedire debeant; niſi ab æterna beatitudine excludi velint. Optimè igitur facere eos qui in fragili vita & quotidie enaſcentibus incommodis in Domino confidunt: qui cum Propheta regio ſentiunt, credunt & confitētur illud Pſalmi. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timētibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmētum noſtrū. Recordatus eſt quoniam puluis ſumus: homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſq; in æternum, ſuper timentes eum. Et iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentū eius. Et memores ſunt mandatorū ipſius, ad faciendum ea.

OPTARE *ſe tandem, vt idem fidelis Deus ac Pater omnium, Suæ Celſitudinis cor, per gratiam Sancti Spiritus ſui, regere dignetur, atq; eò inclinare, vt ipſi Supplicantes ad hanc tam ſubmiſſam, & honeſtam petionem, Chriſtianum, benignum & gratum reſponſum conſequantur, & in conſcientijs ſuis gaudium libertatemq; percipiant. Tam*

magni-

magnificum tamq́; Chriſtianum beneficium, Omnipotentem Deum, cuius hic gloria quaritur, Sua Celſitudini liberaliter compenſaturum: idem tam celebre factum apud omnes Euangelica confeſſionis Ordines, ipſi eximia laudi datum iri. Se autem, non aliter atqui humiles & fideles ſubditos decet, quoad vixerint Sua Celſ. atq; adeò toti Archiepiſcopatui, omnis generis officijs remuneraturos: opibus inſuper & ſanguine gratitudinem exhibituros eſſe.

Vt autem hic Electori oblatus libellus ſupplex, non minoribus quam alter ad Magiſtratum deſtinatus, Magnatum commendationibus extolleretur, mox ab Auguſtanæ confeſſionis confœderatis ciuitatibus, Principibus alijsque Ordinibus literæ atque interceſſiones ſubſecutæ ſunt: quibus Archiepiſcopum ad mentem reuocabant præteriti temporis acta, proteſtantiumq; Colonienſium cauſam plurimum commendabant.

Auguſtana confeſſionis Socij pro Colonienſ. Proteſtantibus ad Archiepiſcopum.

Initio commemorantes quanta multitudo ſit Colonienſium, qui ad vera Euangelica doctrina exercitium anhelarent: quod ſupplicijs eos Colonienſis Senatus perſequeretur, carceres, infamias, è Senatu expulſiones, mulctas pecuniarias, exiliaq́; intentando. Oſtendebant porrò hanc iniuriam non ſolos Colonienſes tangere, ſed etiam in omnes ciuitates, Ordines & Principes Auguſtana confeſſionis deriuari. Hinc diffidentiam inter Ordines & membra imperij exorituram: fœdus & vinculum amicitia inter vtriusq; Religionis populos per iſtam importunitatem violari & diſrumpi. Se ex iſtis Comitiis Auguſtanis Senatui Colonienſi ſcripſiſſe dicebant, petijſſe ab eo, vt hac ſeuera edicta mitigarent, aut potius abrogarent: ciuibus ſuis, qui in alijs politicis rebus Magiſtratui debitè parebant, in conſcientia negotijs moleſti non eſſent: ſed templum aut alium locum in quo ſuam Religionem ſecurè exercere poſſent, non grauatè permittterent. Ceterum tabellarium reuerſum eſſe, frigidum, imò negatiuum reſponſum à Senatu reportaſſe: nec quicquam de ſeueritate mandatorum in Proteſtantes remiſſum eſſe, ſed & intellexiſſe ſe, Magiſtratum ſcriptis quo-

rundam

rundam Eccleſiaſticorum magis magisq́ exacerbari, & ad maiorem crudelitatem accendi.

Non dubitare igitur ſe, quin Suæ Celſitudini, Archiepiſcopo nimirum Colon. hæc tanta inclementia diſpliceat: poſſe enim eum pro ſua ſingulari prudentia, quæ ex huiuſmodi importuna commotione, inter Ordines imperij, ſimultates exoriri poſſent, facilè diuinare. Hanc ob cauſam ſibi viſum fuiſſe, hæc Archiepiſcopo ſignificare: rogantes eum vt Senatus Colonienſis animum mitigare dignetur, eidem demonſtrando quantos tumultus, perſecutiones in Eccleſiam inſtitutæ dederint. Clericos verò pro ſua auctoritate coërceat, & ne Magiſtratum irritent, neq́ aliquid aduerſus Auguſtanæ confeſſionis ſocios moliantur, prohibeat: Magiſtratum potius pacatiorem reddant, & moneant vt rigidiora placita, infauſtas illorum executiones perſecutionesq́ introductas aboleat, templum deniq́ ijſdem confeſſionis Auguſtanæ ciuibus clementer concedat, in quo ſuam Religionem exercere poſſint. Poſſe tam Suam Celſ. quam ceteros viros Eccleſiaſticos facilè animaduertere illud ſibi ipſis laudi & gloriæ futurum: maiorem fiduciam & pacem firmiorem inter ſe & ciues ſuos pariturum: ad multas deniq́ incommoditates quæ ex clandeſtinis congregationibus pullulant, euitandas maximopere profuturum. Cum è diuerſo facilè fiat, vt huiuſmodi perſecutiones in Chriſtum eiusq́ Euangelium inſtitutæ Reſpublicas perturbent, diuerſumq́ ab eo qui propoſitus erat, euentum ſorciantur. Supplicare itaq́ ſe denuò SuæCelſ. vt hæc omnia diligenter ponderet, pacemq́ publicam per concepta tentataq́ iam media promouere non deſinat. Quod ſi faciat, ſe gratiam apud omnes alios Electores, Principes & ordines Imperij initurum. & cætera.

Toto hoc comitiorum tempore Truchſeſius Auguſtæ fruſtra expectabatur. Certum quidem eſt, quod prima indictione facta, eò proficiſci decreuerat, iamque itineri accinctus in Haſſiam venerat: ſed cum propter neceſſarias cauſas comitia ſuſpenderentur, eique per Cæſaris nuncios an- *Comitia Auguſtana.*

nun-

nunciaretur, ne iter acceleraret, in VVeſtphaliam reuerſus eſt.

Poſtea verò Archiepiſcopus & Capitulum ſimul de communi ſententia, alios etiam Legatos ad Comitia miſerunt, Comitem à Tengen, Comitem Eberhardum Solmenſem Satrapam per Vveſtphaliam generalem, Furſtenbergerum Satrapam in Bilſtein, Burchardum Cancellarium, & Iuris V. Doctorem Archiepiſcopique Conſiliarium D. Michaelem Glaſerum, cum promiſſis, Archiepiſcopum ipſum ſubſecuturum. Qui cum iam diu in conuentu hærerent, ſæpius à Principibus, eorumq; Legatis rogati, eſſetne Archiepiſcopus ipſe ad comitia venturus? reſponderunt venturum eſſe: hoc enim aliquoties eum nũc ipſis per literas ſignificaſſe. Quod cum ſæpius contingeret, nec tamen ille veniret, de eius præſentia Principes deſperarunt. Legati tamen Colonienſ. rogati, conſtanter illum venturum aſſeuerarũt: etiam literas exhibentes, quibus aduentum pollicebatur, vſq; ſub finem comitiorum. Tandem cum iam ipſa comitia penè dirimenda eſſent, præter omnium expectationem Gebhardus ex parte ſua nouos legatos, Comitem ſcilicet Adolpum Solmenſem, Doctorem Suartzium cum mandatis Auguſtam Vindelic. ablegauit, qui periculum facerent, ſi libertatem Religionis, Eccleſiaſticorum Principum, ſine adminiſtrationis ſuæ iactura, matrimonia, atque id genus alia poſſent in hoc conuentu promouere, vel impetrare. Sed quantumcumque hæc vrgerentur, admiſſa tamen non ſunt. Cumq; & alia nonnulla propoſita, vltrò citròque diſceptata eſſent, nihil tamen aut parum determinatum. tandem menſe Septembri diſceſſum eſt.

Truchſeſij diſceſſus è Weſtphalia. Paulò poſt Archiepiſcopus Colonienſis, cum clam maiores copias, quam pro conſuetudine ſolet habere, conſcripſiſſet: VVeſtphalicas ditiones deſeruit, & ad Rhenanas partes properauit, præſente tamen prius Auerdunkio Conſiliario ſuo,

viro

viro optimo (vt omnis ſuſpicio abeſſet) piè ac deuotè ſacrum audiuit, ei valedicens, vt poſt dies quatuordecim Bonnam vſque ſubſequeretur, præcepit. Conſiliarij atque Nobiles VVeſtphali, videntes Principem ſuum tantis ſatellitum, equitum & peditum copijs ſtipatum, quod infrequens & præter morem erat, nullos verò Conſiliarios ſecum adducere, mirati ſunt: & muſſitantes paſſim percontabantur, quid iſte ſibi apparatus vellet? Augebat ſuſpicionem fama de Agnete in matrimonium ducenda. Archiepiſcopus ſe purgabat, & cauſam tantarum copiarum eſſe dicebat, non aliam, quàm vt oppida atque arces ſuæ diœceſis, quæ ab externo milite impetebantur, muniret, atque defenderet. Ordines enim Belgicos breui Iſſam, Regios verò Vdam arcem violenter occupaſſe, & metuendum eſſe niſi horum ratio habeatur, plura munimenta paulatim periclitatura. Satellitibus ſibi opus eſſe, eò quod ſciat ſibi inſidias ſtrui. Quod verò conſiliarios ſecum non ducat, id cauſæ eſſe, quod multa inter VVeſtphalos negocia nondum deciſa reſtarent; quodq; illorum opera in itinere ſibi commodare non poſſet. Addidit inſuper, ſibi compertum eſſe, Capitulum Metropolitanum Colonienſe aliquid in Archiepiſcopum ſuum moliri: quod ſi ita pergat, optare ſe vehementer ſcire, quid à nobilitate VVeſtphalica expectare debeat. Ad quod illi reſpondiſſe dicuntur: nihil ſe denegaturos eorum, quæ fidelis ſubditus debeat ſuo Principi præſtare, ſi tamen more maiorum ſuorum pergat gubernare: ſin autem, vt fama erat, de coniugio ineundo cogitaret, fruſtra ab ipſis auxilia ſperari.

Inter alia quoq; coram cōſiliarijs ſuis VVeſtphalis tunc cōqueſtus eſt, quædam per VVeſtphaliam in Eccleſia Catholica collapſa eſſe & deformata: inter alia multos eſſe pueros, qui ſecundū antiquā & laudabilem cōſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ confir-

Digitized by Google

confirmati non eſſent. In cauſa eſſe quod multo tempore Suffraganeus in VVeſtphalia non fuiſſet. Velle itaque ſeſe Colonia Suffraganeum mittere: qui pueros cōfirmaret. Addidit etiam ſeR. & Nobili Commandatori per VVeſtphaliam D. Neuelinck, Reckio, & inſigni doctrina vitæque integritate clariſſimo D. Iohanni Nopelio, Theol. Licentiato, & Decano Cæſaris VVerdenſis formam Viſitationis miſſurum, & vt VVeſtphalicas Eccleſias, ad Catholicæ religionis normam reformarent iuſſurum. Quam viſitationis formulam ex ipſo autographo deſcriptam, poſtea ſubijciemus. Poſt has pollicitationes diſcedens Archiepiſcopus Bonnam contendit.

In fine libri quarti.

Præmiſit Caſparum Heien Nobilem VVeſtphalum, & ordinariorum equitum aulicorum Capitaneum. Is Bonnam veniens, dixit ſe mandata ad Doctorem Eickium Conſiliarium & tum temporis Bonnæ prætorem, & Senatum dicti oppidi ab Archiepiſcopo habere. Sed quoniam Eickius ad vindemiam profectus, in villa ſua Birgil agebat, nihil tunc agi potuit. Cum verò ſequenti die Dominica ſummo mane dictus D. Eickius rerum quæ à Capitaneo gerebantur, eiuſque aduentus inſcius, cum ſua familia collectis, vinis nauigio Bonnam caſu reuerſus eſſet, Capitaneus eum circa horam octauam matutinam acceſſit, referens Archiepiſcopum ex VVeſtpalia Siburgum veniſſe, ibique eum iſto die pranſurum: circa horam verò ſecundam deinceps Bonnam pergere decreuiſſe. Interim ſuam Celſit. mandaſſe aulicis & ſclopetarijs ſuis, vt Rhenum traijcerent, atque oppidum intrarent, ibique Principem præſtolarentur. Velle præterea S. Celſi. vt prætor Eickius nona circiter hora ad forum veniret, ibique literas fiduciarias ad Senatum Bonnenſem directas acciperet, cum mandato vt & Aulicis & Sclopetarijs commoda per vrbem hoſpitia accuraret.

Nouem. 3.

Nouem. 4.

raret. Prout à Capitaneo antedicto latius eſſet intellecturus. Venit Eickius hora conſtituta: Senatum quoque conuocari iuſsit, ſed nemo qui vel mandata exponeret, vel literas traderet comparuit. Paulò poſt, hora plus minus decima, excubitor ſpecularius cornu è faſtigio turris ſignum dat, clamatque magnum equitum peditumque globum ab altera Rheni ripa Bonnam accelerare, Rhenumque tranſire. Eickius itaque & de aduentu Archiepiſcopi præmonitus, confeſtim per apparitorem, his qui ad portam (quæ Colonienſis appellatur) excubabant, ſignificari iuſsit, copias quas viderent aduentare, non eſſe hoſtiles, ſed è familia ſui Electoris. Erat etiam eius animi, vt & Senatui, quæ ex Capitaneo habebat, ſignificaret, ſed quia literæ non traderentur, illud commodè fieri non poſſe arbitrabatur. Interea porta clauditur, nemoque admitti potuit priuſquam per miniſtrum aliquem Senatus conſuleretur. Is itaque confeſtim quoſdam è ſuis ad portam miſit, qui copias perluſtrarent, & quæ qualeſque eſſent, referrent. Eickium verò Prætorem qui ante Curiam ſedebat, nec conſuluerunt, nec quam ob cauſam Senatum coëgiſſet interrogauerunt. Ille nihilominus eos qui ad portam mittebantur ex itinere reuocari iuſsit, vt hoc ipſum, quod ex mandato Reuerendiſsimi per Capitaneum acceperat, ipſis exponeret: qui cum non reuerterentur, Senatus harum rerum inſcius, quid Archiepiſcopus præceperat, deinceps ignorauit. Paulò pòſt nuncius venit ad Eickium Prætorem, euocans eum ad portam, dicensque ibi illum Electorem operiri. Fecit ille quod iuſſus erat. Cumque ad portam veniret, inuenit eos qui à Senatu miſsi erant, cum Capitaneo Heien, aliiſque aulicis Nobilibus qui præceſſerant, altercantes: quam litem vt Eickius componeret, Senatoribus mandatum Electoris refert: ſuadetque eos qui ante portam erant in

Digitized by Google

oppidum recipiendos: Aulicos enim, & Suæ Celſitudinis eſſe domeſticos. Reſpondit ad hoc Schlaunius conſul; Magiſtratui ante paucos dies præceptum eſſe, ne quenquam ſub quouis titulo in oppidum admitterent. imò ne Electorem ipſum, niſi manifeſtum indicium proferret. Quod cum audiuiſſet Eickius, ſubticuit parumper, & poſteà in hæc verba reſpondit: Se ipſis modum præſcribere, nec mandare quicquam velle, ſed vt hoc agerent, quod ſe defendere, & excuſare poſſe putarent. Interim claſſicum canit tubicen, & Electorem adeſſe nunciat, quod cum legati ad portam ſenatores audiuiſſent, relicta porta confeſtim Suam Celſitudinem accedunt, eamque honorificentiſſimè excipiunt, ſalutant, & Conſule Schlaunio interlocutore moram excuſāt. Truchſeſius ipſis manum porrexit, & factum de ſuis non intromiſſis ſimulatè laudauit: inde vt ſtatim portæ reſerantur iuſſit. Parent illi, apertiſque portis & ipſe Elector & qui cum ipſo erant aulici & domeſtici, pedites equiteſque intermixtis clanculum militibus Sclopetarijs, oppidum intrarunt, rectaque in Cancellariam contendunt. Hic Gebhardus ſtatim Doctorem Eickium vrbis Prætorem, Magiſtrum equitum Melſchede, & Capitaneum Caſparum ab Heyen ad ſe vocatos, iubet in domo ciuica ſenatum facere, & hæc mandata explicare.

Excuſent initio & purgent Suam Celſ. Senatui conuocato, quod cum inſolitis militum copijs oppidum ingreſſa eſſet. Huius rei cauſam eſſe dicant, inſidias partim detectas, partim adhuc latẽtes, quæ Bonnæ ſtruerentur: admonitum ſe & à Capitulo Colonienſi, & ab alijs, vt aduigilaret ne quid hoc oppidum (inter alia Diœceſeos præcipuum eò, quod archiuum & theſaurus prouinciarum in eo ſit) detrimenti pateretur: de fide ciuium ſe non dubitare, ſed vicina bella metuere.

tuere. Statuiſſe itaque ſe aliquandiu Bonnæ manere, cum equitum ac peditum manu, quam ſimul introduxerat, ea tamen ratione, vt non omnes ſimul ibidem eſſent manſuri, ſed paulatim circumquaque in vicina oppida & caſtra transferrentur, donec, quid à vicinis bellis expectandum eſſet, rectius cognoſceret. Mandare itaque, vt Senatus Menſori hoſpitia pro illis decernat. Præterea iam prandij tempus eſſe, velle Suam Celſ. accumbere, iubere vt portæ ſtatim claudantur, & niſi de mandato ſuo aperiantur, neminem interim in oppidum recipiant, neminem ex eo dimittant niſi Archiepiſcopo conſentiente. Denique quia focus in Cancellaria frigeret, nec apparatus adhuc vllus eſſet, aiebat ſe cum Domino de Krichingen, in cuius ędibus Agnes tum agebat, prandere velle, iuſſitque, vt pro alijs proceribus in diuerſorio ſub interſignio Floris prandium accuraretur, Conſules duo alijque quidam præcipui de Senatu eò ſimul vocarentur, & bene tractarentur, ſeſe poſt prandium cum Senatu per ſuos latius & clementer acturum. Illi mandatum Suæ Celſ. ad Senatum referunt: qui poſt tumultuariam deliberationem reſpondit: Sibi Suæ Celſ. aduentum gratum forè, mirari tamen inſolitas iſtas copias, pacis potius quam belli inſignia videre maluiſſe: tot autem equites, totque pedites in ciuium domos recipere, id ipſis oneri & irreparabili damno futurum. Oppidum domeſticis armis tueri poſſe; præſtare vt iſtæ externæ copiæ in pagos & caſtra vicina transferantur; aut ſi Sua Celſ. eas omnino dimittere non velit, per monaſteria, eccleſiaſticorumque familias diſponantur, quæ ſi ipſis non ſufficiant, eſſe publica diuerſoria, in quibus ſuis ſtipēdijs ali poſſint. Senatui aſſenſum eſt; mandatur graphiario hoſpitia iſtiusmodi in catalogum referat, eumque Menſori tradat.

Interim Kreutz & Schlaun duo conſules ad

prandium cum alijs quibuſdam de Senatu vocati, vt diximus, cum prætore Eickio alijsque aulicis Nobilibus & proceribus, in hoſpitio, cuius ante mentionem fecimus, pranſi ſunt, Gebhardo omnem intereà occaſionem quærente & captante, quomodo claues oppidi in ſuàm poteſtatem redigeret.

Hora igitur ſecunda pomeridiana conuentus fit: agitur de militum hoſpitijs, & de clauibus vrbis vel Archiepiſcopo tradendis, vel certo modo cuſtodiendis. Nam vt Senatum falleret, initio non tam claues abſolutè exigebat, quam quòd quoſdam ex ſuis adiungi & nominari velle, proponebat, qui vnà cum Senatu vrbis & clauium cuſtodiam eſſent habituri. Præſidiarij partim in hoſpitia deducuntur, partim adhuc in foro relinquuntur. Portis autem occluſis Senatus claues ad ſe referri iuſsit, quæ cum magis magiſque à Gebhardo peterentur, reſpondit Senatus: eas tempore inaugurationis ſibi à ſua Celſ. datas & creditas eſſe: Harum itaque cuſtodia priuari non debere, nec poſſe, citra totius populi conſenſum: orare igitur ſe Suam Celſ. vt ab hac petitione diſcedat.

Interea ciues ad arma concurrunt, forum, domum ciuicam, aliaque publica ædificia præſidijs muniunt, & per oppidum paſsim ſtationes diſponunt: quæ res Truchſeſio vehementer diſplicuit. Sub veſperam verò cum Magiſtratum omninò claues denegare intellexiſſet, Conſules & nominatos à Senatu in Vallem Roſarum, vbi Agnes Mansfeldica cum ſorore ſua Kriechingia tunc morabatur, ad ſe vocat, quibus poſtquam veniſſent, latius ipſemet exponit cauſam ſui aduentus, magiſtratui nullas à ſe inſidias metuendas eſſe ait, mirari ſe cur claues ſuæ cuſtodiæ concredere Senatus nolit. Certum eſſe claues inaugurationis tempore Senatui datas, certum & murorum portarumque cuſtodiam ei demandatam eſſe: id autem

temPrincipi non præiudicare, quo minus, preſertim tempore difficiliori, quo perſona illius periclitari queat, ius clauium repetere non poſsit. Mandare itaque ſe Magiſtratui, vt ſine longiori mora, claues ad cancellariam portent: nullam vlteriorem excuſationem adferant, ſed tantummodo pareant, & confeſtim imperata faciant. Inde Conſules ceterosque Legatos dimiſit, qui in Curiam reuerſi ſunt, vt mandatum Archiepiſ. ad ſuos referrent. Truchſeſius verò in equum inſiliens, ad cancellariam properauit: ſtatimque Doctorem Eickium Prætorem, Melſchede, & Capitaneum ab Heijen in curiam ablegauit, vt quid de clauibus decretum eſſet, audirent. Nunciatur interea comitem Hermannum Adolphum Solmenſem in ſuburbio eſſe, & portas ſibi aperiri poſtulare, iubet Truchſeſius portas reſerare, Comitemque introducere, quod & factum eſt, præſente Raue VVilthelm & Capit. Heijen, alijsque nonnullis à Truchſeſio nominatis. Qui à magiſtratu miſsi erant, occluſa porta, claues (etſi ab illis exigebantur) in curiam retulerunt. Cum verò qui Senatus conſultum interrogarent in curiam veniſſent, nihil reſponſi accepere: præter id, quod cum potior Senatorum pars diſceſsiſſet, numerum eſſe pauciorem, quam vt quid certi ſtatui poſſet. Orare igitur Senatum vt Sua Celſ. huius quæſtionis deciſionem hac nocte non vrgeat, ſed inſequenti die clementer expectet. Eickius verò, Gebhardi ſtomachum non ignorans, volensque cauere ne ab ipſo acerbum quid in Senatum, ciuesque ſtatueretur, Capitan. Heijen ſecum in cœnam abduxit, captauitque occaſionem, ne is iſta nocte ad aulam reuerteretur, atque hoc modo reſponſum Senatus in craſtinum, decocta non nihil ira Truchesij, protraheretur. Ceterum Prætor Eickius intempeſta nocte ad aulam vocatus, reſponſum Senatus debuit referre. cumque Archiepiſcopum incan-

Digitized by Google

deſcere videret, ſenatum excuſauit eiuſque cauſam fideliter egit, orans Suam Celſ. ne quid ira præcipiti durius in Senatum & Ciues decerneret. Gebhardi autem indignatione magis magiſque increſcente, metuêre qui aderant ne confeſtim mandaret claues armata manu Senatui extorquere, quod facinus quam exitioſum fuiſſet, quantæque ſtragis occaſionem dediſſet perpendens D. Eickius, plurimum inter alios ipſe cum Melſchedio laborauit, vt Archiepiſcopi animum pacatiorem redderet mitigaretque. Ceterum ira præpediente rationes & preces eorum locum non inuenêre, donec tandem erumpente furore Gebhardus exiliens, gladio euaginato, repetitis ictibus menſam cui aſtabat percuteret: inclamans, ſe Doctori & conſulibus caput audere comminuere. Comes tandem Solmenſis, Melſchede, & alij qui aderant, indignum aliquod facinus ab illo iam iam committendum metuentes, intercedunt, rogantes vt ſeſe temperet, ſomno pectus mulceat, craſtinum reſpōſum placidus opperiatur: ſperare ſe Senatores cras officium facturos. His precibus mitior factus, cum nonnihil reſpiraſſet, Tribunos, nobiles & clientes ſuos in maiori aula congregauit, interrogans eos, quid de Magiſtratus excuſatione & dilatione ipſis videretur. Reſponſum eſt, expectandam eſſe diem craſtinam; non enim Senatum aut abſolutè negaſſe, aut petulanter reſpondiſſe. Proinde & noctem eſſe & tenebris omnia oppleri, ſi quid violentum tentaretur, magnos tumultus concitari, maximas clades & dari poſſe & accipi. Placuit tandem hæc ſententia Gebhardo ea lege, vt Magiſtratus promitteret Comiti Solmenſi, ſe claues ea nocte fideliter cuſtodire, nulli portas aperire, nullum emittere, nullum in vrbem recipere velle ſine ſuo conſenſu. quod mandatū Solmenſi, Melſchede, Ludovvico Rump, Prætori Eickio alijſq; nonnullis dedit ad Senatū

perſe-

perferendum, qui cum in domum ciuicam veniſſent, cum reuerẽtia excepti & auditi ſunt, placuit Senatui propoſitio, & confeſtim præſtitit quod petebatur.

Poſtridie Comes Solmenſis, Hermannus Adolphus, alijque ipſi adiuncti iterum ex mandato Truchſeſij ad Senatum conueniunt, repetunt breuiter quæ die præcedenti in cauſa clauium cuſtodiendarum vltrò citroque acta erant. Petunt ne Reuerendiſſimi fidem & beneuolentiam ſuſpectam habeant, nec exiſtiment claues malo fine poſtulatas. Non fuiſſe alium Archiepiſcopi ſcopum, cur eas poſtulauerit, quam vt ciuium obedientię fideique periculum faceret. Si ad mandatum eius claues tradidiſſent, Reuerendiſſimum decreuiſſe eas confeſtim Senatui reſtituere, & noua quadã ſolennitate ſecundò magiſtratui oppidi cuſtodiam demandare: ſaltem quidam ex ſuis præcipuis Senatui adiungerentur, vti ab initio Senatui propoſitum erat. Hanc obedientiam Suam Celſ. adhuc ab illis expectare. Deinde petere vt Senatus ciues ab armis diſcedere faciat, publicoque caueat edicto, ne ad ſympoſia conueniant, ne inebriarentur: poſſe enim ipſis vino æſtuantibus, diſſidij & ſeditionis cauſam dari. Tertiò mandare vt quot portæ vrbis ſint, quarum potiſſimus ſit vſus, qui claues cuſtodiant, qui claudat portas, quiſque aperiat, & quæ ſeruari ſoleat in ijs claudendis aperiendiſque conſuetudo, ſcripto tradant. *Nouemb. 5.*

Senatus poſtquam Archiepiſcopi poſtulata intellexiſſet, poſt maturam deliberationem breuiter reſpondit. Non ignorare Senatum populumque Bonnenſem, quam obedientiam ſuo Principi promiſerint, & quam ſoluere illi teneantur: ſed nec eam velle recuſare. ceterum claues apud ipſum deponere, id præter ius & conſuetudinem eſſe, quæ violare ipſis graue foret. Senatum inaugurationis tempore, præſente

Capitulo ſeu Legatis eiuſdem, à Sua Celſ. claues cuſtodiendas accepiſſe: eas ſine Capituli mandato reddere non poſſe. Capituli ſententiam quæri debere: ſed nec Senatū vel minima in re peccaſſe, cur inuitus illarum cuſtodia debeat priuari. Nihilominus vt Suæ Cel. ſatisfiat, promittere ſe, in portis occludendis & reſerandis tam fidelem curam adhibere, vt diligentior ab ipſo exigi nec debeat, nec poſsit. nemoque vel clam vel palam ingrediatur oppidum, vel egrediatur, niſi Sua Celſ. ſciente volenteque: petere inſuper, vt eius mandato conſtituantur, qui vt hæc obſeruentur, aduigilent. Offerre eidem, vt ſi ſui corporis cuſtodiam petat, eligere ſe velle ex optimis fideliſſimisque ciuibus 50. vel 100. ſatellites, qui illius curam diligentiſsimam eſſent habituri: & præter hæc eas nocturnas diurnaſque inſtituere excubias ciuiles vel domeſticas, quæ & ad vrbem defendendam ſufficere, & Suæ Celſitudinis beneplacito ſatisfacere poſſent. Si ciuium numerus minor ſit quam neceſsitas requirat, ſe à multo tempore vicinis oppidis confederatos eſſe, poſſe facile copias auxiliares euocari: Tantum orare Senatum, ne ius clauium ſibi extorqueatur. Porrò ad ſecundum ait Senatus ſuo placito vel mandato ciues ad arma non veniſſe. Velle ſe laborare vt ad armorum depoſitionem inducantur: ceterum rogare vt prius introductus heri miles dimittatur: timendum enim eſſe, quod, quamdiu armatus ille in viſceribus Reip. hæreat, ciues arma non ſint depoſituri. Quod ſi moniti ab armis diſcedere non velint, orat Senatus id ſibi non imputetur. Tertiò, quoad conſuetudinem cuſtodiendarum portarum & clauium ſcripto tradendam, in hoc ſe Archiepiſcopo ſatisfacturum promittit.

Comiti Solmenſi nihil in hoc reſponſo grauius accidit, quam quod Capituli ſententiam rogari oportere dixiſſent, quam opinionem aculeata quadam parœmia rejecit.

Prætor

Prætor verò oppidi D. Eickius cuncta hæc fideliter ad Archiepiſcopum retulit, qui ſententia Senatus intellecta, hęc reſponderi iubet: In primo articulo ſibi ſatisfactum: tantummodo nèminem oppidum ingredi aut egredi permittant, niſi ſuo cum conſenſu: vtque ad mandatum ſuum portæ aperiantur & occludantur. Ceterum quoad ſententiam Capituli, ea opus non eſſe, ſcire Senatum cui ſacramento deuinctus ſit, & penes quem nunc rerum ſit adminiſtratio. Confœderationem cum vicinis oppidis ſibi non diſplicere: velle vt inuiolata conſeruaretur: tamen non neceſſarium adhuc eſſe auxiliares copias euocare, cum recens introductum præſidium ſufficiat ad oppidum cuſtodiendum. Cuſtodiam quoque corporis ſui à Senatu oblatam, etſi non ingratam, ſibi tamen hac vice ea opus non eſſe, velle quidem interim ſe expectare à Senatu, vt in ſcriptis exponant quem ordinem in vigilijs & excubijs inſtituendum exiſtiment. Porrò quod Senatus dixiſſet arma ſe inſcio atque inuito ſumpta eſſe, ait Gebhardus, ſibi contrarium conſtare: plus quam notum eſſe, Senatum mulctam pecuniariam conſtituiſſe his, qui armati in publicum non prodirent. mandare itaque ſe, vt confeſtim arma ponant, milites introductos hoſtes non eſſe, ſed ſocios & amicos: Petulantiam ciuium in ſuos nobiles ad ſe delatam eſſe, velle omnino vt de huius auctoribus ſupplicium ſumatur, caueaturque ne ſimile quid in poſterum committatur.

Hoc Gebhardi reſponſo in Senatum relato, poſt breuem conſultationé, articulus primus admiſſus eſt his conditionibus; Ne ſcilicet Archiepiſcopus maiores copias in oppidum introduceret, & vt ipſo diſcedente milites omnes ſecum abducat, oppidique cuſtodiam liberam (qualis hactenus fuerat) Senatui relinquat. Quis autem in vigilijs & excubijs futurus eſſet ordo, id aiút Sena-

Digitized by Google

tores ſe pomeridiano tempore de ſcripto recitaturos. Petulantiæ vero in nobiles ſuos commiſſæ cauſas eſſe nobiles ipſos, non autem ciues: interim velle ſe diligentius inquirere, & ſi quem reum inuenerint, hunc pœnas daturum. Ceterum quod Archiepiſcopus dixerat Senatum arma contra introductum militem diſpoſuiſſe, mirari ſeſe inquiunt, rem aliter ſe habere, petere vt ipſius rei veritaté Reuerendiſſimus inquirat, quod ſi compertum fuerit magiſtratus iuſſu hoc factum eſſe, ſe eo nomine rationem reddituros promittunt.

Placuit Gebhardo & ſuis hoc ſenatus conſultum: conuentum itaque eſt vt Senatores fide & ſacramento, aliàs præſtito, obſtringerentur: datisque dextris promiterent, ſeſe in conditionibus & pactis manſuros. Promiſitque viciſsim Gebhardus ſe præſidium vrbis non aucturum, niſi ſumma id neceſſitas poſtularet, & tunc de communi Senatus conſilio id facturum, prout illi viſum foret expedire & conuenire. Data eſt itaque Doctori Eickio vrbis Prætore prouincia, pactionem hanc in publicas tabulas referendi: & per Secretarium Gebhardo porrigendi.

Sed nouis quotidie difficultatibus exorientibus (ciues enim mordicus ſuum ius ſuaque priuilegia, tam de clauibus aſſeruandis, quam de oppidi cuſtodia defendebant) pacta ſenſim violari cœperunt. Interim ciues non tantum perpetuò quaſi in armis ſtabant, totoque oppido excubias agebant ſtationesq; habebãt, ſed vectes & cathenas quibus plateæ, Cancellariæ viciniores tutabantur, occluſerunt. Quod cum Gebhardo relatum eſſet, ira implacabili excanduit, cœpitque conſilia captare, quomodo merum vrbis imperium, abſolutamque eius poteſtatem in ſe, manu armata transferret.

Nouemb. 7. Poſt biduum Senatus Gebhardo pactam fidem reddere volens, ordinem conditionesq; excubiarum

rum à Senatu conceptas & promiſſas ſcripto tradidit. Eickius verò non ignorans exulceratum Truchſeſij animum mentemque inquietam, poſtquam tacitè intelligeret, ipſi ſatisfieri non poſſe: præterea in ipſa actione compertum habens & ſentiens quod ab æmulis ſuis clam criminaretur, quod vni plus quam alteri parti faueret, eoq; nomine tandem in ſuſpicionem partis vtriuſque veniret, haud immeritò & conſultò cogitauit ſeſe intricatò hoc negotio expedire. Nam dũ vtrinque reſponſiones referebat, eas ſine vllo affectu aut iudicio interpoſito, nudè vt mandabantur fideliter narrabat: partes verò aduerſę, in ſuam eũ ſententiam ferri, cũ impetu cupiebant. Quid faceret vir bonus & ſyncerus? ſiquidem Sacramẽto quo Principi ſuo obſtrictus tenebatur hactenus, nondũ erat ſolutus. Videns itaq; Eickius neutri ſe ſatisfacturum, vtriuſque ſe occupationibus abdicauit: per Comitẽ Solmenſem à Gebhardo petijt, vt alterius opera in mandatis ad Senatum referẽdis, deinceps vteretur. Gebhardus ſe hac de re deliberaturum reſpondit. Suboluit interea Doctori Eickio conſulem quendam Archiepiſcopum admonuiſſe, vt ſi quid à Senatu & populo Bonnenſi impetrare vellet, id non per Eickium, ſed per virum aliquem peteret populo gratiorem. Erat autem is Conſul, quo cum Eickio Prætori in Senatu de leuitate extra ordinariè aperiendæ portæ quã Mullemer thürlin appellant, proinde etiam de intromittendis & emittendis nocte extraneis, & ne quid horum ſine conſenſu fieret, Præfecti ſeu prætoris petenti (conſule iſto ad hoc reclamante) nuper lis interceſſerat. Erant etiã ciues ab ipſo cõſule malè perſuaſi, quod Eickius prætor hoc pacto ius clauium vrbis ſibi vendicare ſtuduiſſet: quod magnũ Eickio prætori, licet immerito & ſine culpa, hoc vno Conſule inimico authore, apud ciues odiũ peperit, donec à quibuſdam prudentioribus

modeſtio-

Digitized by Google

modeſtioribusque bonis conciuibus, & ipſorum Duodecimriris aliter inſtruerentur. Deſtituto itaque Doctore Eickio Prætore, Doctor VVernerus Schenkius in illius locum, vt cum Senatu cœptum de clauibus tradendis negocium perficeret, ſurrogatus eſt.

Non leuis erat ſuſpicio hæc omnia impulſu auſpicijſque Gallorum (qui ſua pomeria dilatare, & Imperio ſubtractas quaslibet ciuitates, regno ſuo adijcere, nunquam non conantur) geri. Iamque in ore omnium erat Gebhardum Alenconio Gallo confœderatã eſſe. Indignißimè tulit id Illuſtrißimus Dux Parmenſis, cui ab Auunculo Rege Hiſpaniarum ditionum Belgicarum concredita erat gubernatio, nec ferendum eſſe putauit, Archiepiſcopum cum hoſte ſuo, totiusque patriæ Alenconio Gallo paciſci. Non latuit id Archiepiſcopum,, timenſque Regis Hiſpaniarum potentiam, cui nihil antiquius, nihil ſanctius eſſe ſciebat, quam Catholicã Religionẽ tueri, & hęreticas opiniones vna cum ſuis auctoribus explodere, confeſtim literis datis ad Parmẽſem, illi ſeſe purgauit.

Noue.13. Archiepiſcopus Ludovvicum Rump & Hontſelerum nobiles, ad colligendum equitatum, peditatumque maiorem emiſit, Confœderatæ verò & finitimæ quædam ciuitates, nec non & pagi nonnulli, Bonnenſibus auxilia offerebant. Magiſtratus verò (vt cui de Capituli voluntate nondum conſtabat) Archiepiſcopi conatus infringere non audebat: Miſit itaque litteras, legationemque ad Capitulum decreuit, vt de ſententia illius certior redderetur. Sed tardius reſponſum remiſſum eſt.

Nouemb.16. Gebhardus interim quotidie Senatui Bonnenſi moleſtus erat, & nunc precibus, nunc minis claues oppidi ſibi tradi poſtulabat. Senatus verò ciueſque ſemper honeſtè id recuſarunt, cauſas quas antea poſuimus, iterum iterumque inculcantes.

Comes

Comes verò Solmenſis omnem mouebat lapidem, vt dum ciues induci non potuerint ad clauium traditionem, ſaltem perſuaderentur vt portarum cura Archiepiſcopo & ciuibus communis eſſet, hac lege, vt penes ciues clauium eſſet cuſtodia, nullis tamen aut ingredi aut egredi liceret, niſi cum conſenſu Archiepiſcopi. Ceterum neque hoc obtinere potuit: quamobrem Coloniam veniens, de hac Bonnenſium pertinacia ſuos apud amicos conquerebatur: iactitans interim, breui fore, vt quam plurimis moleſtijs exagitati, vltrò concederent, atque imperata facerent.

Paulò poſt Gebhardus nouum militem, quem conſcribi fecerat, propius admouebat & per circumquaque loca vicinoſque pagos diffundebat. Erat in conſpectu vrbis, nō procul à mœnibus inſigne nobilium Virginum monaſterium Dittirchen appellatum, in hoc præſidium deduxit ſceleſtiſsimorum nebulonum, qui tam importuni Virginibus fuêre, vt eæ loco cedere atque in vrbem commigrare coactæ ſint. In vicino caſtro Poppelsdorp / ducentorum peditum præſidium collocauit. In Godesberff / Keſſenich / finitimiſque pagis miles quoque diſtributus eſt, quorum numerus indies augebatur, ita vt Bonnenſes nunc milite quaſi circuncincti, non immeritò metuerent, ne forte vel per cuniculos, vel ſcalis per mœnia, clam maiores copię in vrbem deducerentur, ab ijſque ciues inopinantes opprimerentur. *Nouemb. 17.*

Solmenſis, Vvinnenbergius & Kirchingius ab Archiepiſcopo mane diſceſſerunt, atque Coloniam ad Capitulum profecti ſunt. Ceterum eodem die, ſub veſperem, Comes Nuenarius iterum Bonnam appulit: vt ne vnquam Gebhardo deeſſet, qui eum inſtigaret, & ad quæuis audenda vrgeret: neue (ſi ſolus relinqueretur) in ſe reuerſus, ac pœnitentia ductus, ad ſaniorem forte mentem rediret, atque ab in cæpto deſiſteret, quod vt natura

minimè

minimè malus erat, ita fuerat à pueritia optimis ſemper moribus atque artibus ſollicita Cardinalis Auguſtani Patrui ſui cura inſtitutus.

Senatus verò Colonienſis, ne quid ſuis incommodi accederet, fide & officijs volens prouidere, vrbem frequentiori milite, armatoque ciue munire, ſtationesque & excubias augere non deſijt: quod cum intellexiſſet Archiepiſcopus, ratus id in rem ſuam non fore, ad aliquot tribus hunc in modum ſcripſit.

Gebhardus ad Tribus Colonienſes.

NOS *Gebhardus Dei Gratia Electus & Confirmatus Archiepiſcopus Colonienſis, Sacri Rom Imp. per Italiam Archicancellarius, & Elector, Dux Vveſtphaliæ & Angariæ &c. Certiores facere vos curiarum Magiſtros & iuratos Vrbis Colonienſis contribules voluimus, famam ad nos perlatam eſſe, Conſules & Senatum veſtrum ſe omni armorum genere, bellique apparatu munire: Omnium curiarum magiſtros, & potiorem ciuium cuiuſcunque ætatis partem, noua iuriſiurandi formula obſtringere, aliaque inconſueta inuſitataq; moliri. cauſas verò prætendere, quod nos è noſtris Vveſtphaliæ ducatibus in Diœceſis noſtræ partes Rheno conterminas milites euocauerimus, pluresq; ibidem cogamus ad vrbem Colonienſem infeſtandam. Certum quidem eſt & manifeſtum, Senatum vrbis Noſtræ Colonienſis, iniquas contra nos cauſas iam pridem fouiſſe & ſuſtinuiſſe: noſtræ quoque antiquæ & extra omnem controuerſiam poſitæ iuriſdictioni, ſummoque imperio derogare, & ea, pro ſua libidine, nobis ſubtrahere voluiſſe, ciuibus id ignorantibus: ex priuata enim contentione Conſulis Sudermanni, Magiſtratus Syndici Petri Steenvvichij, ijsq; adhærentium, & ex affectu proprio, quem ad defenſionem priuatæ ſuæ cauſæ ac litis agri Koemarij (quam tamen nullo iure poterunt tueri) adferunt, Reipublicæ perturbãdæ occaſionem præbere conantur. Cum tamen omni iuri & æquitati aduerſetur, ex priuata, cauſam publicam facere, aut ob priuatum alicuius negotium vniuerſam Remp. in diſcrimen adducere.*

Nos

NOS *tamen Remp. & ciuium communitatem optima gratia & paterno affectu proſequentes, eorum tranquillitatem & fælicitatem non illibenter cerneremus, & pro noſtra facultate promoueremus. Hac opinione & affectu toto adminiſtrationis noſtræ tempore fuimus & in ea perſeuerare decreuimus: vt ciuibus negotiationes ſuæ à nobis non aliter quam à Maioribus noſtris liberæ relinquantur: merces eorum per diœceſin vel terra vel fluuio ſecurè, & ſinè impedimento importentur, exportenturq́; ipſi tutò quô velint accedant & decedant: quin etiam ne ab alijs itinera infeſtentur, operam dabimus. Quod verò certum militem conſcripſimus, pluresq́; adhuc conſcribimus, eo fine facimus, vt conatibus & inſidijs quorundam quibus nonnulla ditionum noſtrarum loca impetuntur, commodius occurratur, id quod rei euentus tandem declarabit. Nec in noſtræ tantum diœceſis protectionem, ſed & ad veſtræ, totiusq́; Reip. veſtræ tranquillitatis conſeruationem, id ſumus auſpicati. Neceſſe itaq́; non erat Conſules & Senatum veſtrum, tanquam nos metuentes, hoc bellum moliri: vobisq́; popularibus & ciuibus non neceſſarios ſumptus inferre, aut in negotiationibus curisque domeſticis impedire. Hanc noſtram beneuolam in vos propenſionem celare noluimus, vt mercaturæ & alia veſtra negotia non impediantur. Rempublicam verò veſtram, deinceps vosq́; omnes, ſingulari Electoratus gratia proſequemur, & ſemper commendatos habebimus. Datum in vrbe noſtra Bonnenſi: ſub ſecreto ſigillo noſtro, 22. Nouemb. Anni 82.*

Huiuſmodi ſcriptum cum Dominico die ſubſequenti tribu lib. traditum eſſet, nihil ij in Senatum commoti ſunt, id quod ille tamen ſperauerat: ſed fidei & officij ſui, bonorum inſtar ciuium, memores, literas iſtas magiſtratui porrexerunt. Is poſt maturam illarum examinationẽ publico edicto, tanquam qui iuſtiſsimam cauſam fouebat, Archiepiſcopo in hunc modum reſpondit. *Nouemb. 25.*

QVOD *conſules Senatores & 44. vrbis optimates aduigilent, ne quid ſiniſtrum Reip. accidat, iuſtiſſimum eſſe dicebant: quod verò inuſitatũ quid, & ab officio ſuo alie-* Senat⁹ Colonienſis Archiepiſ.

num

num moliantur, id ſe negare, nec concedere poſſe hanc Reip. curam ex metu quem de Archiepiſcopo ſuo habebant, profectam eſſe: multo quoque minus fateri, quod ſuæ Celſ. iuriſdictioni quidquam detrahere vnquam voluerint, aut priuatorum hominum cauſa huc impulſi fuerint. Poſſe quidem ex varijs qui adferebantur rumoribus, & cœptæ nouitatis circunſtantijs, læuas ſuſpiciones elici: ſe tamen eas contempſiſſe, nec earum reſpectu armis & bellico apparatu, vrbem muniuiſſe. Verum funeſtiſſimis his temporibus, omnibus periculis & inſidijs plenis, dum omnia circumquaque bellis æſtuent, admonitos, de vrbis ſuæ quæ ſacri Romani Imperij membrum eſt, (id quod & aliæ ciuitates facere ſolent) protectione & munitione cogitaſſe, ideoq; ſe ex præſcripto Romani Imperij conſtitutionum, pactorumq; & inſtitutorum ciuitatis Colonienſis antiquorum, legum quoq; & ſcripti iuris, tempore pacis bellicum apparatum comportare, & ingruentia mala præuertere voluiſſe: vt tempore neceſſitatis, neceſſarijs armis non deſtituantur. In his omnibus tamen Archiepiſcopi ſui iuribus aut honori, quemadmodum ex edictis ſuis conſtare poterat, nihil derogari. Immeritò igitur ſe ab Archiepiſcopo inſimulari, quaſi priuato odio inducti, illius, quæ in controuerſiam conuocari non poteſt, iuriſdictionem imminuere cupiant. Nunquam id ipſis in mentem veniſſe. Sed è contrario manifeſtum eſſe, Suam Celſit. magiſtratus auctoritatem, ius & imperium quod in Vrbe Colonienſi, & illius territorio ſeu finibus, ad eam pertinentibus habet, imminuere, & ipſi extorquere (quamuis rationem nullam haberet, nec ipſi in Archiepiſcopum deliquiſſent) iam pridem voluiſſe: indictiones nouas & inconſuetas in eodem territorio contra ius & æquum, contra ſuum deceſſorumq; ſuorum pacta, imperaſſe: quod immune erat, ſibi vectigale facere conatum eſſe Non igitur Senatum Priuatorum quorundam ſui collegij hominum (quos nihilominus fideles & honeſtos viros æſtimabant) reſpectu, ſed multò potius (quo Reipu. totique Imperio Rom. obſtringebatur) iuramenti ratione, ad hoc negotium curas ſuas contuliſſe: id enim ſe vnice curare, vt Remp. Colonienſem quam à maioribus ſuis liberam accepit, eandem & liberam

ram

ram poſteris ſuis tradat non ſeruilem. Tamen nihil hactenus egiſſe, quod non prius à pleno Senatus conſeſſu & 44. optimatibus, totum Reipublicæ corpus repræſentantibus, fuerat approbatum. Quo verò fauore & qua beneuolentia Sua Celſit. Vrbem Colonienſem proſequatur, quid ſub ſpecioſis iſtis verbis lateat, ex eo palam fieri, quod Vrbem hanc, Vrbem ſuam appellat, in qua tamen nec imperium vllum, nec quidam vllius iuris ſuperioritatis, vt vocant, illi deberi aiebant: eſſe enim antiquam & liberã ciuitatem Imperij, aliarumque omnium primam: pro tali eam & Cæſarem ipſum, ceteroſq; Electores Principes & ordines Imperij agnoſcere. Iniquè igitur & prorſus indignè Suam Celſit. cum Colonienſibus agere, vt quæ talibus iſtis litteris, ciues in Senatum concitat, ſimultatemq; & diffidentiam inter illos diſſeminat: illud non ſolũ decretis & conſtitutionibus Imperij, domeſticæ paci, alijsq; contractibus & pactionibus, verum etiam iuri ſcripto, æquitati & communi Reip. ſaluti planè aduerſari, in quibus ſaluberrimè inter alia cautum eſt, ne quis Princeps alterius ſubditos ad ſe alliciat, aut eos inuito vel ignorante Magiſtratu proprio, in ſuam tutelam aut protectionem aſciſcat, multo minus vt famoſis libellis diuulgatis præter omnem conſuetudinem iſta tentet, Propterea Conſulibus Senatoribus & 44. Optimatibus liberæ Sacri Romani Imperij ciuitatis Colonienſis (ad defenſionem honoris, auctoritatis, exiſtimationisq; ſuæ; & ad conſeruationem Vrbis) hanc iniuriam, contemptum, atq; ignominiã ſibi ab Electore factam, cordi eſſe: eamque alta menta figere velle, & debere: decreuiſſeque licitis medijs ius ſuũ defendere, & eius in quo læſi erãt, aut minus beneuolè ab eo excepti, vel apud Cæſaream Maieſt. vel alium conuenientem Iudicem aut magiſtratum actionem inſtituere, illiusq; ſententiam expectare ſtatuiſſe.

Archiepiſcopus non ignarus, quam arduum atque difficile ſit bellum, ſine prompta pecunia gerere, ſciensque negotium ſuſceptum fortunas ac facultates ſuas ſuperare, de nouis theſauris conquirendis cogitationes atque conſilia inſtituit. Occurrit primum arx Bruelenſis, in qua, de

more, aurea argenteaque vaſa, alia ornamenta atque cimelia diœceſis, omnium præcedentium Archiepiſcoporum, aliorumque Principum donaria atque monumenta ſeruabantur. Eodem igitur tempore miſsis de nocte quibuſdā è ſuis ſcrinia cuncta reſerari & compilari, omnemque theſaurum ad ſe Bonnam tranſportari iuſsit.

Decemb. 2. Mox Theodoro Knippenbergero Oeconomo in Horenburch Vveſtph. oppido per nuncium quendam 100. aureos mittit, vt ea pecunia milites cogat quibus tractum Reckelinckhuſenſem tueatur. Poſtridie Kalendarum Decembris Legatos miſit Capitulum Bonnam ad Archiepiſcopum, qui, quę de ipſo fama eſſet, quam apud pleroſque exiſtimationem haberet, quid de mutanda Religione, deque vxore ducenda non tantū vulgus, ſed & nobiles & Optimates ſuſpicarentur, illi ſine ambagibus expoſuerunt. Orabantque obnixè, mentem ſuam aperiret: vt quid ipſis faciendum ſit, maturè poſsint deliberare. Legati verò Bonnę diu hęrebāt, reſponsū enim de die in diē protrahebatur, tandem nil niſi querelas, intricatumq; & dubium reſponſum ad Capitulum reuerſi reportauerunt.

Erat tunc ea Gebhardi aulæ facies, vt non Archiepiſcopum ille, ſed belli Imperatorem referret: nullus ibi conſiliarius, nullus Senior ex nobilitate, nullus Eccleſiaſticus, nullus ſani conſilij vir conſpiciebatur. Tribuni militum, Chiliarchi, Centuriones, Decuriones, Equitum Magiſtri, Lixæ, atque Calones aulam moderabantur. hi frequenti ſuo ingreſſu, atque egreſſu eam condecorabant, in eaque compotantes, choreas dies noctesque ducebant. Legatis Epiſcopi Bremenſis, Caſimiri, Principis Auriaci & aliorum Naſſouiorum ſingulis momentis fores patebant. Ipſe Archiepiſcopus in tantis delitijs ac voluptatibus tantum non lætabatur, vt ſemper pallens atque meditabundus incederet.

Obtun-

Obtundunt ſiquidem curarum pondera ſenſus.

Suſpicionibus varijs exagitabatur: Omnia inſidiarum plena exiſtimabat: ſomnus verò illi erat rariſsimus, adeò vt medicus, quem ex Vveſtphalia ſecum adduxerat, admodum illi gratularetur quod cum plurimas noctes duxerat inſomnes, tandem ſex horis quieuiſſet. nonnunquam etiam menſæ aſsidens, nec cibum capiebat, nec verbum proloquebatur. Circa idem tempus Carolus Mansfeldius, Agnetis frater Germanus, qui ſub Alenconio militabat ad vxorem ſuam Comitis Seynenſis ſororem, quæ tunc Bonnæ quoque Gynæceum augebat, ſcripſit, quæ de Archiepiſcopo Colonienſi, deque ſorore ſua in Belgio fama erat, iuſsitque vxori, vt confeſtim hoc contubernio relicto, ad ſororem ſuam Abbatiſſam Eſſendenſem ſe conferret, addens, de Agnete quid fieri velit, poſtea ſe ſcripturum. Paruit illa, ſed & Agneti infenſa, ſe antequam diſcederet, ei textum cum gloſſa (hoc vtebatur prouerbio) prælecturam, aiebat. *Cornel. Gallus.*

Interea noui conatus Archiepiſcopi ad curiam Romanam, atque ad ipſum Pontificem, qui tunc correctioni anni tropici operam dabat, delati ſunt. Sed quia illius optima inſtitutio & ſumma cum laude peracta adoleſcentia, in recenti adhuc erat memoria, difficulter rumoribus fides adhiberi potuit. Sed cum omnes vndequaque perſcriptæ literę idem aſſererent, tandem Sua Sanctitas, vt crederet, cœpit induci.

Ipſis itaque Nonis Decembris indicta fuit Romæ in ædibus Farneſij, Cardinalium, rerum Germanicarum curam gerentium, congregatio: in eaque omnium ſuffragijs concluſum eſt: vt Pontifex mitteret fidelem quempiam virum in Germaniam, qui intelligeret, quo conſilia & res Archiepiſcopi Colonienſis tenderent, & quid ille moliretur. Cui legationi præfectus eſt Minutius *Decemb. 5.*

Digitized by Google

de Minutijs, Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Cardinali Madrutio à Secretis. Is proſtridie magnis itineribus in Germaniam contendit. Ne verò inopinatus eius eſſet aduentus: placuit Madrutio Cardinali, per quendam familiarem ſuum Colonienſes de hac legatione certiores facere. Habebat is amicum Coloniæ commorantem, cui per celerrimum veredarium in hęc verba ſcripſit.

HODIE *ante prandium curauit me vocari Illuſtriſſimus Madrutius, qui vbi ex me intellexiſſet D. V. Coloniæ nunc agere, mihi iniunxit, hæc ad te ſcribere. Pontificem nimirum, totumq́ collegium Cardinalium, & præcipuè eos qui res Archiepiſcopi, ac familiæ de Truchſes, vbique & ſingulariter protexerunt, ex animo dolere, de rumore hic ſparſo: videlicet Archiepiſcopum nedum vndiq́ collectis militibus ſtipendiarijs Bonnam occupaſſe, eamque & alia loca Archiepiſcopatus muniuiſſe, ſed & (quod incredibilè videtur) certò ab omnibus affirmari, ipſum contraxiſſe Matrimonium, & cum vxore Archiepiſcopatum per vim retinere velle: atque adeò relicta vera, eaq́ quam à prudentiſſimis ſuæ familiæ maioribus accepit, fide, cum Lutheranæ ſectæ hominibus concordiam ac fœdus inijſſe. Etſi autem Pontifex & cæteri Reuerendiſſimi Archiepiſcopi amici hæc falſa eſſe certò ſibi perſuadeant, vt pote qui habita conſideratione prudentiæ Archiepiſcopi, ſuæque familiæ in ſeruanda auita Religione conſtantiæ, hanc Metamorphoſin ſatis mirari nequeant, & quod optimè ſciant, Archiepiſcopũ multos habere æmulos, qui vbiq́ eius famæ & honori inſidientur: tamẽ eos ſummopere admirari, quod Archiepiſcopus (cui procul dubio notum eſt, hæc & peiora per Germaniam & Italiam de ipſo paſſim ſpargi) nulla aut parua honoris ſui habita ratione, non demonſtret Pontifici & alijs ſuis amicis, hæc omnia eſſe falſa: alias alios Principes, Eccleſiaſticos Germaniæ militem conſcripſiſſe, caſtra muniuiſſe cum ſiniſtra ſuſpicione Catholicorum: ſed eos in id incubuiſſe, vt Pontifici ſuisq́ amicis inſtituti ſui rationem ante omnia redderent. Proinde eſſe propterea legatum in Germaniam Minutium ſuum Secretarium, qui ad Tre-*

uirenſem

uirenſem & Moguntinum Electores mandata Pontificis deferat, vt illi Principes (ſi fieri poſſit) Coloniam proficiſcantur, & controuerſiam, quam fortè Archiepiſcopus cum aliquibus habet, ſopire ſtudeat: prout & idem Minutius Coloniam veniet. Hæc omnia V. D. Madrutius ſignificari voluit, vt ſciatur qua intentione Minutius tranſmiſſus fuerit, quia (vt eſt veriſimile) varij variè aduentum eius interpretabuntur.

Hæc totidem verbis ſcripta epiſtola Coloniam mittebatur, & à diuerſis lecta eſt: qui non difficulter ex ea magnam Gebhardi exiſtimationē, quam Romæ habebat, intelligere potuerunt. Pontifex autem, nolens pro auctoritate ſua confeſtim Anathematis in Archiepiſcopum vti fulmine, pro paterno ſuo affectu quo illum complectebatur, prius benignam hanc & peramicam admonitionem, ad ipſum deſtinauit.

Pontifex Archiepiſcopo.

VENERABILIS *frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Truchſeſiorum domum, non minus generis nobilitate, quam fidei Catholicæ ſtudio & conſtantia ante hac floruiſſe, teſtis eſt inſignium virorum, qui ex ea prodierunt, tum antiqua, tum recens memoria, præcipuè verò Cardinalis Auguſtani, qui principem in ea locum obtinuit, apud quem tu piè & religioſè, & quaſi in conſpectu ac gremio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ educatus, non paruam olim præbuiſti ſpem, forè, vt dignus tali genere, ac diſciplina euaderes: Hinc noſtra erga te propenſio, noſterq; paternus amor initium habuit, qui poſtea, ex grauium virorum teſtimonio, non ſolum confirmatus, ſed etiam auctus fuit, vt de te nobis viciſſim optima & rectiſſima quæque polliceremur.*

SVCCESSIT *tempus illud, cum electus fuiſti à Capitulo Colonienſi in Achiepiſcopum illius Eccleſiæ, quæ electio, cum maximis implicaretur difficultatibus, & vehementiſſimè oppugnaretur; tamen ea ergà te vſi ſumus benignitate, vt, ſublatis omnibus impedimentis, Capituli iudicium, & electionem de te factam, approbaremus, confirmationiſq; Apoſtolicæ robur adijceremus. Ex his puta-*

Digitized by Google

de Minutijs, Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Cardinali Madrutio à Secretis. Is proſtridie magnis itineribus in Germaniam contendit. Ne verò inopinatus eius eſſet aduentus: placuit Madrutio Cardinali, per quendam familiarem ſuum Colonienſes de hac legatione certiores facere. Habebat is amicum Coloniæ commorantem, cui per celerrimum veredarium in hęc verba ſcripſit.

HODIE *ante prandium curauit me vocari Illuſtriſſimus Madrutius, qui vbi ex me intellexiſſet D. V. Coloniæ nunc agere, mihi iniunxit, hæc ad te ſcribere. Pontificem nimirum, totumq́; collegium Cardinalium, & præcipuè eos qui res Archiepiſcopi, ac familiæ de Truchſes, vbique & ſingulariter protexerunt, ex animo dolere, de rumore hic ſparſo: videlicet Archiepiſcopum nedum vndiq; collectis militibus ſtipendiarijs Bonnam occupaſſe, eumque & alia loca Archiepiſcopatus muniuiſſe, ſed & (quod incredibilè videtur) certò ab omnibus affirmari, ipſum contraxiſſe Matrimonium, & cum vxore Archiepiſcopatum per vim retinere velle: atque adeò relicta vera, eaq́; quam à prudentiſſimis ſuæ familiæ maioribus accepit, fide, cum Lutheranæ ſectæ hominibus concordiam ac fœdus iniſſe. Etſi autem Pontifex & cæteri Reuerendiſſimi Archiepiſcopi amici hæc falſa eſſe certò ſibi perſuadeant, vt pote qui habita conſideratione prudentiæ Archiepiſcopi, ſuæque familiæ in ſeruanda auita Religione conſtantiæ, hanc Metamorphoſin ſatis mirari nequeant, & quod optimè ſciant, Archiepiſcopũ multos habere æmulos, qui vbiq; eius famæ & honori inſidientur: tamẽ eos ſummopere admirari, quod Archiepiſcopus (cui procul dubio notum eſt, hæc & peiora per Germaniam & Italiam de ipſo paſſim ſpargi) nulla aut parua honoris ſui habita ratione, non demonſtret Pontifici & alijs ſuis amicis, hæc omnia eſſe falſa: alias alios Principes Eccleſiaſticos Germaniæ militem conſcripſiſſe, caſtra muniuiſſe cum ſiniſtra ſuſpicione Catholicorum: ſed eos in id incubuiſſe, vt Pontifici ſuisq́; amicis inſtituti ſui rationem ante omnia redderent. Proinde eſſe propterea legatum in Germaniam Minutium ſuum Secretarium, qui ad Treuirenſem*

uirenſem & Moguntinum Electores mandata Pontificis deferat, vt illi Principes (ſi fieri poſſit) Coloniam proficiſcantur, & controuerſiam, quam fortè Archiepiſcopus cum aliquibus habet, ſopire ſtudeat: prout & idem Minutius Coloniam veniet. Hæc omnia V. D. Madrutius ſignificari voluit, vt ſciatur qua intentione Minutius tranſmiſſus fuerit, quia (vt eſt veriſimile) varij variè aduentum eius interpretabuntur.

Hæc totidem verbis ſcripta epiſtola Coloniam mittebatur, & à diuerſis lecta eſt: qui non difficulter ex ea magnam Gebhardi exiſtimationē, quam Romæ habebat, intelligere potuerunt. Pontifex autem, nolens pro auctoritate ſua confeſtim Anathematis in Archiepiſcopum vti fulmine, pro paterno ſuo affectu quo illum complectebatur, prius benignam hanc & peramicam admonitionem, ad ipſum deſtinauit.

VENERABILIS *frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Truchſeſiorum domum, non minus generis nobilitate, quam fidei Catholicæ ſtudio & conſtantia ante hac floruiſſe, teſtis eſt inſignium virorum, qui ex ea prodierunt, tum antiqua, tum recens memoria, præcipuè verò Cardinalis Auguſtani, qui principem in ea locum obtinuit, apud quem tu piè & religioſè, & quaſi in conſpectu ac gremio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ educatus, non paruam olim præbuiſti ſpem, forè, vt dignus tali genere, ac diſciplina euaderes: Hinc noſtra erga te propenſio, noſterq; paternus amor initium habuit, qui poſtea, ex grauium virorum teſtimonio, non ſolum confirmatus, ſed etiam auctus fuit, vt de te nobis viciſſim optima & rectiſſima quæque polliceremur.* Pontifex Archiepiſcopo.

SVCCESSIT *tempus illud, cum electus fuiſti à Capitulo Colonienſi in Achiepiſcopum illius Eccleſiæ, quæ electio, cum maximis implicaretur difficultatibus, & vehementiſſimè oppugnaretur; tamen ea ergà te vſi ſumus benignitate, vt, ſublatis omnibus impedimentis, Capituli iudicium, & electionem de te factam, approbaremus, confirmationiſq; Apoſtolicæ robur adijceremus. Ex his putabamus*

bamus neminem te aut Religionis orthodoxæ, aut S. huius Sedis, aut etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſorem, vel obſeruantiorem fore.

SED *dolemus, & quidem grauiter dolemus, noſtram ſane expectationẽ ex his quæ de te multorũ litteris, ſermonibus, & fama ipſa quotidie ad nos perferuntur, non ſolum labefactatam & imminutam, ſed penè deletam, ac illa, quæ circumferuntur talia eſſe, & loco munereque tuo adeò indigna, vt ſine magno pudore exprimi non poſſint.*

SVSTINVIMVS *nos certè, quoad potuimus, ne quicquam quod de te indignum eſſet, crederemus. Sed cum rumor quotidie magis ingraueſceret coacti ſumus ſuſpenſo ac ſollicito de te animo eſſe, nec diutius diſſimulare voluimus.*

MONEMVS *igitur te, vt famæ ac ſaluti tuæ, in tempore conſulas, &, ſi fortaſſe longius quam oportuit progreſſus es, te reuoces: ſin vero falſa ſunt, quæ obijciuntur, quod potius vellemus, animum ac ſenſum tuum aperias & declares, nec patiaris ex maleuolorum ſermonibus perpetuam notam ac ignominiam tibi, tuæq́; agnationi, & ordini Eccleſiaſtico inuri. Cogitesq́; quid Deo, qui te ad iſtum ſublimẽ gradum euexit. Quid Sedi Apoſt. quæ te ſingulari quodam amore, & gratia complexa eſt, quid patriæ, quid generi, quid Chriſtiano nomini, quid publicæ vtilitati, quid deniq́; tibiipſi debeas. Qui, cum honorificentiſſimum locum teneas, non alij magis quam tibiipſi inimicus fueris, ſi ita te geſſeris, vt meritò inde exturbandus ſis: cum tamen nullo negotio eum tibi conſeruare & magnus in Eccleſia Dei, & ſumma cum auctoritate inter Imperij Principes eſſe poſſis.*

MEMINERIS *quam difficiles & periculoſi ſint nouarum rerum exitus, & quantoperè cauendum ſit prudenti & pio viro, ne temere famam, rem, ſtatum, dignitatem, animamq́; denique ipſam, in extremum diſcrimen adducat, cuius rei non deſunt noſtra ætate exempla, quibus doceri poſſis.*

AT *ſi longius fortaſſis progreſſi ſumus; amori noſtro, dignitatisq́; ac ſalutis tuæ deſiderio id aſſignabis. Non enim dubitamus, quin paterna hæc monita noſtra, id apud te*

pondus

Digitized by

pondus habitura ſint, quod omnibus nominibus & iuſtiſſimis de cauſis debent, atq; reipſa, eam pietatem & reuerentiam erga Sacram hanc Sedem ſis oſtenſurus, qua nos recreari, te in dilectiſſimi filij loco, ſicut antea ita & poſt hac habere; & ea re lætari magnoperè poſſimus.

Sed hoc literarum officio non contenti mandauimus Venerabili fratri Archiepiſcopo Treuirenſi, vt ad te proficiſcatur, tecum fuſius, eadem de re, quam diligentiſſimè agat, ac conſilium deliberationemq; noſtram clarius pateſaciat. Cui plenam fidem te habiturum non dubitamus.

Acceptis lectiſque literis Gehhardus, nihil tam blanda & pia admonitione motus eſt. Nam.

Impatiens animus fœdoq; inſanus amore,
Reſpuit atq; odio verba monentis habet.

D. Andreas Legatus Cæſareus. ad Gebhardum.

Interea Cæſar, tum quia ab hac ignominia & turpitudine Truchſeſiū nomen vindicare cupiebat, tum etiam quia proſpiciebat, quanta incommoda ex hac mutatione in Imperio naſcerentur (intellexerat enim eum iam prorſus in animo deſtinaſſe, ſtatum eccleſiaſticum deſerere, & matrimonium contrahere cum Mansfeldica, nec non Archiepiſcopatum retinere) conſiliarium ſuum Doct. Gailium legatum ad Archiepiſcopum miſit, qui conuenientiſsimis argumentis illum hortaretur diligenter perpenderet, quam turpe, quam omni iuri, conſuetudinibus, ſacris canonibus, Imperij cōſtitutionibus & communis patriæ pacis conditionibus eſſet contrarium, quod tam conſtanti fama de ipſo diuulgabatur, quæ pericula, damna, ignominias & illuſiones, non tantum Archiepiſcopus & antiquiſsima nobiliſsimaque familia Truchſeſiorum in Vvalburch, ſed & totus Archiepiſcopatus Colonienſis & omnes ſubditi incurrerent, ſi ipſe in hoc propoſito perſeueraret, quantarum tragædiorum, calamitatum ſcilicet, Imperij decretorum trangreſsionum, tranquillitatis totius Germaniæ perturbationum, occaſionē daret: quantis deniq; periculis corpus & animam inuolu-

inuolueret, & ſimilia plura cogitaret. Sed nec Cæſarem audire voluit, neſcio an potuerit, Medeam imitatus, cuius vox eſt: Si poſſem ſanior eſſem. Sed trahit inuitam noua vis, aliudque Cupido, mens aliud ſuadet.

Circa idem tempus, cum multos nobiles, Doctores quoque Schenckium, Eickium & Meerl ad prandium vocaſſet, iamque vino incaleſcere inciperet, indigniſsimis atque inauditis conuicijs Pontificem Romanum proſcidit. Cumque nunc omnia, quæ exulceratus ei animus, furorque ineffrænatus ſuggerebant, maledicum illud os euomuiſſet, ordine ſingulos nobiles interrogauit laudanda ne eſſent quæ dixerat, & num idem probarent omnes? Dixere nobiles: vtique laudanda eſſe: Poſtquam autem ad Doctores ventum eſt, eos non interrogauit: ſciens ipſis hæc fuiſſe execranda. Aſtitit & menſæ Præfectus Cæſaris Vverdenſis Petrus à Spee nobilis, ad hunc conuerſus, & tu ait, Domine Petre quid ais? idemne & tu ſentis? reſpondit vir egregius, quod non. Hem, inquit, Gebhard⁹ ſtolidus. es Subridens præfectus tacuit. Eodem die, cum poſt cænam largius bibiſſet choreas inſtituit. Ipſe Gebhardus & Comes de Vvitgenſtein præſultores erant: ceteri ordine ſequebatur. Dum ſic inſaniunt, introductus eſt forte fortuna monachus, qui ea de cauſa venerat, vt eleemoſynam annuam peteret, pro conſuetudine monaſterio debitam, quem vt vexarent, iuſſus eſt nobilis quidam Theme ab Huerden apprehendere, & cum eo tripudiare. Monachus Gebhardi genibus aduolutus ſupplex orabat, vt dimitteretur, nec ad actum ſuo inſtituto minus conuenientem adigeretur: ſed impetrare id non potuit. Coactus eſt itaque Monachus ad illorum ſpectaculum & ludibrium aliquamdiu inſulſiſime (vt qui in hac paleſtra non erat exercitatus) inſilire. Tandem cum iam cachinno petulanti ſatis indultum eſſet,

Theme

Theme ab Huerden Monachum, iniecto in eius cucullum Thalero, dimiſit, iuſſitque inſuper Gebhardus eidem viginti quinque florenos aureos, qui (vt præmiſſum eſt) ex gratia debebantur, annumerari.

Cum verò ei ſuboluiſſet quamplurimos eſſe in Diœceſi, qui in ea erant perſuaſione, quod poſt obitum Archiepiſcopatum vel Diœceſin ad poſteros & hæredes transferre cogitaret: volens illis hunc ſcrupulum eximere & eadem opera cuius ipſe Religionis eſſet declarare, ſequens edictum edidit.

ILLVSTRISSIMVM *Principem D. Gebhardum non obſcuris auctoribus cognouiſſe nonnullos ſibi ſubditos & iureiurando obſtrictos, in ea eſſe perſuaſione quod ipſe fraudibus, dolis aliiſq; illicitis modis Diœceſin ad hæredes ſuos deuoluere conaretur Teſtari igitur S. C. omnipotentem Deum, quem nihil latet & propriam ſuam conſcientiam de ſe immerito huiuſmodi opinionem haberi. ſe in hanc cogitationem nunquam deſcendiſſe. Ceterum cum benigniſſimus Deus Suam Celſ. ex tenebris Papatus (ſic enim appellabat fidem Catholicam, in qua natus, baptizatus, & educatus erat, cui ante triennium tam ſolenni iuramento ſubſcripſerat) in lucem & cognitionem ſancti & ſalutiferi verbi ſui aſſeruerit, nihil aliud ſe poſtulare, quam vt in vocatione & officio bona & tranquilla conſcientia viuere, & fidelibus ſibi ab eodem Deo commendatis ſubditis publicum veræ atq; incorruptæ doctrinæ exercitium, vſumq; Sacramentorum legitimum, permittere poſſet. Interim ſe nullius conſcientiæ vim inferre ſed vtriusq; religionis exercitium iuxta pacem Religioni in comitijs datam, inſtituere. Polliceri etiam ſe, Archiepiſcopatus priuilegia, immunitates & patriæ conſtitutiones non violaturum, nec capitulum Maioris Eccleſiæ ſua electione libera ſpoliaturum, vel in cuiuſquam præiudicium aliquit auſurum Ita vt ſi Sua Celſitud. ſiue id breui, ſiue poſt multos annos contingat, ex hac lachrymarum valle abripiatur: aut per occaſionem Archiepiſcopatui viuens* Decemb. 19.

renunciauerit; electio ſine vlla contradictione ad Capitulum reuerſura ſit. Hæc omnia ſe ad ſiniſtram illam ſuſpicionem & diffidentiam ſubditis eximendam, exprimere voluiſſe; nec dubitare, quin probis omnibus his ſatisfactum fuerit, ne in poſterum aliqua læua imaginatione ſollicitentur, aut ijs, qui patriæ tranquillitati inuident, fidem adhibeant, ſed ſuæ potius promiſſioni credant. Quod ſi Capitulũ huius ſuæ initionis maiorẽ confirmationem cupiat, ſe publicis inſtrumentis animum ſuum declaraturum.

Conuolârant Bonnam ad Eccleſiæ Catholicæ funus (vt ipſi exiſtimabant) deducendum, Iohannes Naſſouius Auraici frater, cum filio Iohanne & Doctore Suartz: Comes item Albertus Naſſouius cognomento Sarvverde, Hermannus à VVeda, Comes à Mansfelt, Conradus & Erneſtus à Solms, Hermannus Adolphus à Solms, Adolphus à Nevvenaer, Carolus Truchſeſius, Ioannes à VVinnéberg, Bruchius, Gerolſeck, Oberſtein. Intererat & huic comitatui Ferdinandus Truchſeſius Archiepiſcopi frater & canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, iuuenis ante annum cum Coloniæ reſideret modeſtus, pius & Catholicus. Ludovvicus quoque à VVitgenſtein frater Præpoſiti eiuſdem Eccleſiæ, alijque complures: Hi omnes ante horam tertiam, poſt medium noctis, in cuiuſdam Canonici ædibus conuenerunt: vbi (vt fama erat) decretum eſt, ne nimis præcipitanter Caluiniſmus introduceretur, neue initio ab Auguſtanæ Confeſsionis nomine recederetur. Nec id incredibile eſt, cum plerique huic conuentui præſentes, aut Caluiniſsimum palam profiterentur, aut in eum propendebant. Eodem quoque die prædicti Comites & Barones vrbis mœnia obambularunt, omnia diligenter perluſtrantes, vbi reſtauratione opus eſſet, vbi non, in medium conſulentes: inquirentes etiam inter alia, an aqua è foſsis educi poſſet, & ſimilia.

Nondum

Nondum Senatus Colonienſis ad literas eorum quid ex comitijs Auguſtanis Proteſtantium cauſam commendandam ſuſceperant, abſolutè reſponderat. Illi igitur impulſione Proteſtantium, quid Senatus decreuiſſet ſcire cupientes, Ducem Iohannem Bipontinum Coloniam, cum pleniori inſtructione legarunt. Erat quidem is prætextus huius legationis: Cum potius à Gebhardis & ſuis Dux ille eſſet inuitatus vt Colonienſium animos inflecteret, atque in ſententiam Gebhardi pertraheret. Sciebat enim ille ſuam aut ſalutem, aut interitum ab hac Vrbe dependere. Bipontinus verò cum Bonnam veniſſet, Gebhardum ceterosque Comites & Barones ſalutauit & ſplendido conuiuio excepit; illis de noua fide ſuſcepta gratulatus. Donauit etiam Archiepiſcopo quendam Ammonij libellum, cui vna cum nomine ſuo, quatuor hos verſus inſcripſit. *Decemb. 21.*

Si vela tendas nimium nauis mergitur:
Sed ſi laxes vela, rurſus eſt tutius.
Odit Deus nimis vehementes impetus.
Odere ciues: gratior eſt moderatio.

Quibus tacitè indicabat Bipontinus, Gebhardo (ſi in ſuſcepto negotio feliciter progredi optaret) indulgentia vtendum eſſe, fortaſſis ea, quam aliquamdiu in Belgij adminiſtratione vſitatam audierat: omnium, inquam, ſcelerum impunitate, quam ſpecioſo titulo Libertatem vocant, cuius teſſera.

Aude aliquid breuibus gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid: probitas laudatur & alget.
Criminibus debent hortos, pratoria, menſas,
Argentumq́; vetus &c.

Diu multumque laborauerat Archiepiſcopus per ſuos, vt totum oppidi Bonnenſis imperiũ conſequeretur. Id fieri non potuit, quamdiu ciues clauium poteſtatem habebant, ac ſtationes agebant. Claues igitur ipſis extorquendæ erant. Tentatum

Digitized by Google

tatum erat id ſæpius,ſed non ſucceſsit. Ciues igitur videntes ſe periclitari, ad Capitulum hac de re ſcribunt,eiusque mandatum poſtulant. Determinatum eſt,ne Archiepiſcopo claues tradant, id ipſis literis authenticis è veſtigio ſignificãdum eſſe, quæ literæ confeſtim iuſſu Capituli ſcriptæ ſunt. Non latuit id Truchesianos qui Bonnæ erant. Poſtridie itaque D. Thomæ Albertus Naſſouius, Nuenarius, & Bipontini Cancellarius, quod pridie tentauerant, longa oratione; multis rationibus, armatis precibus & minis, denique & fictis literis, tanquam ex à Capitulo ſcriptæ eſſent, quibus vt Archiepiſcopo morem gererent, claueſque traderent præcipiebatur, prolatis: tandem hoc effecerunt, vt in Senatu Conſule (adductis legibus quibus id fieri debere arguiſſe dicitur) perſuadente decretum ſit, claues tradendas eſſe. Eas ergo Conſul duodecimque viri à Senatu nominati ad diuerſorium ſub interſignio floris, in quo tunc Archiepiſcopus prandebat tradiderunt, vinumq; quaſi honorarium addiderunt. Ipſi viciſſim à Gebhardo inuitati ſunt & magnam apud eum gratiam inierunt. Facta ſunt hæc Eickio præfecto inſcio, qui id nõ prius reſciuit quàm cum per apparitorem, cum iam acta eſſent, nunciarentur. Duabus verò poſt horis genuinæ Capituli Colonienſis literæ allatæ ſunt, triduo iam anteà ſcriptæ, quibus longè aliter ciuibus mandabatur. Bonnenſes igitur ſibi fucum factum non obſcurè intelligentes, hoc modo ad plenam Truchſeſij poteſtatem deuenerunt. Clauibus ſic acquiſitis, mox vigiliæ ciuibus interdicuntur, ipſi excubias in portis è militibus conſtituunt: paulò poſt ciues armis exuũtur, nihil exportari permittitur. Minoritæ quoque res ſuas alio transferre, & monaſterium deſerere iubentur, omniaque pro voto atq; libidine ſua adminiſtrantur.

Decemb 22.

Eſt autem Bonna celebre & antiquum oppidum

dum, Ptolemæo cognitum quod in Colonienſium Chronicis Verona, à Nauclero Voconia, ab alijs Vetus bona & Briennona dicitur. Oppidum hoc oportuno ad defenſionem muro & foueis à Conrado Archiantiſtite Colonienſi anno Chriſti 1240 cinctum, ædificijs commodis, & ampliſsimo canonicorum collegio venerandiſque S. Martyrum ex Thebæorum legione corporibus decorabatur: quæ nunc cum omnibus chimelijs & ornamentis miſerè diſperſa iacent, & depopulata.

Salutato Gebhardo cum Socijs ſuis Bipontinus Coloniam proficiſcitur: hinc paulò antè Comes Arenbergius diſceſſerat, à Principe Parmenſi & Regia Maieſt. miſſus, vt Capitulum hortaretur, Archiepiſcopi perfidis conatibus reſiſtat: ſi res ad arma veniret, ſe peditibus, equitibuſque ipſis non defuturum Quo negotio expedito Arenbergius Colonia diſceſsit, Parmenſi omnia relturus. Poſt cuius diſceſſum Bipontinus cũ 50. equitibus Coloniam ingreſſus eſt cauſam legationis ſuæ Senatui expoſiturus. Eodem verò tempore Moguntinus & Treuirenſis Electores ſuos quoque legatos Bonnam, ad Archiepiſcopum miſerunt, quibus Capitulum tres è ſuis adiunxit, vt experirentur, ſi quis adhuc ſani conſilij locus in eo relictus eſſet: ſed fruſtra laboratum eſt. minas, exhortationes, preces, conſilia omnia vicit Amor, & perfidum conſilium. Capitulum igitur omnibus remedijs tentatis, cum nihil ſe proficere videret, nobilitatem patriæ & aliorum per Diœceſin oppidorum magiſtratus, caſtrorumque Præfectos tanquam membra, ordines vel ſtatus Diœceſis in Sabbatum proximum poſt Chriſti Natalitia, Coloniam acceſſit, de re magni ponderis conſulturos. Id per ſuos Coriphæos ſtatim reſciuit Archiepiſcop. Timens igitur conuentum iſtum in ſuam perniciem conuocari, nobilium animos præoccupare,

Digitized by Google

cupare, & in ſuam ſententiam pertrahere volens literas ad eos perferri curauit.

IN *quibus ſe intellexiſſe aiebat, Capitulares quoſdam numero exiguos, nobilitatem in proximum diem Sabbathi conuocaſſe, eam verò conuocationem, cum tam pauci Prælati in Capitulo præſentes ſint, antiquis conſtitutionibus eſſe contrariam: ſed & illud, quod nomine Capituli nobilitatem vocent* SVOS FIDELES (*Germani ſuo idiomate* lieben vnd getrewen *dicunt) omninò vſitato ſtylo aduerſari, cum illud non niſi ſede vacante locum habere poſſet. Scire etiam ſeſe ex quo fonte hæc ſcaturiant, & quis horum omnium impulſor & auctor eſſet: nec difficulter ex his inueſtigare ſe poſſe, quid ſibi hæc velint, & quo fine conuocatio fiat: nimirum in Archiepiſcopi ſui perniciem & iniuriam: cum ipſe tamen hactenus occaſionem nullam dederit, nec dare velit. Monere igitur ſe omnes & ſingulos & (niſi iuramentum quo Archiepiſcopo & patriæ obligati erant, violare vellent) præcipere, vt in hoc conuentu, præter omnem conſuetudinem coacto, tantum quid à Capitularibus proponatur audiant: nihil autem vel legitimo ſuo Principi, vel Archiepiſcopatui contrarium, cũ ipſis tranſigant. Quod ſi huic ſuæ præmonitioni obediãt, cogitandum ipſis eſſe, quanto id ſibi, ſuisq; omnibus incommodo futurum ſit: quodque nec Deo, nec cæteris ordinibus (quorum maiorem partem abſentem futuram ſciebat) nec etiam poſteris ſuis, horum cauſam dicere poterunt. Deniq; quantæ ſimultates, calamitatesq; ex his oriri poſſint, quarum omnium ipſi auctores habendi ſunt. Si verò ipſis aliqua de Sua Celſ. ſuſpicio inijciatur, velle ſe illam (vbi reſciuerit) diluere, deque omnibus ſuis conatibus rationem reddere, atq; ipſis ſatisfacere, non aliter atque coram ſupremi Iudicis nouiſſimo tribunali ſe facturum ſperabat.*

Eodem die Iohannes Palatinus Rheni, & vtriuſque Bauariæ Dux, Comes in Veldents & Spanheim, qui & Bipontinus dicitur: vnà cum legatis Ludovvici, Iohannis Caſimiri & Richardi Palatinorum Rheni, multiſque alijs Comitibus Auguſtanæ Confeſsionis, qui, neſcio à quibus non alijs

alijs Principibus ſe mandatum habere dicebant, in Senatum venit, quæ in mandatis habebat per Oratorem propoſiturus, erant autem hæc:

Legatio Iohannis Palatini ad Colonienſes.

INITIO *mentionem faciebat literarum ex comitijs Auguſtanis ad Senatum 27. Auguſti miſſarum: quodque poſt diuturnam expectationem & optimam ſpem quam de Senatu conceperant, ij quorum nomine ſcriptæ erant, nihil reſponſi remiſiſſet Senatus, dolebat. Sed & ad vicinorum Electorum Principum & Dominorum aures perueniſſe dicebat, ea, quæ in ſocios & membra ſuæ Confeſſionis Auguſtanæ Senatus acerbè nimis ſtatuiſſet: quod nimirum Iohannem Bruckmannum virum ſeptuaginta annos natum cum diſcrimine vitæ ſuæ, 14. iam ſeptimana captiuum detineret: contra Iohannem Suchtelen criminaliter (vt loquuntur) procederet: eorum officinas, non ſine maximo ipſorum damno, clauſas detineret: alijs mulctas pecuniarias extorſiſſet; quoſdam, ob baptizatos ex præſcripto ſuæ Religionis infantes, in exilium eieciſſet: & ne Supplicationes decernerent prohibuiſſet. Hanc tantam in veræ fidei & religionis cultores perſecutionem inſtitutam, prædictos Electores & Principes & Comites non aliter interpretari poſſe, quam quod futura ſit fons & origo magnæ diffidentiæ, multorumq; malorum in Imperio. Diligenter itaq; perpendentes, quam periculoſæ ſint ſubreptiones, quam ambitioſi conatus, & callida conſilia peregrinorum in Belgio & vicinis locis Principum, maiorem hoc tempore quam vnquam antea confidentiam arctiusque vinculum concordiæ neceſſarium eſſe, eoſdem Electores &c. ſtatuiſſe aiebat. Hanc cauſam eſſe cur ipſi in gratiam Colonienſium aliorumque per Imperium Auguſtanæ confeſſionis Sociorum pro affectu ſuo beneuolo in vrbem & Senatum Colonienſem, hanc legationem miſerint: & cur ipſe dux Iohannes Palatinus tam ambiguum interruptum inperuium iter hoc aſpero & hyberno tempore ingreſſus fuerit, ſcilicet vt præter legationes & ſcripta priora Senatum ex abundanti moneãt, rogent, inducant, vt ab his perſecutionibus & barbaris decretis, in Auguſtanæ confeſſionis ciues latis, abſiſtat. Orare etiam eos & petere, vt ſuperioribus*

Digitized by Google

rioribus ſcriptis, legationibus, interceſſionibusque Senatus reſpondeat: ad præſentem quoque legationem reſponſionem non differat, & ſi quid ab aduerſarÿs in contrarium ſuggeratur, caueat, ne ſeipſum fallat, ſed potius officÿ & temporalis ſuæ iurisdictionis (quæ non aliunde, quam ex electione dictorum ciuium, in ipſorum perſonas deriuata ſunt) memor, ratione quoque circunſtantiarum, negotÿ, & temporis motus, ſententiam ſuam ſine prorogatione declaret: ante omnia verò procuret, vt captiui ſine vlla mulcta relaxentur, officinæ occluſæ aperiantur, interdictæ negotiationi antiquus curſus reſtituatur, mulctæ extorſæ reddantur: ceteri verò curis & metu exoluatur: præcipuè verò ſi quibus eorum officia Electorum demandata ſint, ea ipſis vituperio, vel damno, eſſe non deprehendantur. Omnibus quoque Supplicationes, Proteſtationes & appellationes liberæ permittantur: nemini Auguſtanæ confeſſionis ſectatori magiſtratus aboleatur: ſed à tribu ſua nominato & oblato liber ad magiſtratum, aliaque officia pateat acceſſus: denique (quia frequens, ait, numerus eorum eſt, qui confeſſionem Auguſtanam profitentur) ipſis duo vel plura templa aſſignentur in quibus ſecurè & publicè ſuam Religionem exercere poſſint, & nemo illius cauſa moleſtetur: quo ſic omnis diffidentia & ſimultas tollatur, omnisq; fiducia & concordia reſtituatur. Hac beneficentia Senatum dictorum Electorum & Principum gratiam demereri poſſe, eosque viciſſim (ſi id, quod petunt obtineant) omni officiorum genere in Senatum & Remp. Colonienſem fore propenſos: ſin aliter, communem fiduciam periclitari, & illorum Principum gratiam, fauorem & amicitiam amitti poſſe: & ſi quod inſuper incommodum in vrbe oriatur (quod tamen futurum non ſperabant: neque ſuas literas & interceſſiones ita interpretari volebant, tanquam ipſi ciues in Magiſtratum ſuum commoueant, incitentq; Electores & Principes prædictos (cum benignam hanc admonitionem præmittere non neglexerint) excuſatos haberi velle. Eoſdem etiam Electores, Principes, Comites, aliosque Auguſtanæ confeſſionis Ordines intermittere non poſſe, quin ſi interpellantur vel inuocentur,

ſua

ſuæ Religionis Auguſtanæ ſocijs, in tantis neceſſitatibus opem ferre debebunt.

OMNINO *itaque ſe ſperare, ait, fore vt Senatus fidelem hanc admonitionem & interceſſionem diligenter diſcutiat, & in optimam partem interpretetur: vt in vicinorum ſuorum triſtia exempla oculos ſuos conijciat: ſeditioſis hominibus, pacem exoſis, & decreto de religionis concordia contrarijs, aures præcludat: Deniq; & periculorum & calamitatum, quæ ex huius petitionis repulſa manare poterunt, rationem habeat ijsque maturè occurrat.*

Paulò poſt ſimilem relationem Bipontinus habuit in Capitulo: ſed quia Capitulares plerique aberant, aliud reſponſum non tulit ab his qui præſentes erant, quam ſe, vbi Capitulum frequentius eſſet, & 16. Comites & Barones, octo verò Presbyteri, quorum omniũ intererat, conueniſſent, ipſi, quod decerneretur, explicare velle.

Capitulum verò Eccleſiæ metropolitanæ, cum omnia tentaret vt Gebhardum ab impio ſuo conatu reuocaret, inter alia etiam ad conſiliarios eius, quos in partibus Rhenanis habebat, literas dari iuſsit: ipſis omnia capita factionum Archiepiſcopi proponens, vtque hortarentur ipſum ab incœpto vt deſiſteret, admonens. Illi omnes viri docti, graues, prudentes, fideique integerrimæ, cum hæc legiſſent, nec obſcuris argumentis colligerent, quæ inaudita hæc nouitas exitium eſſet habitura, poſt maturam deliberationem ad Gebhardum literas dedere: initio repetentes ſuccinctè capita ſingula literarum à Capitulo miſſarum. Deinde quid Capitulo à ſuo collegio, (nullo præuio ordinum vel conuentu, vel concilio) reſponſum eſſet: nimirum vſque in hoc tempus ſe nihil certi de iſtis Archiepiſcopi geſtis intelligere potuiſſe, niſi quantum incerto vulgi rumore paſsim circumferretur. Velle ſe & Suam Celſ. cum omni ſubmiſſione atq; obedientia admonere, eam vt curam atque diligentiam adhibeat, qua

laudabilis hæc Diœceſis in antiqua & huc vſque continuata pace tranquillitateq; conſeruaretur.

Literæ cõſiliariorum Rhenenſium ad Gebhardum.

NOSTRI *itaque muneris, aiunt, Clementiſſime Princeps, omnino eſſe exiſtimauimus, hac T. C. paucis perſcribere, & ſuppliciter orare, vt cogitet dictas cauſas maximi eſſe momenti, nec periculo carere, ſed ab eis & Diœceſeos & vicinorum Principum prouinciarum deuaſtationem atque interitum dependere, Aduigilet itaq; T. C. ne præcipiti conſilio pœnitendum quid aggrediatur, aut ſibi ipſi aliquod inferat detrimentum. Innoteſcit quotidie magis magisq; calamitas & miſerrima depopulatio Belgicarum prouinciarum, in quas cauſa prædictæ nouitatis ſeſe præcipitarunt. Et ne quid ſimile nobis eueniat, maturè conſiderandum eſt, ne quid T. C. tentet vel auſpicetur, quod Imperij conſtitutionibus, paci publicæ, & ſacræ Religioni datæ, prophanæ & ciuili tranquillitati, patriæ concordatus, electionis articulo, aut contrarietur aut nõ commodè per ea queat defendi. Id ſi fiat, Tua C. coram Deo & coram vniuerſo mundo laudem atq; gloriam promerebitur immortalem: præterea & ipſa, & ſubditi eius omnes infinitis periculis, miſerijs & calamitatibus eripientur, vel certè ea ipſa ab illorum ceruicibus auertentur. Qua verò fide & beneuolentia hæc ſcripſimus, eadem & T. C. amicam hanc admonitionem accipiat ſupplices oramus: nosq; Tua C. & illam viciſſim Deo commendamus.*

Subſcripſerunt his literis Conſiliarij Rhenani omnes eo tempore Coloniæ commorantes, Clariſs. conſultiſſimiq; viri Cancellarius D. Franciſ. Burchardi, D. Scenck, D. Glaſerus, D. Broech, D. Tungeren, D. Biſterfeldt, & I. V. Licentiatus Saltzfas. & de communi ſententia vltimo Decemb. Gebhardo ſunt tranſmiſſæ. Qui quidem dies vti priorem huius tumultus annum terminauit, ita & Primum libellum noſtrum voluimus terminare, in Secundo de his quæ tempore interregni acta ſunt copioſè dicturi.

Finis libri Primi.

BELLI COLONIENSIS
Liber Secundus.
DE

VARIIS CAESAREÆ MAIESTATIS AD Gebhardum Legationibus, Celebri in Vrbe Colonienſi Ordinum conuentu; Gebhardi deſtitutione; conuentu Arensbergenſi; lata in eum à Pontifice Rom. excommunicatione, & bellicis negotijs quæ tempore interregni vltrò citroque acciderunt.

PARENS ille Romanæ eloquentiæ Cicero, non immeritò inter boni magiſtratus officia, legum obſeruationem numerauit. Feliciſsimæ ſunt etenim ciuitates, in quibus recta maiorum inſtituta diutiſsimè conſeruata, vel nihil, vel quam minimum mutantur, fatetur id Poëta cum dicit. *ANNO 1583.*

Moribus antiquis ſtat res Romana viriſq;.

Sæpe etiam viſum eſt, & præcipuè noſtra hac infelici ætate, nouitates introductas magnarum tragœdiarũ dediſſe occaſiones: adeò vt prudenter & verè Xenophon dixerit, ſine cędibus nullas Rerumpublicarum fieri mutationes. Felix igitur, & verè Felix Colonia quæ Magiſtratum, non ſine ſingulari Dei beneficio, es ſortita, qui nec pollicitationibus, nec precibus, nec minis, à paternis legibus atque inſtitutis vnquam potuit auelli: *Laus Senatus Colon.*

Sed pro illorum defenſione non modo opes, verum etiam vitam ipſam cum ſanguine profudiſſet. Non Principum perſonas, non magnificas legationes, non aduerſariorum reſpexit multitudinem: ſed in ſolum Deum patriaſque leges oculos coniecit. Nec in hoc modo excelluit, ſed & cuſtos erat veræ pietatis, honeſtæ diſciplinæ, publicæque tranquillitatis & ſecuritatis. Non mirum igitur ſi Remp. ſuam in medio fumo & flamma potuerit ab incendio conſeruare. Magiſtratus enim qui curat vt honeſtè viuatur, vt ius ſuum cuique tribuatur, vt nemo lædatur, vt Reſpublica omnibus neceſſarijs præſidijs munita ſit, vt imminentia mala maturè propulſentur, qui Imperio clementer & humaniter vtitur, hic ciues, propter admirationem virtutis ſuæ, dicto audientes & ad nutum habet paratos. Virtus itaque magiſtratus ciues Colonienſes in officio continuit, & ciuium obedientia Magiſtratus ad preclariora quæq; audenda ſpiritus atque animos erexit. Quo factum eſt vt Colonien. Senatus, celebri illa Bipontini legatione, totque Comitum atque Oratorum comitatu (de quibus ante diximus) nequaquam perturbatus, aut à juſtiſsima ſuæ cauſæ defenſione fuerit adductus. Etenim poſtridie Kalend. Ianuarij conſilia in pleno conſeſſu captauit quid Bipontino reſponderent: tandem decretum eſt, vt ad eum legatio, cum huiuſmodi reſponſo mitteretur.

Ianua. 2.

SALVTATIONEM *& congratulationem S. Celſitudinis Magiſtratui pergratam fuiſſe eadem animi propenſione Suæ Celſitudini, ceterisq; Electoribus & Principibus, à quibus legationem acceperat, Magiſtratum ſalutem & felicitatem viciſſim precari. Quod conquerantur Principes neq; legationibus, neq; interceſſionibus aut literis ſuis, pro cauſa ciuium ſuorum Auguſtanæ confeſſioni adhærentium factis & ſcriptis, hactenus reſponſum eſſe, Senatum mirari; cum quotieſcunq; huiuſmodi legationes aut literæ in Senatum venerint, ijs ſemper reſponſum ſit: nec du-*

bitare quin eæ ſuæ reſponſiones ex ipſis Imperalium conſtitutionum, Comitiorum concluſionum: præſertim verò ex decreti de Religionis libertate editi penetralibus deſumptæ, iuri quoq́; & æquitati ad amuſſim conſentaneæ ſint. Senatum igitur exiſtimaſſe, illorum Celſitudinibus his abundè ſatisfactum fuiſſe, nouisq́; legationibus opus non eſſe, neq; in poſterum nouas mittere debuiſſe. Vltimis quoq; litteris ipſorum, è Comitijs Auguſtanis miſſis, aliquo modo ſe reſpõdiſſe: quod autem plenum & finale reſponſum non ſit ſubſecutum, in cauſa fuiſſe, quod Principes, illud non expectantes, paulo poſt diſceſſerint. Ideoq́; corpori illorum, vel vniuerſæ congregationi, commodè reſponderi non potuiſſe. Cum verò ijſdem Principibus viſum fuerit, nouam hanc & præſentem legationem decernere: Cumq; (vel ipſo teſte) cauſam ob quam Coloniam venerit Illuſtriſſimus Princeps, tam ardua tamq; difficilis ſit, vt diuturna & maturæ egeat deliberatione, quod ipſe magiſtratus fateatur: Cum deniq; per Imperium, totamq; Germaniam inueterata iam conſuetudine inoleuerit, in cauſa Religionis conſilia ſua cum membris, ſocijs & Patronis eiuſdem Religionis conferre (id enim ſemper à Proteſtantibus factum fuiſſe; & adhuc fieri, inficias ire neminem poſſe: quin & literas Auguſtæ miſſas, & præſentem legationem, id manifeſtè ſatis declarare) Senatum in præſenti negotio decreuiſſe, illud ad Cæſaream Maieſtatem, legitimum ſuum Principem, clementiſſimumq; Dominum, & ad reliquos Catholicæ Religionis Ordines deferre: cum ijſq; communicare; & tandem Electoribus, alijſque Principibus ad ſuas legationes & literas, iuri & rationi conuenienter reſpondere: atq; illud, quale quale futurum ſit, reſponſum, ad Illuſtriſſimum Iohannem Palatinum &c. mittere. Bona ſpe interim Senatum deſtinari, Electores & Principes Auguſtanæ confeſſionis, reſpectu conſtitutionum Imperij, Eccleſiaſticæ quoq; & Politicæ tranquillitatis, in aliena Rep. curioſos non fore: ſed Senatui ius & Imperium ſuum legitimum in ciues relicturos: præſertim cum ipſius de Religionis concordia decreti textu, manifeſtè cautum ſit, ne quis Princeps Principem, aut Ordo Ordinem, ad ſuam religionẽ vrgeat, aut compellat: neq; ſubditos inuito

 Magiſtratu

Magiſtratu proprio, in ſuam tutelam & protectionem aſſumat. Idipſum vel eò magis Senatum à dictis Principibus expectare, quod in omnibus præcedentibus ſcriptis, vel ore prolatis reſponſionibus, teſtatus ſit, in eaq́; adhuc ſententia perſeueret, nihil quidquam ſe in eos, qui confeſſioni Auguſtanæ ſubſcripſerunt, eamq́; approbarunt, aut in alium quemquam ſtatuere velle, cuius coram Cæſare clementiſſimo Domino ſuo, ceteris Imperij Principibus, & Tribunali Cameræ rationem non poſſit reddere. Nec etiam hactenus quicquam Sacri Imperij Conſtitutionibus contrarium actum eſſe.

Ianua. 3. Sequenti verò die, cum iterum Senatus frequens eſſet, Bipontinus ad præcedens Magiſtratus reſponſum, hæc per oratorem iuſsit inferri.

Bipontini ad Senatus Colon. reſponſum replicatio.

INTELLEXISSE *quidem ſeſe quid Senatus ad ſua ceterorumq́; legatorum poſtulata reſpondiſſet. Optaſſe quidem ſe vt eadem poſtulata non tantum Senatui præſenti, ſed & ei, qui anno ſuperiori & præcedenti fuerat, quadraginta inſuper & quatuor viris, qui in certis negotijs conuocari ſolent, diſcutienda proponerentur: Ceterum ſibi fidem fieri non poſſe, hæc tam breui ſpatio, intercurrente etiam feſto, maturè potuiſſe ponderari. Secundò itaq́; ſe petere, vt in pleno Senatus conſeſſu negotium ſuum exactius diſcutiatur. Senatū ſe excuſare quod ad interceſſionem ex comitijs Auguſtanis miſſam, non reſpondiſſet, eò quod corpus, diſcedentibus multis Principibus, concilij iam eſſet diſſolutum. At ſi Senatus reſpondere decreuiſſet, ſuam ſententiam ſcriptam Electori Palatino, harum rerum directori, mittere potuiſſe. ſed nec ſcripto Auguſtano, nec ſuæ interceſſioni, tempore nuptiarum ſuarum miſſæ, adhuc reſponſū eſſe. Quod ſi factum eſſet, hac legatione opus non fuiſſe. Se quidem non ægre laturum, ſi Senatus interceſſionem ſuam ad Cæſaream Maieſt. & Ordines qui papatum ſequuntur, tranſmittat: ſed Principes & legatos tam ſimplici reſponſo reijci vel ablegari non poſſe. Quod ſi Senatus negotium debito modo ponderaret atq́; examinaret, poſſe ſtatim abſolutam reſponſionem reddere: calamitoſorum atq́; innocentium captiuorum cauſam diuturniorem mo-*

ram

ram non pati: nec eſſe neceſſarium Cæſaream Maieſt. conſulere. De hoc negotio in poſtremis Auguſtanis Comitijs actum eſſe, & Coloniam non minus, quam ſunt aliæ ciuitates Imperiales, fidei libertatisq́; religionis participem eſſe. Multas ciuitates Imperiales vſum Auguſtanæ confeſſionis vltro aſſumpſiſſe, nemine, ne Cæſare quidem conſulto: nec ob id, aut à Sua Maieſtate, aut ab alio quopiam Imp. Ordine cuiuſcunq́; etiam religionis, criminari, aut impediri; ſed quouis tempore pro fidelibus membris Imperij agnitas eſſe. Quodſi Ampliſſimus Senatus Colonienſis idem faceret, poſſe à Principibus Auguſtanæ confeſſionis defendi. De mutanda Religione conſilium cum Cæſare inire, eiusque ſententiam expectare, neminem obligari. Liberum cuique eſſe ſecundum ſuam conſcientiam temporisq́; oportunitatem aliquid mutare: atq́; ad hoc faciendum Senatum Colonienſem partim præſentis legationis, aliarumq́; nuper factarum interceſſionum ratione, commodam atq́; idoneam habere occaſionem. Quod autem à Senatu tam vehementer vrgeantur Imperij conſtitutiones, præſertim in eo loco, vbi agitur de alterius Principis aut Magiſtratus ſubditis, illo inuito, in tutelam non recipiendis; ait, Suæ Celſitudini id graue atq́; moleſtum auditu fuiſſe. Sugillari enim ſe hoc ipſo, tanquam contra hanc Imperij conſtitutionem feciſſe, & illicitis modis vſus fuiſſe videretur: cum tamen & viua voce, & ſcriptis teſtatus eſſet: hunc ſcopum ſuum non eſſe. id ſe adhuc fateri. Non expectaſſe Suam Celſ. hoc Senatus præpoſterum iudicium, vt ſub benigna interceſſione pro miſeris confratribus & membris Chriſti, atq́; exercitio religionis eorum, quæ in nullis Imperij conſtitutionibus aut externis regnis cuiquam interdicitur, aliquam ſubornationem incitationemq́; ſubditorum aduerſus ſuum magiſtratum, latere ſuſpicaretur. Præſertim cum magiſtratus ſciat, ſe ſuũ officium & dignitatem non ex hæreditaria ſucceſſione ſed poſt Deum, ex ſubditorum de quorum conſcientijs nunc agitur, legitima electione eſſe conſecutũ: multumq́; inter hæreditarij Principis & electi magiſtratus ſubditos intereſſe, cum ſecundũ antiquas & laudabiles conſuetudines, poſterioribus bis liberũ ſit, ſingulis annis Magiſtratũ creare & deſtituere.

 Cum

CVM itaq; omnis exorta difficultas, & coram Cæſare, & coram Cameræ tribunali queat facile defendi: cumq; nulli cuiuſcunque Ordinis aut conditionis licitum ſit, quemquam cauſa confeſſionis Auguſtanæ perſequi, aut diuexare: petere ſuam Celſitudinem vt Senatus rigida illa atq; ſeuera placita ſua, iudiciaque Auguſtanæ confeſſionis ſocijs conſtituta tollat: eisq; liberum eiuſdem confeſſionis exercitium admittat.

MANIFESTVM *quoq; eſſe hoc tempore, etiam Sua Celſit. præſente, à Romanæ religionis profeſſoribus nullam concionem haberi, in qua Auguſtana Confeſſio non traducatur, atq; condemnetur: in qua & auditores, exemplo carnificinæ Pariſienſis, ad latrocinia in Auguſtanæ confeſſionis ſocios exercenda, non exhortentur. Orare ſe igitur Magiſtratũ, vt ſeditioſas huiuſmodi conciones interdicat, eſſe enim eas paci de religione facta contrarias, nec à Cæſarea Maieſt. nec à Iudicibus Imperialis Cameræ poſſe approbari: deniq; & heſternæ Senatus promiſſioni aduerſari.*

OMNIA *hæc fideli ſe animo propoſuiſſe; petere itaq; Senatus certò ſibi perſuadeat, quod ſi ſciret hanc interceſſionem ad aliquod Reipublicæ incommodum, tumultum aut ſeditionem, & non potius ad tranquillitatem eiuſdemque proſperitatem tendere; ſe nunquam hanc intercedendi prouinciam ſuſcipere voluiſſe.*

Hæc ſunt quæ Bipontinus ſecundo in Senatus conſeſſu propoſuit, & vtriq; tam præteriti, quam præſentis anni Senatui, cum 44. viris Optimatibus diſcutienda atque examinanda dedit: vt poſt maturam deliberationem, ſuam de his ſententiam declararent.

Ampliſsimus verò Senatus Colonienſis, poſt prudentiſsimam deliberationem Bipontino reſpondit: ſe poſtulata Suæ Celſitudini in pleno Senatu legitima, & antiquitus obſeruata conſulendi formula, ventilaſſe, diſcuſsiſſe & examinaſſe: nec inuenire poſſe aliud, quod in præſentiarum reſpondeat, quam quod prius reſponſum erat: ſeſe itaq; in illa adhuc ſententia perſeuerare. Inde la-

tius

latius explicans: quæ Bipontinum in prima reſponſione offenderant, petit, vt Sua Celſitudo hęc candidè interpretetur, & quę hactenus in confeſſionis Auguſtanæ homines acta erant, horum ſe rationem coram legitimo Magiſtratu reddere velle, ſi petatur, ait: fieri itaque Senatui iniuriam, quod in Cōſtitutiones Imperij deliquiſſe dicatur. Tandem habita maiori oportunitate, conſultisq; ijs quorum intereſt, latius ſe reſponſurum pollicebatur.

Bipontinus ex hac Senatus relatione facilè animaduertit, ſibi non cum Colonis (vt ipſe exiſtimabat) ſed cum conſultiſsimis prudentiſsimiſq; viris negotium eſſe. Videns igitur cauſam non ex animi ſui ſententia proceſſuram, quinto Ianuarij, ante meridiem, inter decimam & vndecimam horam Colonia diſceſsit; & ad Archiepiſcopum Bonnam reuerſus eſt. Interim Illuſtriſsim⁹ Dux Saxoniæ & Lovvenburgiæ Fredericus Choriepiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis, qui in reprimendis Truchſeſiorum conatibus, bello gerendo, & Archiepiſcopatu, tempore interregni adminiſtrando, licet iuuenis adhuc, tantam laudem promeruit, vt nulla vnquam obſcuratura eā ſit obliuio. Quis vnquam Principem tam immortali virtute præditum vidit, qui maiori pietatis ac iuſtitiæ zelo, nullo præmio propoſito, omnia pericula, ſummos labores, grauiſsimas contentiones, inimicitiasq; & odia ſuſcepit? Eſt ad labores impiger, ad pericula fortis, ad vſum & diſciplinam militarem promptus, ad conſilia prudēs: quid multis? omnia in eo ſunt, quæ homini inſtitutio, fortuna aut natura largitur. Is cum intellexiſſet non contemnendam pecuniæ ſummam à Portitore Berkenſi è vectigalibus collectam eſſe, quæ Archiepiſcopo breui repræſentaretur: aſſumptis aliquot famulis, eò cum ſummâ celeritate contendit, & ex autoritate Capituli, omnem

Ianua. 5.

Laus Ducis Saxoniæ Frederici.

nem pecuniam ſecum auferens, communi Capituli ærario ſubſignauit. In itinere quoque Berkenſes & Noueſianos mirum in modum confirmauit, & ne à fide Catholica, pactis & conuentis Patriæ Colonienſis recedant, nullis blanditijs Archiepiſcopi & ſuorum, vt id faciant, deliniantur, monuit. Pecuniam verò quam è Telonio ſumpſerat, Capitulum ſtatim inter ciues, quibus annuæ penſiones debebantur, iamquę ab hinc annis aliquot ab Archiepiſcopo perſolutę non erant, diſtribuit. Multum hoc Gebhardi cauſam retardauit, ſed multo magis illud,
Ianua. 7. quod poſtridie in Brabantia Alenconio Gallo ſubreptitio inferioris Germaniæ Gubernatori & perſonato Brabantiæ Duci (à quo omnis ſubſidij & auxilij expectatio Archiepiſcopo dependebat) magno ſuo infortunio contigit. Is enim cum Antvverpiam non ſatis aſtuto ſtratagemate occupare, & in ſuam poteſtatem redigere vellet, turpiter eluſus, omni fide & auctoritate, quam apud
Ianua. 8. Belgas habebat, infeliciter excidit. Porrò Magiſtratus, ne prorſus Electorum & Principum Auguſtanæ confeſſionis poſtulata aſpernari videretur, eos qui primum libellum ſupplicem ſubſignauerant, cuſtodia publica in qua aſſeruabantur liberauit: fide prius ab illis accepta vltionē carceris abfuturam, & ne in poſterum conciones interdictas, & hęreticorum conuenticula frequentarent: ſed in omnibus Magiſtratui obſequerētur.
Ianua. 15. Frederic⁹ verò Saxoniæ dux, prima expeditione ſua feliciter peracta, ad ſecundam animum adiecit. Archiepiſcopus igitur pabulationi & frumentationi operam dans (ne quando, ſi commeatu intercluderentur, neceſſaria Bonnenſibus deeſſent) 800. modios auenæ, pannos laneos, petaſones & quidquid in Vveſtphaliæ caſtris annonæ erat, in nauigium actuarium comportari, & Bonnam ſubuehi præcepit. Non latuit id Saxonem,

nem, qui naui intercepta, omnem prædam in arcem Zontinam exponi iuſsit.

Archiepiſcopus dum ſe periclitari vidit: Principum Imperij, qui à Confeſsione Auguſtana ſtabant, opem & interceſsionem implorauit: quam eò facilius impetraturum ſe ſperabat, quod horum quam plurimum intereſſet, cauſam obtineret, an non. Cum enim inter Septemuiros Imperij hactenus quatuor Catholicæ religionis, tres tantum Auguſtanæ fuiſſent, atque ideo in votis conferendis inferiores, futurum nunc erat, vt acceſsione Colonienſis in ſuffragijs potiores eſſent. Ludovvicus igitur Palatinus, Saxo, & Brandenburgenſis id non ignorantes, cauſam Gebhardi apud Imperatorem egerũt: cui in hanc ferè ſententiam ſcripsère.

EXISTIMARE *ſe famam ad aulam Cæſaris iam pridem attuliſſe, quid inter Collegam ſuum Archiepiſcopum & Electorem, interq́ Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis hactenus actum ſit: quantas turbas dederit Archiepiſcopi, ad preces & inſtantiam ſubditorum ſuorum, Auguſtanæ confeſſionis indultum: Ad ſuas etiam aures hæc perueniſſe, & vt maturo conſilio huic negotio obuiam eatur, ſeſe magnopere ſollicitos eſſe: id enim niſi fiat, fore vt non tantum Diœceſis Colonienſis, ſed omnes ditiones Rhenanæ, totumq́ Imperium, dulce ſuæ ſolum patriæ, tam exigua ſcintillula neglecta, flamma corripiatur, & ingenti deflagret incendio. In re itaq́ tanti momenti ſupinos ſe eſſe non poſſe, cum officij ſui ratio poſtulet omne ab Imperio incommodum auertere, vt & felix fauſtusq́ ſit illius ſtatus, diligenter accurare. Voluiſſe igitur tempori pullulantem increſcentemq́ hanc ſimultatem ad Suam Maieſt. Cæſaream deferre: ſperantes id Cæſari ingratum nõ futurum, nec malam in partem eum interpretaturum. Poſſe enim Cæſarem animo facile prouidere, ſi Capitulum in ſuo propoſito obfirmatum permaneat, & ſi Archiepiſcopo mordicus ſe opponat, id ſine maximis difficultatibus & periculis fieri non poſſe.*

PARTI *enim aduerſæ ſuas defenſiones auxiliaque non defutura: ex quibus Capitulum, Diœceſin, totumque Imperium non exiguæ calamitates & exitia manerent. Præſertim cum veriſimile ſit, Archiepiſcopum (quem legitima electione, iuſtisq; ſuffragijs ad hanc dignitatem promotum aiunt) Chriſtiano ſuo propoſito non ceſſurum: ſed pro eo, cauſam ſuam proſequendo, & omnibus circumſtantijs confirmando, propugnaturum, Capitulíq; conatibus ſeipſum obiecturum, eſſe. Ex hac contentione id conſequẽs futurum, vt vicini, ab Imperio tamen alieni Principes, huic vel illi, vel vtriq; parti adhæſuri, opemq; & auxilium ſuum delaturi ſint. metuendum etiam eſſe, quod, ſi neceſſitas poſtulet, partes contendentes, vel horum vel illorum externa auxilia non inuiti admittent.*

ID *ſi contingat, eoſdem Principes maximam oportunitatem habituros funeſtiſſima bella, quibus inferiores Belgæ hactenus attriti ſunt, ad Germanos Imperiumq; Romanum transferendi, & ſub titulo protectionis, idem Imperium affligendi & deuaſtandi. Ea nunc eſſe tempora, vt malum ex vicino malo facile oriatur, & ſimultas ſimultatem pariat. timendum ergo, fore vt bellum iſtud ſuis limitibus contineri non poſſet, ſed latius per Imperium ſeſe defundat, alios etiam ordines flammæ præſertim viciniores infeſtet. Periclitari itaq; Principes omnes, & quod nunc Archiepiſcopo Colonienſi accidit, idem & ipſorum ceruicibus imminere. ſi ad arma deuentum fuerit, demonſtrabant. Id etiam mali conſecuturum, vt indictionem, quam Cæſar in poſtremo conuentu Auguſtano ad Turcicam immanitatem reprimendam, imperauit, & impetrauit, Ordines, vel omnes, vel bello magis vicini, ſoluere detrectaturi ſint, aut propter belli calamitates non poſſint. Quam occaſionem ſi Turca nactus fuerit, poſſe illum ex improuiſo irreparabile dãnum miſerandamq; cladem Imperio inferre. Omnium prædictorum malorũ cauſas facilè impediri poſſe. Originem enim controuerſiæ inter Archiepiſcopum Colonienſem & eius Capitulum ortæ, non aliam eſſe, quam quod ille ſuis ſibi à Deo commendatis ſubditis (cum quia ſupplices id implorabant, tum etiam quia ſtatus ditionum ſuarum id exigere videbatur)*

videbatur) prædicationem Euangelij verbiq; diuini,& liberum Religionis exercitium liberaliter indulſerit, nec tamen Papatum ſuſtulerit: ſed & illi quoq; ſuam libertatem permiſerit: nullius conſcientiam onerare, nec quenquam vel ad hanc, vel ad illam religionem compellere voluerit, multo verò minus Diœceſin aut Capitulum imminuere, eius electioni & ſuffragijs, dignitatibus, prærogatiuis, immunitatibus, Canonibus aut redditibus quidquam derogare cogitauerit. Obtulerit autem de his omnibus Capitulo, literis, & publicis inſtrumentis, vel quemadmodum velit, cauere. Ex his omnibus palam fieri, nihil illum ſpectare aliud, quam gloriæ Dei & ſanctiſſimi illius verbi propagationem, interq; ſubditos ſuos Religionis libertatem: ne ipſos deinceps in conſcientijs angi, & importunis iuramentis (quod in Archiepiſcopatibus fieri conſueuit) grauari contingat. Dolendum itaq; eſſe ſi Coëlectoris ſui & Archiepiſcopi tam Chriſtianis conatibus reluctando, vniuerſum Imperiū cū celebri hac Diœceſi, in inextricabile naufragiū extremasq; calamitates præcipitaretur. Præſertim cum hæc Archiepiſcopi intentio nec Suæ Cæſ. Maieſtati, nec Sacro Imperio, eiuſue membris, nec Diœceſi aut Capitulo queat præiudicare. Huc facere quod in multis Comitijs Imperialibus ab annis non paucis habitis, illorum opinioni ſubſcriptum aſſenſumq; ſit, qui exiſtimabant libertatem religionis vnicum eſſe fidei, fiduciæq; in Imperio fundamentum: hanc pacis & tranquillitatis fontem, hanc Imperij robur, ad immanem Turcam hæreditarium hoſtem ſuum conterendum. Illud etiam perpendendum eſſe, quod ſi Archiepiſcopus non aliam ob cauſam, quam quod Chriſtianam hanc & verbo Dei ſuffultam Religionem introducere conatur, à Capitulo ſuo oppugnaretur, & iniuria immerenti inferatur; ſe aliosq; Ordines eiuſdem religionis Socios, illius rationem habituros, deq; ea propulſanda fortaſſis conſilia inituros eſſe. Diffidentiam quæ in Imperio eſt, hoc modo augere, & hæreditarium hoſtē, vbi ſciſma hoc cognouerit, contracto exercitu hoſtiliter inuadere & victorem victo Imperio inſultare poſſe. Ad hæc accedere omnibus in genere, ante alios verò Principibus & Magiſtratibus, atque inter hos

præcipuè

præcipuè iis, quibus cura Eccleſiarum commiſſa eſt incumbere, vt Regi gloriæ portas aperiant, & regni cœleſtis pomœria viribus dilatare nitantur. Cæſarem itaque ex his facilè colligere poſſe, plurimum non tantum Diœceſios, ſed & totius Imperij intereſſe, quomodo hæc controuerſia ſopiatur Si enim contigerit Capitulum in ſuo propoſito obdurari, vel aliorum inſtigatione obfirmari, adeò vt ſummo rigore procedat, Archiepiſcopum opprimere, ob admiſſas conciones & exercitij libertatem, vſumq́; ſacramentorum ex præſcripto Auguſtanæ confeſſionis introductum, pergat? & non potius ſiue per Cæſaream Maieſtatem, ſiue per alios monitum temperantius agat? vehementer metuendum eſſe (cum propter temporum iniurias, tum verò propter vicinitatem paruamque diſtantiam, quæ inter Diœceſin & Belgium, tot bellorum feruens tumultibus, intereſt) factionem hanc ſine fatali diſcrimine ad exitum non peruenturam. Has omnes itaq́; cauſas ſubeſſe, cur conniuere diutius non potuerint, ſed ſuæ Maieſtati palam explicare, eamq́; ſollicitare debuerint, ne accuſationibus & delationibus Capituli, animum ſuum in Archiepiſcopum ob Chriſtianam illam intentionem ſuam accendi ſinat, ſed potius huc appellet, vt Capitulo pax & quies commendetur, & Archiepiſcopo nulla in ſuo conatu impedimenta moueat: quo ſic Capitulares ipſi totaque Diœceſis, vna cum clero vniuerſo, ſine vlla incommoditate, omnibus ſuis dignitatibus, bonis, poſſeſſionibus & iuribus quoq́; vti poſſint: ſuffragia quoq́; Capitulo integra maneant, nec aliquod detrimentum ex hac ſimultate accipiant. Principes vel Ordines vicini, eoſdem Capitulares moneant, ne ſeipſos fallant, nec magni faciant ſi quid à ſeditioſis ac peruerſis hominibus in contrarium proferatur, vt autem Imperator ſciat hæc optima fide ab Electoribus his proponi, Deum teſtantur, inſtitutum ſuum in hoc negotio aliud non eſſe, quam vt pax felicitasque in Imperio nunquam intermoritura conſeruetur. Ad id verò conſequendum, ſi ſua, ſuorumquè opera vtilis eſſe poterit, officio ſuo nunquam ſe defuturos pollicebantur.

Atque hæc dicti Electores ad Cæſarem ſcripſère

ſere. Palatinus verò, qui hac in re ceteris vehementior eſſe videbatur, Moguntinum & Treuirenſem Archiepiſcopos & Electores, ijſdem penè verbis, ſeu literis interpellauit. Imperator autem cum ex trium Electorum ſuperioribus literis, & ex relatione Doctoris Andreæ Gailij, ſibi à conſilijs aulicis cognouiſſet Electorem Colonienſem, etiamnum poſt miſſam nuper legationem ſeſe purgare, quæque de ſua Celſitudine circunferebantur, nihil præter calumnias inimicorum ſuorum eſſe, conſtanter dicere: nec tamen abſolutè, aut ad rem appoſitè reſpondere: ſed quaſi ambagibus & longè petitis rationibus circuire: atque ideo declarationem eius ambiguam intricatamque eſſe: ſecundam legationem Conſiliario ſuo Domino Iacobo Curtio, viro integerrimo, noſtræque ætatis Mathematicorum facilè Principi dedit, atque hæc mandata ad Archiepiſcopum perferre iuſsit. Legatio 2. Cæſaris ad Gebhardū.

DIVERSIS *ex locis quotidie ad Cæſarem rumores adferri, qui non tantum ea, quorum Sua Maieſtas iampridem Electorem, per Doctorem Gailium fideliter & paterno cum affectu admoneri fecit, confirmant: verum etiam pro folijs Sibyllinis his adijci, eundem Electorem ſuum propoſitum, excuſſo Eccleſiaſtico ſtatu, ſeculari que reaſſumpto, proſecutum eſſe, & effectum dediſſe, nunc autem totum noctes dieſque in ea cogitatione eſſe, ne Archiepiſcopatus, vrbium, populorumq́ ſibi hucvſque ſubiectorum, regimini excidat: ſed eodem Imperio & auctoritate, qua ſolet, moderetur atque gubernet, quoſdam inſuper Capitulares in ſuam ſententiam pellicere. Denique vt per omnia voti compos fiat, militem cogere, ad ciuitates & caſtra Diœceſios nouis præſidijs munienda. Quantumuis autem ſua Maieſtas difficulter induci queat, vt tanta tamq́ indigna veteri Truchſeſiorum nomine credat, cum multo laudabiliora de hoc Electore ſibi polliceatur; nihilominus Cæſarem, ratione officij ſui, debere cauſas diligenter cognoſcere, & ſi eo loco conſtitutas inuenerit, quo per vniuerſum*

uerſum Imperium eſſe dicuntur & ſcribuntur, diligenter aduigilare, ne qua ex ijs ſeditio cooriatur, aut ex leui contentione manifeſtum & exitioſum bellum conſurgat. Vehementer itaq; neceſſarium Imperatori viſum eſſe: hanc ſecundam legationem inſtituere, qua Sua Maieſtas benignè petit, vt Archiepiſcopus animum ſuum fideliter, abſoluteq; declaret qua ſua ſit intentio, quid eorum quæ ſparguntur verum, quid falſum ſit, manifeſtè dicat: nihil ſuam Maieſtatem celet. Archiepiſcopum viciſſim ſibi commendatum fore & ſi quid controuerſum inter ipſum & Capitulum vel ſubditos ſuos ſit, id ſe ratione officij, omni cum diligentia compoſiturum.

Gebhardus verò iam in impia ſua opinione obfirmatus, nullumque ſanum conſilium admittens, Cæſari more ſuo reſpondit. Ceterum quid ſibi curæ eſſet, paulò poſt publico edicto palam fecit.

Ianuar. 16.

Edictum Archiepiſcopi de publico Confeſſionis Auguſtanę exercitio.

SE *nimirum ab initio adminiſtrationis huc vſque non tantum de politicis rebus ſollicitum fuiſſe, ſed multo etiam magis, quomodo gloriam Dei promoueret. Quoſdam verò per Diœceſin Illuſtres, nobiles & plebeos libellis ſupplicibus libertatem religionis, conciones, ſacramentorumq; vſum, ab Auguſtanæ confeſſionis Eccleſijs vſurpatum, ſibi concedi petijſſe. Principum verò omnium munus eſſe, Regi gloriæ portas attollere, eumq; venientem obuiis vlnis excipere, animo etiam ſuo ſine intermiſſione repræſentari, quam diſtrictas rationes ſuæ adminiſtrationis, de ſeuero, incorruptoq; illo tribunali, ſupremus iudex depoſcet. Deum ſe, ignem ſcilicet conſumentem, timere: eiuſq; mandata violare non audere, atq; ideo ſuo ſubditorum votis annuiſſe. Poſt maturam itaq; deliberationem, Dominorumq; & amicorum ſuorum conſilio ſe omnibus & ſingulis cuiuſcunque condicionis ſubditis ſuis, iam tandem libertatem conſcientiarum, ex præſcripto Verbi Dei permittere: eandemque permiſſionem præſenti edicto ratam teſtatamq; facere, Interdicere quoq; Prætorio præfectis, Satrapis, Duumuiris capitalib. & iudicibus, ne quem ſubditorum ſuorum, cauſa fidei, conſcientiæ vel religionis (ſi verbo Dei Auguſtanæq;*

næq́ confeſſioni aſſentiantur) mulctent, opprimant, in ius rapiant, aut perſequãtur, eorumue honoribus, dignitatibus, corporibus, aut opibus incommodum aliquod aut detrimentum inferant. Permittere, concedere & dare ſe omnibus ſuis Prælatis, Comitibus, Dominis, Clientibus, vrbibus, pagis, vicis, aliſque ſocietatibus ſuæ Diœceſis facultatem, publicas conciones, vſumq́ ſacroſanctorum Sacramentorum ad normam diuinarum, Propheticarum, Apoſtolicarumque ſcripturarum ſecundum iudicium & approbationem Auguſtanæ confeſſionis inſtituendi: idque ſine vllo impedimento Prætorum vel Iudicum, mandare inſuper omnibus ſibi obligatis, addictiſue, hoc ſuum indultum promulgeant, effectum dent & tueantur. Sperare etiam ſe Deum in hoc ſancto ſuo conatu ſibi auxilio affuturum, contraque ipſas inferorum portas viuificum verbum & gloriam ſuam defenſurum. Deum optimum maximũ tandem teſtari, qui vt ſumma veritas eſt; ita corda ſcrutatur hominum & renes, ſe ad hoc inceptum non ambitione, regnandi libidine, aut proprij emolumenti auiditate permotum deſcendiſſe, ſed ſolius Christi ſaluatoris gloriam, eius verbi diuulgationem & ſalutem animæ ſibi propoſuiſſe.

Hæc ideo addere, ne quis exiſtimet Archiepiſcopum ad ſeditiones propenſum eſſe, ſed Chriſtianæ Eccleſiarum Scholarumque reformationis ſtudioſum. Adhæc ſe conſilijs Dominorum & amicorum ſuorum, prima data oportunitate regulam & normam concepturum, ad cuius præſcriptum omnes per ditiones ſuas Eccleſiæ & ſcholæ inſtituerentur. Interea ſe quam arctiſſimè omnibus qui Auguſtanæ Religioni eiuſdemq́ ex diuini verbi præſcripto additæ Apologiæ aſſenſum præbere velint, mandare atq́ interdicere, ne quem ciuem, indigenam, aduenam aut conuenam alterius Religionis in hac ſua prouincia oppugnent, calumnientur, conuicientur, iniurientur, verbis deniq́ aut factis circumueniant: ſed ſinguli in ſua Republica vel ſocietate pacificè & tranquillè viuant. Porrò ſi contingat ſuam Celſitudinem de matrimonio ineundo, diuina diſpoſitione, ſtatuere(ne quis eam hoc nomine criminetur, tanquam priuato ſuo commodo, præter fas & decorum ſtudeat, & Diœceſin, Archiepiſcopatum

Digitized by Google

& Electoratum hæreditaria poſſeſſione familiæ ſuæ inſereret moliatur) affirmare ſe iureiurando, eam cogitationem nunquam ſibi incidiſſe, ſe præſenti ſuo hoc edicto, ſcripto & apologia declare: ſe poſt obitum, vel adminiſtrationis ſpontaneam abdicationem, libera ſuffragia Capitulo, & quibus ea antiquitus competunt, relicturum: vt in commune conſulant, & nouum ſibi Diœceten conſtituant. Porro ne quis ſubditorum, aut Clientum ſuorum quamdiu legittima electio peracta non eſt, alium Principem aut Interregem agnoſcat, quam Collegium vel Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ, ſe antea diſpoſiturum: curatumque vt omnes conſtitutiones, ordinationes, diſpoſitioneſque in contrarium ſiue per ſe, ſiue per quemcunq; alium facta vel facienda, vim & effectum nullum ſortiantur: ſed tunc, vt modo & modo vt tunc, omnes iſtæ pactiones aut inſtituta abrogentur, obliterentur, & aboleantur: vt quæ prædicta ſunt conuenientiſſimè fiant. Sin autem horum omnium fidem & confirmationem Capitulum à ſe ſtipulari velit, ad præſtandum id, ſe quouis in loco & tempore promptum paratumque eſſe: ne aut ſibi, aut poſteris ſuis, ſeditioſi conatus nota inuratur.

Quæ omnia vt rata eſſent; ad calcem edicti mãdat Satrapis, Præfectis prętorij Auguſtalis, Duumuiris Capitalibus, Prætoribus, Iudicibus, Tribunis, Caſtrorum præfectis, Coactoribus, Mancipibus, Conſulibus, ciuibus, incolis, alijſque præfectis & ſubditis, huic ſuo publico edicto obediant: ſingulos illius articulos diligenter obſeruent, nullum violent aut tranſgrediantur, niſi indignationem ſuæ Celſitudinis incurrere, & grauiſsimam mulctam committere velint. Et vt ad notitiam omnium perueniret hoc ſuum placitum & decretum, iuſsit typis excudi, appenſoque ſigillo ſuo circunquaque per Diœceſin ſpargi, valuisque portarum & templorum affigi.

Antequam mandatum hoc iuſsit diuulgari Truchſeſius, libellum ſupplicem ipſe per ſuos componi fecit, tanquam ex nomine quorundam nobilium & magnæ auctoritatis ſubditorum: quo

libertas

libertas religionis petebatur, deinde vt vereſimilius eſſet, ſubditos ſuos publicum Auguſtanæ confeſsionis exercitium optare; apud quoſdam nobiles (vt poſtea compertum eſt) alioſque non vulgares homines inſtitit, vt libellum ſuis nominibus ſubſignarent; ad hoc obtinendum, omni arte atque induſtria vtebatur: donec quod aucupabatur, aſſecutus eſt. Illud eſt quod in edicto ait: nobiles & plebeos quoſdam Auguſtanæ confeſsionis vſum ſibi concedi poſtulaſſe.

Poſt biduum alios articulos de muniendo oppido Bonnēſi concepit Archiepiſcopus: quos poſtquam ad Senatum Bonnenſem referri præcepiſſet, per publicum præconem & tubicinem circumquaque per plateas diuulgari iuſsit: erant autem numero nouem hoc ordine.

1. Omnibus portis, duabus tantum exceptis, murus obduceretur: eæque iniecta terra opplerentur.
2. Duæ portæ aperiendæ lata faſſa circundarentur, quarum margines ponte verſatili iungerentur.
3. Hydromyla circa medium longitudinis oppido opponeretur, aſinariaque mola in vrbe reſtauraretur.
4. Omnes incolæ, Eccleſiaſticis perſonis exceptis, Archiepiſcopo iuramento non obligati, inquilini quoque alijs accolentes, ante occaſum ſolis, ſub pœna capitis oppido exirent.
5. In turribus & mœnium laquearibus habitantes, loco cederent.
6. Omnes ciues & incolæ iurati, nomina eorum qui in ædibus ſuis per noctem diuerſari volent, vna cum ſuis nominibus deſcripta; Prætori ſub veſperem traderent
7. Quicunq; in vrbe negociari, in eaque manere & omnem fortunam experiri decreuiſſent, ſtella-

turæ, omnibusque rebus neceſſarijs, in totum annum prouiderent.

8. Sua Celſitudo duobus ſpeculatoribus, à magiſtratu in turri conſtitutis, tertium, ſibi iuramento obſtrictum adiungeret.

9. Quadrata turris, Noua vulgò dicta, ad finem oppidi Rheno adiacens, quæ celſa eſt & profunda, terra oppleretur, maioraq; tormenta in eius vertice diſponerentur.

Poſtridie quam hæc promulgata erant, Archiepiſcopus legato Cæſareo reſpondit hoc modo: *Se negotium per legatum Cæſareæ Maieſt. Curtium propoſitum ſumma cum animi attentione audiuiſſe: ſollicitum Cæſaris animum, affectumque in ſe beneuolum intellexiſſe: & pro hac Cæſarea ſui ſollicitudine, gratias immortales agere. Meminiſſe & Cæſarem & ſe, quid priori legationi, Andreæ Gailio Doctori & conſiliario data reſponſum ſit: poſſe autem Cæſarem adhuc iſtam poſthac fiduciam habere, omnia ſe facturum quæ tunc promiſſa erant: nec aliud nunc ſentire, aut alio mentem intendere, quam quæ tunc ſentiebat & intendebat: nihil ſe à priori legatione molitum, aut etiamnum moliri, quam vt in omnibus rebus & actionibus ſuis vocationi, officioque Archiepiſcopali ſuo, ſecundum inſtitutionem Diuinam ſatisfacere, cum venerabili ſuo Capitulo pacificè viuere, & ditionem, populoſq; ſuæ fidei & protectioni commendatos, in omni tranquillitate felicitateque conſeruare poſſet. Cæſarem tamen celare ſe non poſſe, quoſdam pacem & concordiam exoſos (qui tamen ſibi ex iuramento omnem obedientiam debebant) hactenus, non tantum apud ipſum Capitulum & oppida Diœceſis, hoſtili animo ſugilaſſe & criminatos eſſe, tanquam qui ſibi propoſuiſſet, per legittimam electionem adepta Archiepiſcopatus Semptemuiratusq; dignitate abuti: ſed & diuerſis inſidijs apertoque Marte perſecutos eſſe, omnemq; violentiam pro ſua libidine atque inſolentia inſtituiſſe. Horum anteſignanum eſſe Choriepiſcopum Eccleſiæ metropolitanæ Colonienſis Fredericum Saxoniæ Ducem: eum cum ſuis complicibus multa indigna, & neutiquam ſibi toleranda,*

aduerſum

aduerſum ſe conatum: occaſionemque his ſuis ſtudijs dediſſe, vt ad iniuriam & vim inimicorum ſuorum propellendam ſeipſum cohorte prætoria munire, in vrbem Bonnenſem (ad quam in omni fortuna Archiepiſcopus tutum receptum habet) atq; in alia oppida caſtraque præſidium deducere, impulſus fuerit. Latiorem horum omnium cauſam ſe in proximo conuentu dicturum. Sperare itaque ſe Cæſaream Maieſt. non minus quam alij Principes fecerant, hanc ſuam neceſſitatem in meliorem partem interpretaturam. Prædicta vero hoſtilitate, partim ipſo facto, partim diuerſis è locis certis nuncijs, certisque auctoribus comperta, ſe (ne quid detrimenti ſua dignitas caperet) in omnem euentum, amicos & Principes ſuos, per Imperium ſparſum dominantes, conſuluiſſe, omnemque ipſis fortunam ſuam communicaſſe, atque eam gratiam Deo auxiliante apud ipſos iniſſe, vt ſuarum rerum optimam fiduciam habeat: ſperetq; ſe ab inimicorum inſidijs & perſecutionibus, Principum commiſeratione defenſioneq; tutum fore.

Vt autem Cæſareæ Maieſtati, Electoribus, Principibusque Imperij & ſuis ſubditis omnis ſcrupulus eximatur, multaque hoſtium calumniæ confundantur, ſibi decretum eſſe, ait; animi ſui latebras omnes, intentiones & propoſita in proximis Comitijs exponere & explicare: ſi quid præterea rem poſtulare cognouerit, id poſt eadem Comitia Cæſari, Electoribus & Ordinibus alijs perſcribere velle, ſperare autem omnibus ſe ſatis facturũ: daturumq; operam, vt ipſo rerum euentu cognoſcant, ſibi nihil vnquam antiquius, nihil fuiſſe ſanctius, quam vt officij ſui memor (cuius adminiſtrationis rationem in nouiſſimo iudicio daturus eſt) ſic vitam, mores & diſpenſationem ſuam inſtitueret, vt Gloria Dei promoueri, communis Reipub. tranquillitas continuari, Diœceſeos antiquæ dignitates, priuilegia, iura & inſtituta maiorum, non tantum ſtabiliri, ſed ſua Cæſareæ Maieſtatis indulgentia, Electorumque beneuolentia (ſi fieri cum æquitate liceat) augeri & amplificari poſſint.

Submiſſe itaq; ſe Cæſarem orare, vt cum prædicta ſua purgatio & declaratio ante Comitia (quæ præ foribus erant) commodè exhiberi non queat, iſtam tantillam prorogatio-

rem non grauiter ferat: ſed patienter expectet, interim vero calumnijs, & detrectationibus inimicorum ſuorum locum non det, potius ſe commendatum habeat & pro ſubmiſſo obedientique & fideli Suæ Maieſt. Electore, agnoſcat.

1583. *Ianu. 19. Epiſcopi Bremenſis aduentus.* Expectatus à Truchſeſianis diu Epiſcopus Bremenſis, inſigni & numeroſo cum equitatu tandem aduenit, paulo poſt meridiem, decimo quarto Kalendarum Februarij. Milites qui ſtationes in portis agebant mandatum à Senatu acceperant, ne quem Ducem aut Comitem cum maiori quam 25. equitum comitatu in Vrbem admitterent. Id mandatum Epiſcopo exponunt, petuntque, vt ipſe cum 30. nobilibus Vrbem ingrediatur: ceteros in proximum pagum mittat. Ille poſtquam diu ante portas hæſiſſet, nec aliud reſponſum à Senatu acciperet, paucis comitatus vrbem minabundus ingreditur: ceteros Rhenum traijcere, & in Tuitienſi pago pernoctare iubet, ipſe quoque nemine ſalutato, per aliam portam egreditur, Rhenoque traiecto, apud Comitem Solmenſem Tuitij diuerſabatur. Poſtridie in Vrbem reuerſus eſt, & aliquot deinceps diebus ad Capituli colloquium venit. Primo verò die cum Eccleſiam intraret, aliquot ſclopetarijs ſtipatus incedebat: eoque Conclaue intrante, milites à quibus deducebatur, igniarios fomites accenſos tenẽtes, ante fores excubias agebant. Sed quia illud contra omnia vetuſtatis erat exempla, iuſſus à Senatu eos dimiſit.

Auguſtus verò Saxoniæ Dux, & Iohannes Georgius Marchio Brandenburgenſis, Electores, diu multumque à Truchſeſio interpellati, nondum vitæ errorumque ipſius conſcij, & qua occaſione hanc alterationem introducere niteretur ignari, ſolo ſuæ religionis zelo moti, Prælatis, Comitibus, Dominis, Magnatibus & Ordinibus Archiepiſcopatus Colon. poſt amicam ſalutationem ſic ſcripſerunt.

IAM

IAMPRIDEM *varijs nuncijs & literis ad nos perlatum eſt, in Diœceſi Colonienſi inter Reuerendiſs. dilectiſſimumq; amicum & fratrem noſtrum Colonienſem Electorem atq; inter Magiſtratum Ciuitatis Agrippinenſis eiuſq; ciues & ſubditos, cauſa Religionis, aliarumq; rerum ſimultatem coortam eſſe, eamq; tantas breui temporis ſpatio vires acquiſiuiſſe, vt Regis Hiſpaniarum Gubernator & Prorex in Belgio Princeps Parmenſis, hinc occaſionem arripuerit, Comitem Arenbergenſem ad venerabile Collegium Eccleſiæ Cathedralis, Magiſtratumque Vrbis ablegandi, & per eundem opem ipſis & ſubſidium ſuum deferendi, promittendiq;, ſe cum toto exercitu ſuo, in propria (ſi opus fuerit & petatur) perſona ipſis adfuturum. Sed illud cum gaudio nobis allatum eſt, ad vigeſimum ſeptimum huius menſis diem conuentum indictum eſſe, in quo de communi Diœceſis ſalute conſultabitur. Nobis itaq; prorſus perſuaſum eſt, pro rerum experientia, ſapientiaq; veſtra; in tam ſolenni conuentu, eò conſilia directuros, vt in ciuitate, totaq; Prouincia Colonienſi, pax, vnitas & concordia coaleſcant: vtq; per hoc tam Chriſtianum, pium & laudabile ſtudium omne ſciſma inter Archiepiſcopum & dictum Collegium tollatur. Nos itaque ex Chriſtiano & pacifico affectu eò animos noſtros inclinantes, vt communis Sacri Imperij tranquillitas conſeruetur, & quidquid ei aduerſatur, communibus viribus propulſetur; hanc Chriſtianam & amicam noſtram admonitionem vtilem fore putauimus: ſperamus non aliter vos eam, quam ex hac intentione profectam, accepturos. Quin & ipſi non obſcuris argumentis diſcere poteſtis, ſi qua in Imperio ſimultas aut domeſtica diſcordia cooriatur, præſertim hoc tam periculoſo rerum ac temporum ſtatu, eam breui maxima incrementa ſumpturam, & ex minima ſcintilla, maximum incendium prouenturum eſſe, quod non facile poterit reſtingui. Non enim modo deſunt quam plurimi ſeditioſi homines, quibus nihil optatius, nihil charius contingere poſſet, quam ſi ſignum & initium diſſidij in Imperio daretur. adhæc & in confinibus circumquaque veſtris, multa militum copia quibus ſtipendia malè exoluuntur, in armis*

ſunt, quibuſcunq; ſucceſſu temporis comeatus deficere poterit: quid ab his expectandum ſit, facile poteſtis ſubodorari. Nec ſuſpicione caret, quod Princeps Parmenſis ſua vobis auxilia defert; hac enim via eos hoſpites admitteretis, qui tardius de abitu cogitarent, & quibus Diœceſis difficulter exonerari poſſit.

QVIN *etiam ne ſic quidem res incolumis erit: ſed vehementer timendum eſt, Alenconium & Ordines Belgicos hoſtem ſuum perſecuturos, atq; hac occaſione totam belli molem, quæ nunc inferiores Germanos miſerrimè affligit, in Diœceſin Colonienſem transferendam eſſe: idque non ſine extrema veſtrarum ditionum euerſione, quæ & paulatim latius in Imperium intromitti poſſet: quod ne fieret, huc vſque laboratum eſt.*

PORRO *& hoc vobis perpendendum eſt, cum amicus & frater noſter Elector Colonienſis, ex diuina diſpoſitione noſtræ veræ, Chriſtianæq; religionis Auguſtanæq; ſe ſocium & membrum Chriſtiana & pacifica declaratione publicè profiteatur, eum ſi quid violenter à vobis patiatur, aut contra illius arbitrium aliquid inſtituatur, multo magis ſi ad immaturam electionem alterius Diœcetis procedatur) talem iniuriam impunitam atq; inultam non relicturum: ſed & vobis bellum moliturum, inuenturumque procul dubio ſufficientem amicorum numerum, qui eum tanquam ſuæ Religionis ſocium, in fidelem ſuam tutelam aſſumant. Quod ſi fiat, quid hinc aliud expectandum, quam prædicta Diœceſis Colonienſis calamitas ac deuaſtatio? inſuper & cauſa dari poſſet noui inter Electores Principes & Ordines Imperij ſciſmatis & diffidentiæ, quam facile tantæ, tamq; cruenta bella ſubſequi poſſent, quæ difficulter ſopirentur. Quæ vero hæreditario Chriſtiani nominis hoſti Turcæ, alijſque externis principibus (quod vt Imperio ditiones quaſuis eripiant, & ad ſuam poteſtatem transferant, auidiſſimi ſunt) occaſio præberetur, ipſa experientia alias teſtata eſt. Horum verò tantorum malorum auctores, præterquam quod Deo rationem ſuorum conatuum reddere non poterunt, etiam poſteris magnam ſui nominis infamiam relicturi ſunt. Cum vero tot tantiſq; periculis ſanis conſilijs non difficulter occurri*

curri queat, hoc vnum à vobis ſerio expectamus, quod curas cogitationesq́ue veſtras omnes, ſaluti patriæ adhibebitis: vt ſi quas inter amicum & fratrem noſtrum, eiusq́ue Capitulum, cauſa Religionis lites & controuerſias ortas eſſe cognoueritis, eæ Chriſtiana moderatione reſoluantur potius, quam ad perniciem Diœceſis, totiusq́ue Imperij foueantur, & increſcant.

NON *dubitamus enim quin facile in medium conſuli, interque partes ipſas concordia ſtabiliri poterit: Via enim modusque ad hoc, vel ex Archiepiſcopi declaratione inuenietur: Si nimirum nec Elector ipſe, nec eius Capitulum, aut quiſquam in Diœceſi ſubditorum, cauſa religionis moleſtetur, ſi illorum conſcientijs vis non inferatur; ſed qui in antiqua religione perſeuerare & conſeneſcere cupiunt, ij ſuis Cæremonijs & ritibus Eccleſiaſticis non priuentur, & Capitulo ſua libera maneat Electio: ne Diœceſi Electoratus Imperij ſubripiatur, ſed in omnem euentum illi ſalua relinquatur.*

HAEC *tam Chriſtiana moderatio, vobis ipſis, toti Diœceſi, omnibus illius Clientibus, & Subditis ad pacem fælicitatemque eueniet, cum alioquin ancipiti atq́ue inextricabili bellorum periculo vos, veſtrosque exponetis. Hæc pro noſtra in vos beneuolentia celare noluimus, ſed pacifice ſcribere & omnipotenti vos Deo committere.* Hactenus duo Electores.

Ceterum cum Curtius Archiepiſcopum cunctari, & ambages quærere, nec animum ſuum ſimpliciter, abſque vllis circunſtantijs aut verborum inuolucris detegere velle, intelligeret: amplius vrgebat illum, vehementiuſque pro manifeſtiori reſponſo inſtabat.

VELLE *ſe, inquiens, Cæſareæ Maieſtati fideliter literis referre, quod ab Arhiepiſcopo ad poſtulata ipſius reſponſum erat: audiuiſſe etiam ex iſta reſponſione, Archiepiſcopum de illata ſibi iniuria conqueri, & cum ſubditis quibuſdam ſibi iureiurando obſtrictis de rebellione & pertinacia expoſtulare. Ceterum cum obſcurius adhuc ſuam de mutanda religione voluntatem explicaſſet, ſe ex mandato Cæſaris*

inſtare, & vt Sua Celſitudo hanc apertius declaret, petere debere. Cum verò Archiepiſcopus in ſua reſponſione Electorum Principumque aliorum opem ſibi polliceatur, ſe ex auctoritate & nomine Cæſaris ſperare, Archiepiſcopum eandem vel ſimilem opem à Cæſarea Maieſtate, tanquam Imperij capite, etiam expectare: atq; ideo ſecurius & maiori cum fiducia, animum ſuum abſq; vllis integumentis declaraturum: cum certa perſuaſione, Cæſarem Suæ Celſitudini in rebus honeſtis ac licitis non defuturum. Non poſſe autem ſe, aiebat, Archiepiſcopum celare, ſibi in itinere apographum cuiuſdam edicti propria Archiepiſcopi manu ſubſignatum, & ſigillo eiuſdem menſe tranſacto munitum, Coloniæ verò eiuſdem menſis 26. die in publicum expoſitum valuisq; templi affixum, exhibitum eſſe: exiſtimare ſe Archiepiſcopum huius rei conſcium eſſe: ſin aliter, paratum ſeſe copiã iſtius edicti proferre, & Suæ Celſitudini exhibere.

CVM *itaq; tam expreſſo Cæſaris mandato ſibi iniunctum eſſet, omnia quæ de Electore Colonienſi ferantur, præcipuè verò ipſius conatum & intentionem fideliter perſcribere; petere ſe & orare ſupplicem, ne Sua Celſitudo animi ſui ſententiam detegere proroget: ſed quid ſibi propoſuerit, ante conuentum, qui iam præ foribus erat, abſolutè & candidè proloquatur: nec celet, quid de hoc edicto, rebusq; præteritis ſingulis ſentiendum ſit: quis eius auctor ſit, quis ſcripſerit, quis publicari fecerit, & an hæc omnia ſciente conſentiente & mandante Archiepiſcopo facta ſint? vt omnium horum Cæſaream Maieſtatem certiorem facere poſſit.*

Hanc legati poſtulationem, cùm attentè excepiſſet Gebhardus Archiepiſcopus, videretque ſe vrgeri ad abſolutam & candidam animi, ſententiæque expoſitionem, vna cum fidei ſui profeſsione, hæc Cæſari reſpondere iubet.

Quamuis ſufficientes prægnantesq; rationes haberet, priori ſuo reſponſo inſiſtendi, petendiq; legatum, vt illo contentus ſit, ſibiq; ſatisfactum putet, donec comitiorum dies finẽ ſortitus ſit: velle tunc Cæſari ex promiſſo latius omnia ſignificare.

NE *tamen apud Cæſarem ſuum à Deo conſtitutum ſupremum*

premum Principem, in ſuſpicionem veniat, tanquam aliquid moliatur, cuius cauſam dicere non poſſet: & ex iſta exigua rerum ſuarum fiducia, ſententiam ſuam Cæſari declarare ſubterfugiat: Nolle ſe eius Maieſtati abditiſſima quæq; animi ſui occultare. Initio itaque; aiebat, à primis ſuæ Electionis exordijs varias moleſtias difficultateſq; tam in conſcientia, quam in politica adminiſtratione, ſibi obuiaſſe. Præcipuè vero à quibusdam è ſuo collegio Canonicis ſæpiſſimè interpellatum ſe eſſe, vt quotquot non per omnia Religioni Romanæ & Papiſticæ conſentirent, ſed conſcientia impulſi, in Confeſſionem Auguſtanam, eiusque Chriſtianam & diuino verbo nixam Apologiam propendebant, eos nullo modo in Diœceſi ſua ferret, ſed expelleret, atque exterminaret. Papiſticam verò Religionem per ſingulas domos ſerio colere & obſeruare mandaret.

HVIC *incitationi initio ſe quidem conſenſiſſe, & vt locum haberet propenſum fuiſſe, idque ex defectu Chriſtianæ institutionis, & illicito, quique animo ſine vlla intercapedine repræſentabatur, Zelo. Ceterum poſt diligentiorem negotij diſcuſſionem, omnibus & ſingulis circunſtantijs examinatis, ponderatisq;, ſingulari ſine dubio cum gratia Dei didiciſſe, iniquum eſſe ſuæ Diœceſis Clientes & ſubditos indicta vel non praua probabili cauſa, contra propriam conſcientiam moleſtare, aut propter Religionis profeſſionem perſequi.*

AD *conſolationem quoque & corroborationem ſuæ conſcientiæ motum ſe, ait, collapſæ religionis errores diligenter examinare, cauſasque diſcutere, cur præcipui Electores, alijque magni nominis Principes in Imperio, à religione Papiſtica deſciuerint, & Carolo V. Imperatori, ſuæ in Verbo Dei fundatæ Religionis confeſſionem, anno 1530. Auguſtæ Vindelicorum exhibuerint. Has quidem cauſas ſe prægnantes, iuſtas & æquas deprehendiſſe, agnouiſſeque confeſſionem illam, ſubſecutumque illius libellum Apologeticum, & cæteras Chriſtianas declarationes, iſtis non diſſimiles, DEI verbo conformes, veram, puram & incorruptam doctrinam eſſe: pro tali ſe habere & aſſumere debuiſſe, vrgente ad hoc propria conſcientia. Sed & ſe dignum exiſtimaſſe, hanc*

doctrinam

doctrinam non ſolum in propria perſona & aula obſeruare, verum etiam ſubditos ſuos ad agnitos iam in Papatu errores, non impellere: nec optatum exercitium veræ Euangelicæ doctrinæ, quam tantoperè petunt ex præſcripto exhibitæ Auguſtanæ confeſſionis, in ſui ſuorumque præiudicium illis denegare.

PRAEDICTIS *de cauſis decretum iam pridem ſibi fuiſſe, animi ſententiam omnibus ſubditis, palam, & publico, typiſq; excuſo edicto declarare: cuius exemplar Legato exhiberi iuſſit. Sperare autem ſe omnes Deum timentes, pacificoſq; homines, ex hac ſua declaratione inueſtigaturos ſuum propoſitum, animique intentionem rationi conſonam, Deique mandato & eius incommutabili voluntati (cui omnes humanæ conſtitutiones traditioneſq; cedere, ſubijcique debent) eſſe conformem, atque ideo ſibi iure impingi, inculcariúe non poſſe, quod vnquam perſecutioni ſibi intentatæ iuſtam cauſam dederit: aut quidquam, quod ad domeſticas, ciuileſquè in hac Diœceſi diſcordias & ſeditiones mouendas tendit, inſtituerit: ſed potius omnes actiones cogitationeſq; eo direxerit, quo tranquillitas, pax & ſalus huius laudabilis Archiepiſcopatus conſeruarentur, augerenturq;. Quantumuis nunc ampliori declaratione opus non eſſe exiſtimet, tamen vt Legato per omnia ſatis fiat, hoc etiam addere voluiſſe, ait: Se nimirum præteritis temporibus aliquoties in animo habuiſſe quietam & tranquillam priuatamque vitam ducere, & præſenti ſuæ adminiſtrationi, tot tantiſq; periculis inſidijſque expoſitæ (in qua non pauca, nec exigua aduerſariorum ſuorum ſtudijs ſuſcitata incommoda ſibi obuiaſſe, dicebat) renunciare. Hoc autem ſuum propoſitum amicis ac familiaribus Dominis iam ante annum ſe communicaſſe: ſed diſceptationibus, admonitionibuſq; varijs inductum, id tandem ſtatuiſſe; turpe atque impium eſſe, prouincias, populoſq; ſuæ à Deo Adminiſtrationi concreditos, hoc præſertim tam iniquo atque difficili tempore, deſerere: didiciſſeque etiam ſe religione conſtrictum vocationem ſuam & Archiepiſcopale munus, ſuis ab Omnipotenti humeris impoſitum, adhuc aliquandiu ad voluntatem Dei continuare, rebuſque præeſſe. Decreuiſſe*

itaq;

itaq; in poſterum Diœceſin ſibi diuinitus creditam defendendo, nec ſanguini nec opibus (non aliter atqui fidelem protectorem Chriſtianumque Principem decet) parcere. Falsò vero ſibi impingi, quod ſeculari ſtatui ſe inſerere, & per contractum matrimonium Eccleſiaſticum ordinem eiurare, nunc temporis ſibi firmum ſtatutumq; ſit. Scire ſe quidem, Archiepiſcopo, ſecundum diuina ſtatuta, non minus quam alijs, licere per occaſionem Chriſtianū matrimonium inire: Pontificumq; Romanorū & ipſis adherentium interdictum de cœlibatu non obligare, ſeſeque ad obſeruationem illius non teneri: tamen hoc caſu ſibi propoſitū non eſſe, Eccleſiaſticum aut politicum munus abdicare, ſed vtrumque quamdiu Deo viſum, ſibique in hoc ſtatu permanere integrum erit, ita adminiſtrare, quod cauſa ſui matrimonij nec prouincijs, nec populis iuſta querelarum occaſio dabitur, quaſi contra Diœceſin ex priuato commodo quicquam moliatur: de horum maiori ſecuritate, ſe in publica atque impreſſa Apologia, debitam, ſufficientemq; confirmationem obtuliſſe, ad eam ſe & nunc referre.

Neque dubitationis ſibi quicquam reliquum eſſe, quin tam coram Deo, quàm coram Romano Imperatore, atque omnibus Imperij Ordinibus, ſibi & honeſtius & laudabilius erit, ſi aliquam ſibi matrimonio iungat, cum qua honeſtè viuat; quam ſi cum iactura ſuæ ſalutis, animæque naufragio vitam offendiculis & reprehenſione plenam, degat. Sperare deniq; ſe, diuina intercedente gratia, ſuum viuendi modum, neque antiqua ſua Truchſeſſiorum in VValburch &c. familia neque Diœceſi ſuæ Colonienſi vitio & ignominiæ fore: neque in præiudicium iurium, ſtatutorum ac priuilegiorum: ſed potius ad communem patriæ & Reipublicæ emolumentum & ſalutem, multorumque in ſacris voluminibus prohibitorū, per que Eccleſiaſticos homines introductorum abuſuum derogationem, maximam vim habiturum. Poſtremo ſpem ſibi quoque affulgere, Cæſarem hæc non improbaturum, ſed in optimam partem interpretaturum; aut ſaltem ſuſq; deque laturum: cum religio ſibi foret, nec conſcientiæ ſtimuli paterentur, de his omnibus quidquam immutare, vel omittere. &c.

Per

Per id tempus Coloniæ commorabantur ex Ducibus, Comitibusque Capitularibus (Capitulares autem vocant, quibus conuentus agere, Ordines Diœceſeos euocare, Archiepiſcopum creare & de communi conſilio, quæ ad patriam pertinent, ſtatuere, ius eſt) Illuſtris Comes Antonius à Scavvenbruch, Decanus Capituli Maioris: Chriſtophorus Ladis Comes Nellenburgius, Dominus in Tengen, Vice Decanus: Illuſtriſsimus Dux Saxoniæ Fredericus Choriepiſcopus, & Theſaurarius: Arnoldus Comes in Manderſcheit Scholaſticus: Guilielmus & Iohannes Comites Salmenſes, & Barones in Rifferſcheit: qui omnes abſque vlla ſimulatione à parte Catholicæ Religionis, ſicuti Hermannus Adolphus Solmenſis Comes, & Thomas Baro in Kriechingen à Truchſeſij & religione ipſius, ſtabant. Paucos etiam ante dies, vt diximus, Henricus Dux Saxoniæ, Archiepiſcopus Bremenſis, frater Frederici Choriepiſcopi ſupradicti, huc venerat, animo (vt tum dicebatur) Truchſeſij factiones fouendi: ſed præſens re omni cognita, in neutram partem inclinare voluit: non in Capituli, quoniam aliam religionem illud propugnabat, quam cuius ipſe erat: non in Truchſeſij, quia nihil in illo, quod vel excuſari vel defendi iure poterat, præter religionem ſuam (quam vt cæteris fucum illineret, magis foris oſtentare, quam in animo & corde circunferre videbatur) inuenit. Catholici itaque Capitulares Illuſtres, vna cum collegis ſuis octo Presbyteris quotidie conueniebant, de reprimendis Archiepiſcopi conatibus conſultantes. Presbyterorum vero nomina (perpetua memoria digna) eorum qui tunc erant, ſunt hæc. R. D. Conradus Ort ab Hagen, D. Iohannes Suuolgen, D. Gothardus Gropperus, D. Iohannes Kempis, D. Hermannus VVinkel ab Attendorn, D. Ioãnes VValſchartz, D.

Iaco-

Iacobus Middendorpius: Doctores omnes Theologiæ, vel Iuris. Paulus deniq; Kuechouius Licentiatus, Viri graues & ornati, qui cauſam integritatis, fidei & religionis ſuſceperunt: & ad defenſionem Reipublicæ, ſe totos, tot impendentibus periculis cum laude contulerunt.

Dux autem Fredericus omnibus animum addidit, & ſuo exemplo Collegas ad fortitudinem & conſtantiam hortabatur, vt nulla ſcilicet vi, nullis minis, nullis inuidijs deterreantur, & de officijs dignitatibusque potius, quam de iuſtiſsima ſuâ cauſâ dimoueri, ſeſe permittant. De communi igitur ſententia decretum eſt, vt ſolennia comitia in 28. Ianuarij diem indicerent, Coloniamque omnē nobilitatem & oppidorum legatos, cum plena auctoritate per literas euocarent: vt quid in cauſa Archiepiſcopi agendū eſſet diſceptaretur, ſtatueretur que. Longè lateque Germaniam peruagabatur huius Illuſtriſsimi Ducis Frederici fama, quæ quidem iucundiſsima Catholicis Principibus, alterius vero Religionis acerbior accidit. Elector ergo Saxoniæ Auguſtus, vt qui ſanguine illum attineret, literis ad eum ſcriptis indicauit.

SE *certis auctoribus cognouiſſe, Ducem Fredericum non tantum Collegis ſuis & confratribus præcipuè verò Hermanno Adolpho Comiti Solmenſi, & Iohanni Baroni in Vvinnenberg ſed etiam ipſi Electori Colo. pertinaciter obluctari & moleſtum eſſe. Ante omnia Chriſtianum illius Electoris propoſitum oppugnare & impedire non intermittere. Hortari ſe igitur, vt præfatus Dux Fredericus Electorem ſuum diligat, & cum Collegis ſuis pacificè viuat. Archiepiſcopi vero tanquam legittimi Principis ſui, propoſito non obſtrepat. Sin autem apud te mea (inquit Auguſtus) admonitio locum non habeat tibique in cœpto tuo pergenti aliquid incommodi occurrat; apud me querelas tuas ne poſtea deponas, neq; aliquid in rem tuam à me expectes. Non enim huiuſmodi ſeditioſis, Deoq; inuiſis factionibus fauere, vel aſſentire poſſum.*

Dux

Dux vero Fredericus, vt qui complurium thriorum ſtrepitum audierat, nihil hac admonitione motus, ſed in pium ac iuſtum ſcopum ſuum, inque Cæſaris & aliorum Principum voluntatem intendens; audacter, conſtanterque, in eo quod incæperat progreſſus eſt, Cæſaris voluntatem Electoris præferens admonitioni. Is enim per ſuos legatos Capitulum, Comites, Barones, nobiles & ciuitatum Ordines, per Diœceſin, ad inſtantem conuentum vocatos, feriò, grauiterque hortatus erat; vt execrandæ huic nouitati, non tantum Diœceſi, ſed vniuerſo Imperio exitiali refragarentur, nec quidquam obſeruationibus ac conſtitutionibus patriæ, communi iuri, aureæ Bullæ, comitiorum Imperij concluſionibus, & tanta ſolennitate pactæ confirmatæque tranquillitati Religioni datæ contrarium, decernerent vel approbarent.

Lintzium tentat Carolus Truchſeſius.

Dum hæc vltro citroque geruntur, Archiepiſcopus ſuis rebus intentus, de Lintzio oppidulo ad Rhenum poſito, in ſuam poteſtatem redigendo cogitauit. Subodorarũt hoc ciues, qui Capituli ſententiam poſtularunt: Archiepiſcopine præſidium admitterent, an ingreſſum ei negarent? Reſponſum eſt ijs de communi ſententia: ſuum vt oppidum defendant, neminem (ne quidem ipſum Archiepiſcopum) ante finem Comitiorum in oppidum aut in arcem recipiant. Carolus itaq; Truchſeſius cum præſidio adueniens, cum nomine Archiepiſcopi oppidi deditionem poſtularet, repulſam paſſus eſt, & militem ſuum Bonnam reduxit. Emiſſarios quoque ſuos Archiepiſcopus quoquouerſus ad omnes Proteſtantium in Imperio Principes ablegat, opem & auxilium eorum implorans, ne Auguſtanam confeſsionem (cuius ille titulo vtebatur) teneram adhuc & creſcentem in ſua Diœceſi defendendi deſit ſibi facultas. Strenuam in hac legatione nauarunt operam Comes Solmenſis & Hermannus à Vveda. Circunferebaetur eodem

tempore

tempore literæ D. Suartz ad Præpoſitum Eccleſiæ Maioris Georgium Comitē à VVitgenſtein, quæ tamen aut falſę aut ſuppoſititię credebantur, nullumque alium in finem ſparſæ, quam vt ſuis animum adderent: Ijs iactitabant Saxonem, Brandenburgenſem & Lantgrauium in partes Archiepiſcopi conceſsiſſe, & auxilia polliceri: Moguntinum quoq; & Treuerenſem Electores Capitulum terruiſſe ſcriptis, ſi fratri ſuo Archiepiſcopo Colonienſi vim & iniuriam inferre pergat, eam ſibi quoque fieri cogitet. Caſimirum vero omnia liberaliter promittere, &c.

Adolphus Nuenarius noui Euangelij Gebhardi auſpex, ſurſum deorſumq; per Diœceſin curſitat, ſingulis illud oppidis gratulabundus offerens: ſed ab omnibus idem reſponſum hoc tuliſſe dicitur: ſe nimirum nihil ante conuentum Colonię indictum mutare velle: ſed omnis negotij difficultatem in illius determinationem reijcere. Hanc prorogationem illis (quamuis ęgrè) indulſit, hac addita conditione; ſi qui interim exercitium alterius, quam Catholicæ religionis, deſiderarent; libellum tantummodo ſupplicem offerrent, voti illos compotes futuros, pollicebatur. Quibus blanditijs effectum eſt, vt Quempinates nutare deque Religionis alteratione cogitare viderentur. Colonię quoque Traianæ, quam nunc Cæſaris VVerdam vocant, ſplendidum conuiuium inſtruxit Nuenarius, ad quod Conſules vrbis vocauit, illorum animos omni beneuolentia ſibi volens deuincire. In hoc conuiuio dixiſſe fertur: futurum vt in Ordinum proximo conuentu Religionis libertas decerneretur, & ad nouam Religionem omnes inuitarentur, quod ſi qui detrectent ingrati ſuſcipere, his vim paratam eſſe: id quod in Belgio factum viderunt. Cæſaris VVerda diſcedentem, apud Ordingam Hohenſaxen, Magiſter equitum ſub Ordinibus Gelrię, præſtolabatur, venientemq;

excepit & equitum præſidio ſtipatum Merſam deduxit. quæ res non paruam ſuſpicionem dedit, eos cum inferioris Germaniæ Statibus negociari: hoc illorum fore extremum refugium, vt ab ijs exilia expectent, qui ſe ſuosq; tueri non poterant. ſeipſos quoque blandiri, & in eo ſpem collocare, quod Princeps Parmenſis cunctanter ageret: quodque ſimultas inter Carolum Mansfeldium & Haultepennium Chiliarchas, ſeu militum Tribunos apud Regem Hiſpaniarum coorta eſſet (vt tunc fama erat) qui cum in confinibus caſtra metarentur, ſperabant aliquid ſibi commodi ab àlterutro acceſſurum: ſed fruſtra. Vehementer verò ſibi ab Illuſtriſsimo Cliuiæ, Iuliæ, Montium &c. Duce metuebant, ne ipſis tum in alijs rebus, tum maximè in comeatu præcludendo officeret. Non enim obſcuris argumentis eius in Archiepiſcopi conatus animum ſcire potuerunt: vt qui metuens ſuas ditiones, ob nimiam vicinitatem, eadem hæreſeos flamma correptum iri, ante paucos dies ad Capitulum legatos, Cancellarium Orsbachium, Satrapam Duiſſeldorpenſem Horſtium, Mareſcalcum ducatus Cliuiæ Vvachtendunkium, & Hartzemium miſerat: admonueratque, ne quam mutationem, vel in Eccleſiaſticis, vel in Politicis admitterent: ſtudijs Archiepiſcopi ſeriò obuiam irent: nihil quod ad defenſionem Religionis ac patriæ conſtitutionum conferret, præmitterent: ſi qua in re ſua opera indigerent, eam ſemper præſtò futuram, pollicebatur. Quin & Clariſſimum Senatum Colonienſem horum admonuit, eandemque ipſi detulit. Capitulum viciſsim Fredericum Saxoniæ, ad Iuliæ &c. Ducem legauit, vt gratias eius Celſitudini ageret, & coram latius cum ea, de ſuſcepto negotio conferret. Hæc & ſimilia Archiepiſcopo & ſuis animos anxios reddidit, nimis potentem ſibi vicinum metuentibus. tamē ne ſuæ cauſæ deeſſent, omnem

mouent

mouent lapidem. Vt autem conuentum Colonienſem Gebhardus remoraretur, Bonnam 19. Ianuarij Clientes ſuos, Nobilitatem & Ciuitatum legatos euocat: quibus ineſcandis, & ad ſe pelliciendis omne ſtudium impendit. Viſum etiam fuit vt 22. Ianuarij ex nobilitate VVeſtphalica Caſparus ab Heien cum Doctore Biſterueldio ad ſuperioris Dioeceſis oppida mitteretur, nouoque ea ſacrãmento obſtringeret. Hontſeler quoque nobilis cum parte copiarum in inferiorem Dioeceſin profectus eſt: vbi tunc ſpargebatur paſſim per oppida & pagos magnam vim pecuniæ Bonnam allatam eſſe, quam Principes, Comites & Ciuitates Auguſtanæ confeſſionis Archiepiſcopo confœderati contribuerant. Interim capita Nobilitati proponenda concipiuntur hæc.

I. Vt Conſiliarij non niſi ex Prouinciæ nobilitate conſtituantur, eorumque numerus augeatur.

II. Extraneæ Prouincialibus ne præferantur.

III. Vt modus in aſſumendis Doctoribus adhibeatur: hos enim alioqui ſolos dominari, ſuoque conſilio cuncta moderari.

IV. Vt tribunal quoque ex nobilitate erigatur, ſitque adinſtar eius, quod eſt in Lotharingię & Lucenburgenſi ducatibus.

V. Vt maiora Canonicorum Collegia & Abbatię (à quibus nobiles nunc exulare dicebat) in fauore & cõmodum nobilitatis reformentur, & ad maiorum ſuorũ veſtigia, quaſi poſtliminio ipſa redeant.

VI. Vt ſeptem, vel octo Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ, qui Presbyteri ſunt & vocantur, poſthac excludantur: & poſt mortem eorum qui nunc ſunt, nobiles ſuccedant. Prærogatiua quam in Electionibus habent, ipſis maneat.

VII. Vt pacta, conuenta & ſtatuta Prouinciæ, rata maneant, & ſi quæ in illis publico patriæ commodo mutanda videantur, Prouincialium omnium conſenſu approbentur.

Digitized by Google

Dux arcem atque oppidum maioribus copijs atq; inſtrumentis muniuit. Quin etiam ad idem oppidum inuadendum ternis literis Hohenſaxius euocatus eſſe dicebatur: re verè cognita nihil auſi ſunt periclitari. Imminebat iam Comitiorum dies. Prudentiſsimus igitur Senatus Colonienſis, cum à Capitulo interpellaretur, vt fide publica caueretur his, qui ad Conuentum erant euocati, pro ſuæ Reipub. ſalute anxius (metuebat enim ne in tanta Principum frequentia, tantaque animorum diſſenſione, aliqui ſub titulo celebrandi Conuentum, populum ad ſeditionem concitarent, ſuisque copijs, quas Germani pro more ſecum adducunt, aliquid in exitium ciuitatis molirentur) poſtulauit nomina eorum qui vocati erant, quod & impetrauit, ſtatimque decreuit nocturnas excubias augendas, aliasque antea inſolitas vicatim inſtituendas: neminem in Vrbem maiori cum ſatellitio quam 6. equitum, ſi Comes eſſet: ſi nobilis, tantum duorum admittendum eſſe.

Dux Bipontinus quomodo nuper in Vrbem cum tanto comitatu venit: legationemque ſuam bis in Senatu expoſuit, petens vt 44. Tribunis plebis, quos alias Optimates appellauimus non propriè (ſumuntur enim ex plebe) quæ poſtulauerat, proponerentur, cum ij non niſi in certis caſibus, ijſq; ad ſuam legationem nõ pertinentibus conuocari ſoleant: & quid Ampliſsimus Senatus ei reſponderit, diximus antea. Nunc itaque ad vigeſimum quartum Ianuarij diem, citra Senatus conſenſum iterum nauigio deſcendens, in Vrbem Colonienſem venit, cauſæ Archiepiſcopi patrocinaturus. *Pag. 230. & deinceps.*

Venêre cum eo Comes à VVitgenſtein Ludouicus, Præpoſiti Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis frater, & Iohannis Naſſouij filius. Atque ipſi quidem in ciuitatem recepti ſunt: bona verò pars equitum, qui in comitatu erant, excluſa. Petierat abſens antea, & nunc præſens à Senatu Bipontinus

Digitized by Google

vt pro hoſpitio ſibi magnificæ illæ ædes vulgo, dictę Der Quattermart deſtinarentur: erant enim eæ amplißimæ, & ad cogendos cætus, habendasque conciones conuenientißimæ. Cæterum Senatus prudenter id illi recuſauit. Monaſterium verò Dominicanorum ſplendidum & regale, olim ab Alberto magno ſumptibus Imperatoris, exædificatum, Comitijs habendis aßignatur.

Ianua. 25. Archiepiſcopi Legati alios anteuertere cupientes, quorundam animos, quos in aduerſam partem inclinare ſciebant, beneuolentia, precibus, promiſsis, criminationibus, purgationibuſque ſibi deuincire ſtuduerunt. Suas quoque in Capitulo conciones habuerunt, orantes, ne Illuſtres & Reuerendi Domini, Gebhardo Archiepiſcopo ſuo in libertatem Religioni dando eſſent impedimento: præſertim cum id, nec ob priuatum ſuum commodum, nec motu proprio, ſed ad Diœceſeos ſalutem, à nobilitate patriæ interpellatus, faceret: ipſique Capitulo electionis liberæ ius, & conſuetudinem relinqueret. Hæc & ſimilia in conſeſſu Canonicorum proferebant, illi autem reſponſum in diem Comitiorum reiecerunt. Is nunc aderat; frequentesque Ordines iam confluxerant, de re magni ponderis conſulturi. Aderant Comites, Barones, Nobiles & Ciuitatum Legati, VVeſtphalicarum Prouinciarum nobilibus ac legatis exceptis: qui ſe per literas, quo minus veniſſent, excuſarunt; cauſam reddunt; quod nimirum vereantur ne abſentium caſtra atque oppida aſtu (vt inſidiarum ferax hæc eſt ætas) ab Archiepiſcopo interciperentur. Sententiam verò ſuam apertis ac manifeſtis literis declaratam, multorumque ſubſcriptionibus munitam, ad Capitulum miſerunt. Ea erat: Se non receſſuros ab his, quæ iam antea toties pacta, tranſactaque à Patriæ ac Diœceſeos ordinibus fuere. ſic & Veſtenſes, aut Reckelinckhuſenſes decreuiſſe. Hæc conſtantia

Conuentus Colonienſis.

VVeſtphali ad conuentum non veniunt.

VVeſtphalorum ſententia.

tia Rhenanos magnopere confirmauit. Vigeſimo itaque octauo die mane de more celebrato ſolemniter ſacro, Canonici Illuſtres & Reuerendi, Comites inquam & presbyteri, in domo Capitulari, vt vocant, primum conueniunt, inter ſe conſulturi, antequam ad publica comitia venirent. Aderat Epiſcopus Bremenſis, Comes Solmenſis & alij nonnulli qui Archiepiſcopo fauebant. Hic cum diu multumque diſceptatum eſſet, illis Archiepiſcopo non eſſe obediendum, ſed deſtituendum: his vero contrarium vrgentibus; poſt varias contentiones Bremenſis palam profeſſus eſt, ſe longe alium rerum ſtatum coram inuenire, quam abſens perſuaſus erat. Nolle tamen propoſitioni in comitijs faciendæ adeſſe, propterea quod in ea Archiepiſcopus de multis accuſaretur, de quibus ſibi plena nondum fides facta erat. atque ita diſceſſum eſt. Decanus cum ſuis ad monaſterium Dominicanorum, locum nimirum Comitijs aſsignatum acceſsit. Bremenſis & hi, qui ab Archiepiſcopo ſtabant, ad Georgij à VVitgenſtein Præpoſiti ædes diuertebant, eò quod proponenda audire noluerunt. Lectis igitur primum in Comitijs verbis iuramenti, quo Archiepiſcopus ſe Capitulo & Diœceſi adſtrinxerat, ſtatim quæ concepta erant proponuntur, erant autem hæc.

I. Gebhardum Archiepiſcopum Colonienſem & Electorem, clementiſsimum Dominum ſuum, ingentes copias peditum atq; equitum conſcripſiſſe, ciuitatem Bonnenſem, plurimaque caſtra ſuperioris atque inferioris Diœceſis, præter morem occupaſſe, in eaque, præſidia deduxiſſe.

II. Eundem Mancipibus, Portorijs aut Publicanis interdixiſſe, ne annuas penſitationes, quibus ea debebantur, ex vectigalibus ſoluerent: ſed ſibi omnia repræſentarent, nec ab iſtius mandati tempore, huc vſque creditoribus quidquam datũ eſſe: id facinus non tantùm pactis Diœceſis antiquis

aduerſari,ſed Archiepiſcopatum quoque, cui eâ ſolutio incumbit, ære alieno plurimum grauare.

III. Propria illum manu,proprioque ſigillo primum Bonnæ,atque alijs in ciuitatibus: deinde literis quoque typo excuſis,& ſigillo munitis, nouam Religionem, Auguſtanam nimirum confeſſionem, profeſſum, eandemq; ſubditis permiſiſſe, contra conuentiones & pacta Prouinciæ: in quibus decretum eſt, Diœceten nullam habiturum poteſtatem aliquam in ſacra Religione mutationem, Chriſtianæ Catholicæ Eccleſiæ contrariam, ſiue per ſe, ſiue per ſuos faciendi vel admittendi. Nec quidquam moliri in Eccleſiaſticis vel Politicis negotijs poſſe, electionis conditionibus & articulis,huius Archiepiſcopi tempore ſtatutis, & approbatis & iureiurando confirmatis, contrarium.

IV. Secundum opinionem vulgi, & non obſcuram literarum ſuarum ſcriptarum,impreſſarum, ſigillo munitarum, ſparſarum,diuulgatarumque edicto publico ſignificationem; eum ſtatuiſſe matrimonium inire,nec Archiepiſcopatui cedere: id Iuri communi,conſtitutionibus Diœceſis, Imperijq; ſtatutis anno 1555. Auguſtæ receptis, approbatiſque;Electionis inſuper conditionibus prędictis reluctari.

V. Capitulo maioris Eccleſiæ innotuiſſe, Archiepiſcopum ſuum cum Alenconio Gallo, alijſque Principibus nonnullis fœdus inijſſe, idque eiuſdem Electionis articulis & conuentionibus eſſe aduerſum: Ordineſque perpendere poſſe,quantis periculis & incommodis Prouinciæ per hoc fœdus poſſent implicari.

VI. Eum externos Dominos & Conſiliarios ad ſe pellicere,cum ijſque conſilia ſua communicare, & ex illorum ſententia, tam quæ dicta ſunt,quàm quæ dicenda, decernere, atque exequi ſtatuiſſe: cum tamen in Prouinciæ conuentibus ſancitum ſit,

ſit, vt Diœcetes conſilium perpetuum ſibi deligat ex Eccleſiaſticis & Politicis ſenioribus viris, & & ſuarum ditionum incolis.

VII. Manifeſtum eſſe eum quoque Caſtrum Cæſaris Vverdæ externo præſidio muniuiſſe, illud etiam patriæ ſtatutis contrauenire.

VIII. Nouas recenterque inauctoratas copias Diœceſi magno ſumptui futuras. Militem verò, ſi ſtipendium non accipiat, miſeros ſubditos captiuos abducturum, ſpoliaturum, omnique fortuna exuturum: id vehementer, exemplo Belgarum, metuendum eſſe. Stipendia verò ſolui non poſſe, niſi Diœceſis nomine faciat, ſeſeque ære alieno atque inextricabili grauet.

His de cauſis Capitulum & literis & legationibus Archiepiſcopum ſuum admonuiſſe, aiunt, & vt introductam nouitatem aboleret, petijſſe: nihil tamen ab illo impetraſſe. Communibus patriæ ſuffragijs olim decretum, ſemperque obſeruatum eſſe; ſi Diœcetes à Capitulo admonitus, huiuſmodi nouitates non tollat: ex tunc Comites, Nobiles, ciuitates, præfectosque & ſubditos omnes teneri, ſe cum Capitulo coniungere, eidemq; parere, non autem Diœceti: id communes patriæ ordines pollicitos eſſe. Iuramento inſuper ſe & ſuos poſteros aſtrinxiſſe, fidemque, quam Eccleſiæ & Diœceſi Colonienſi debebant, obligaſſe, quod pacta, conuentiones & ſtatuta patriæ, vel Diœceſis per omnia obſeruaturi, & ne violentur, fortunis, opibus, corporibus & ſanguine ſuo pro viribus atque animi generoſitate forent aduigilaturi. Ideò ſe Ordinum communem ſententiam poſtulare, quid ipſis de Archiepiſcopi factionibus videatur, quibuſque rationibus tam periculoſis, tamque omnibus ſtatutis ac pactis prouinciæ aduerſis, contraueniendum eſſe iudicent.

His ita propoſitis Ordinibus Diœceſis: ſimilia

R 5 quoque

Digitized by Google

Capita Legatis Cæſareis in conuentu Colonienſi propoſita.

quoque legatis ac Conſiliarijs Cæſareæ Maieſtatis propoſuerunt. Initio illis breuiter in memoriam reuocant ea, quæ proximo conuentu erant tranſacta: quæ vt executioni darentur, ſe nonnullas arces Diœceſeos occupaſſe, in easque præſidia deduxiſſe aiebant. rationes autem quibus ad hoc permoti erant, eſſe eas, quas paulò ante commemorauimus: ex quibus concludebant, Gebhardum Archiepiſcopatu, omnique ſua adminiſtratione excidiſſe. Id enim paci Auguſtæ Religioni datæ conſonum eſſe: cuius verba ſunt.

Sleidanus lib. 28.

Si quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Antiſtes, aut alius ordinis Eccleſiaſtici, à Religione veteri deficiat: is continuo decedat ab Epiſcopatu ſuo, præfectura, beneficio, ſimul omnibus etiam fructibus, quos inde percepit: & Collegio, ſiue ijs, ad quos ea res iure vel conſuetudine pertinet, liceat & integrum ſit, in eius locum eligere ſeu conſtituere alium.

Gebhardum autem à Religione veteri defeciſſe, plus quam manifeſtum eſſe. Huc accedere, quod Gebhardus Archiuum Diœceſeos aperuit, aurum argentumque, Principum honoraria, & Prouinciæ cimelia rapuit, ſecumque Bruela & Bonna auexit. ſimilia & alijs in arcibus contigerint. Ne autem in omnibus id fieret, ſe cauere voluiſſe, Gebhardum præoccupaſſe, arces nonnullas in ſuam protectionem ſumpſiſſe, vt ſine vlla difficultate, eadem futuro Archiepiſcopo olim tradantur: id quod difficulter fieri potuiſſet, ſi ab Archiepiſcopo moderno præuenirentur.

1. Petere itaque ſe vt Legati & conſiliarij ſuum hac de re iudicium proloquantur.

2. Conſtare ſibi Archiepiſcopum ſurſum atque deorſum curſitare, ad omnes Principes Auguſtanæ confeſſionis legationes mittere ad auxilia ſubſidia-

ſidiaque ab ijs impetranda. Metuendum igitur eſſe, eum vim aliquam Diœceſi illaturum. Cum autem Capitulares è paruis copijs quas huc vſque collegerant, ſatis ſuperq; didicerint, quantarum impenſarum res eſſet belligerari: facile ſe conſiderare vim & impetum Archiepiſcopi, ſine Cæſareæ Maieſtatis aliorumque Catholicorum Electorum & Principum ſubſidio, ſuis viribus ſuſtinere, mulò minus retundere poſſe, etiam ſi omnia quæ ſuæ poteſtati ſuberant, adærarent. orare itaq; ſeſe, vt legati Cæſarei ſuum conſilium exponant, quid, & quomodo faciendum ipſis ſit, ſi ab Archiepiſcopo armata manu obruantur.

3. Quamuis Archiepiſcopus ob mutatam religionem, & contracta ſponſalia ipſo iure Archiepiſcopatu & Septemuiratu priuatus ſit: Neceſſariũ tamen ſe arbitrari, vt Summus Pontifex declaratoriam ſententiam mittat. Petere igitur ſe, vt Legati apud Cæſaream Maieſtatem inſtent, quo eam à Sua S. conſequantur.

4. Cum certò ſciant Archiepiſcopum prædictos Principes & Electores inuocare: non dubium eſſe quin honeſta præſcriptione cauſam ſuam tegat, multaque in accuſationem Capituli congerat: facilè igitur fieri poſſe, vt dictorum Principum animi in Capitulares exacerbarentur. Sperare igitur ſe, quod admonitione Legatorum, ſua Maieſtas Electores ſeculares, alioſq; Proteſtantium Principes, ante alios Caſimirum, Richardum & Iohannem Palatinos, Heſſum & VVirtenbergenſem hortabitur, ne ſe Colonienſium negotio immiſceant, aut Electori opem ferant.

5. Varias quotidie ad Capitulum querelas adferri, de adminiſtratione Iuſtitiæ; vacare etiam quædam vectigalia, aliaque officia; adhæc & Electores quoſdam apud Capitulares inſtare, pro obtinenda vectigalium immunitate. Arbitrari ſe quidem, non præter ius ſuum facturos, ſi horum admi-

adminiſtrationem & curam in ſe recipiant, tamen vt omnis tollatur cauillationis occaſio, orare ſe Legatos, vt ipſi à Cæſarea Maieſtate impetrent Capitulo liberam adminiſtrationem rerum politicarum, facultatemque officia conferendi, immunitates Vectigalium dandi, cęteraque regalia vſque ad nouam electionem, citra controuerſiam dandi.

Vltimo, ſibi quoque ſignificatum eſſe, Archiepiſcopum legationem harum rerum decreuiſſe ad Suam Cæſaream Maieſtatem, ſtatuiſſe iccircò & ſeſe è ſuo collegio vnum aut plures (modo id Legatis conſultum videatur) ad eandem Maieſtatem ab legare, qui ipſi totius negocij decurſum, cum omnibus circunſtantijs exponant.

Hæc omnia cum propoſita eſſent, multorum Principum legati poſtularunt, ſequenti die vt audirentur, quod & ipſis promiſſum eſt. Dimiſſo itaque concilio ad epulas magnificè inſtructas itum eſt. Inde poſt aliquot horas iterum euocati à Comite Adolpho Solmenſi, VVinnenbergio, Kriechingio Capitularibus Truchſeſij cauſam defendentibus. Orabat pro illo Solmenſis, quæ in mandatis habebat imperterritus expoſuit, multa in Archiepiſcopi defenſionem & purgationem adduxit: non conſulto agere ſuum collegium, quod Electoris ac Principis ſui ſtudijs tanta contentione reluctaretur: quod ſi ita pergat, maximos non ſolum in Prouincia Colonienſi, ſed in toto Imperio tumultus excitatum iri, ait: inde ad proteſtationem, mox ad conuicia deſcendit: negat ſe ſententiam Capituli, tam in ſuum Principem iniquam & à Pfaffis quibuſdam (ſic enim contumelioſè Presbyteros appellabat) fabricatam, ratam habiturum: non eſſe quod huius auctores ſeſe in hoc negotio ſuperiores iactitent: poſſe enim eos quibus hæc diſplicent, cum ipſis & numero & auctoritate contendere. Hæc & ſimilia acri concione

Solmenſis Gebhardi cauſam agit.

ne proſequebatur, idq; effecit, vt multos ſuſpenſos teneret, qui tepidè & cunctanter ad ſuæ ſententiæ declarationem procedebant: omnia potius ad arbitrium Cæſaris remittere, quam ipſi remedia adhibere cupientes. Poſt multas itaque altercationes diſceſſum eſt. Sequenti die iterum à Sacro ad domum Capitularem, inde ad locum colloquij conuenerunt. Venit eò Bipontinus & alij Principum Proteſtantium legati, qui ordine auditi ſunt. Inde Legatus Ducis Iuliæ grauiter orauit: Comitesque, Nobiles, & ciuitatum legatos vt ad Capituli partes aggregentur, & verbis & Principis ſui literis hortatur: monere Ducem omnes & ſingulos, ait, ne conſtantiam ſuam labefactari ſinant: nouis Archiepiſcopi machinationibus audacter obuiam eant, nullam in Religione mutationem fieri permittant: id ſi faciant, ſibi perpetuam gratiam & amicitiam cum ijs futuram. Quod verò Generum ſuum Bipontinum videant, audiantque Archiepiſcopi factiones mordicus tueri: id parui faciendum eſſe: ſe eũ hoc inuito facere, & iam ſæpius admonitum per literas eſſe, cauſam iniquam defendendam non ſuſciperet: id ſi ab eo impetrari non poterit, ſe tamen Catholicis illatas iniurias non neglecturum. Diſſeminarant paſsim Truchſeſiani, eſſe inter Capitulares, qui licet alterius ſententiæ crederentur, tamen cum ad ſuffragia ventum foret, Archiepiſcopi partes ſectarentur.

Hanc ob ſuſpicionem cum nonnulli clam ſugillarentur (neque enim de rebus propoſitis ſtatim inter ipſos conuenire potuit) tandem auditis omnibus Legatis, repetitisque breuiter ſummis propoſitionum capitibus, cum rogarentur quid ipſorum in ijs propoſiti & voluntatis eſſet: Generoſus atque Illuſtris Comes Antonius à Scavvenburch, Decanus Eccleſiæ Metropolitanę, ſurrexit, & pro grauitate atque conſtantia ſua, vt omnem *Comitis Scavvenburgij in ſententiam proferendo conſtantia.*

ſuſ-

ſuſpicionem ſiniſtram remoueret, mentem ſuam audacter aperuit, frementibusque nequicquam aduerſarijs, palam profeſſus eſt: ſe nunquam in ea opinione fuiſſe, vt vel vnguem latum à pactis, conuentionibus, & ſtatutis, à Prouincia tota olim conceptis, approbatis, & huc vſque obſeruatis, recederet: multò minus à propria conſcientia. His verò omnibus quia Arrhiepiſcopus contraueniret, nunquam ſe inductum iri, aut induci poſſe, vt quicquam de propoſitis à collegio ſuo capitibus remittat: nec permiſſurum eſſe vt quæ ſemel rata, approbata, & ſacroſancta habita ſunt, ea iterum in dubium reuocentur: nullo verò modo, vt violentur. Hoc comitem, hoc virum generoſum & nobilem, hoc fidelem Magiſtratum decere. Hac Illuſtris Viri conſtantia & fortitudine audita, mirum in modum conuerſæ atque erectæ ſunt omnium eorum, quorum ſuffragia petebantur, mentes: ſummaque alacritas atque cupiditas Capitulo conſentiendi innata eſt: adeò vt de communi ſententia decretum ſit, propoſitos articulos propugnandos eſſe. Huic tam optato euentui non parum momenti quoque attulit Comitis Arenbergij, à Parmenſe legati, cum Regis Hiſpaniarum mandatis, aduentus. Non latuit hoc aduerſarios, quorum quidam grauiter infenſi, vix à conuicijs ſe temperare potuerunt. Comes enim Alpenſis, ſeu Nuenarius, cum ipſe ſibi metueret, nec Colonienſibus, ob ſimultatem quam æſtate præterita, hæreticarum concionum gratia, contraxerat, ſibi ſatis fideret, ad Comitia non venit. ſed nobilem quendam ab Eil, eò legauit. Hic & Doctor Holtmannus palam denunciârunt, ſe nihil eorum, quæ cæteris ſtatuenda viderentur approbare, ſed auditi non ſunt. Et Holtmannus quidem, cum præceps in hæc verba irrumperet, Hunc procedendi modum nil aliud eſſe, quam factionum Hiſpanicarum imitationem: grauiter ab Arrenbergio

Arenbergij oportunus aduentus.

bergio exceptus eſt, qui tantam oris petulantiam acerrimè caſtigauit. ea ad ſui Regis iniuriam pertinere dicens, de qua vbi, & apud quos id opus eſſet, querelas deponere, & propria quoque auctoritate eam vindicare minabatur.

Idem quoque Holtmannus, cum arroganter quædam in Comitem VVernerum Rifferſcheitium prolocutus eſſet, grauiter ab eo increpatus in ipſo Ordinum Conuentu, tandem vix pugionis ictum declinauit.

Antequam hæc fierent, Conſiliarij & Legati Cæſareæ Maieſtatis, ad poſtulata Capituli reſponderunt: & quidem ad primum articulum hoc modo.

Cæſaris Legatorum ad poſtulata Capituli reſponſio.

I. CAPITVLARES non tantum laudabiliter feciſſe, quod arces & caſtra Diœceſeos, poſt priorem conuentum præoccupârunt, ſed & citius atque maturius id peragere debuiſſe; nimirum poſt primam Archiepiſcopi declarationē, Bonnæ publicatam, id ſi factum fuiſſet, potuiſſe cauſam illius & coram Eccleſiaſticis & coram ſecularibus Principibus iuſtiſsimam reddi. Certiſsimum ergo eſſe, Cæſari tantum non hæc diſplicitura; vt quo velocius & diligentius in ceteris caſtris recuperandis maxime verò vrbe Bonnenſi, progrediantur, eò Cæſaris animum ſibi magis deuinctum ſint habituri.

II. Cum tanti interſit omnium Catholicorum, præſertim verò Capituli, totiusque Cleri Colonienſis, Archiepiſcopi violentiam repellere: non dubitare ſe aiunt, quin in re tam magni momenti, iam dudum conſuluerint, quid facto opus ſit ad impetum huiuſmodi reprimendum. Optimum verò præſenti rerum ſtatu conſilium ſibi videri, vt Capitulares inter ſeſe vnanimiter conuenire, & ad nouam, noui Archiepiſcopi electionem procedere maturent: ſubditoſque ad noui Electi obedientiam inuitent. Tunc enim facilimè viam inueniri

vt pro hoſpitio ſibi magnificæ illæ ædes vulgo, dictę Der Quattermart deſtinarentur: erant enim eæ ampliſsimæ, & ad cogendos cætus, habendasque conciones conuenientiſsimæ. Cæterum Senatus prudenter id illi recuſauit. Monaſterium verò Dominicanorum ſplendidum & regale, olim ab Alberto magno ſumptibus Imperatoris, exædificatum, Comitijs habendis aſsignatur.

Ianua. 25. Archiepiſcopi Legati alios anteuertere cupientes, quorundam animos, quos in aduerſam partem inclinare ſciebant, beneuolentia, precibus, promiſsis, criminationibus, purgationibuſque ſibi deuincire ſtuduerunt. Suas quoque in Capitulo conciones habuerunt, orantes, ne Illuſtres & Reuerendi Domini, Gebhardo Archiepiſcopo ſuo in libertatem Religioni dando eſſent impedimento: præſertim cum id, nec ob priuatum ſuum commodum, nec motu proprio, ſed ad Dioeceſcos ſalutem, à nobilitate patriæ interpellatus, faceret: ipſique Capitulo electionis liberæ ius, & conſuetudinem relinqueret. Hæc & ſimilia in conſeſſu Canonicorum proferebant, illi autem reſponſum in diem Comitiorum reiecerunt. Is nunc aderat; frequentesque Ordines iam confluxerant, de re magni ponderis conſulturi. Aderant Comites, Barones, Nobiles & Ciuitatum Legati, VVeſtphalicarum Prouinciarum nobilibus ac legatis exceptis: qui ſe per literas, quo minus veniſſent, excuſarunt; cauſam reddunt; quod nimirum vereantur ne abſentium caſtra atque oppida aſtu (vt inſidiarum ferax hæc eſt ætas) ab Archiepiſcopo interciperentur. Sententiam verò ſuam apertis ac manifeſtis literis declaratam, multorumque ſubſcriptionibus munitam, ad Capitulum miſerunt. Ea erat: Se non receſſuros ab his, quæ iam antea toties pacta, tranſactaque à Patriæ ac Dioeceſeos ordinibus fuere. ſic & Veſtenſes, aut Reckelinckhuſenſes decreuiſſe. Hæc conſtantia

Conuentus Colonienſis.

VVeſtphali ad conuentum non veniunt.

VVeſtphalorum ſententia.

tia Rhenanos magnopere confirmauit. Vigeſimo itaque octauo die mane de more celebrato ſolemniter ſacro, Canonici Illuſtres & Reuerendi, Comites inquam & presbyteri, in domo Capitulari, vt vocant, primum conueniunt, inter ſe conſulturi, antequam ad publica comitia venirent. Aderat Epiſcopus Bremenſis, Comes Solmenſis & alij nonnulli qui Archiepiſcopo fauebant. Hic cum diu multumque diſceptatum eſſet, illis Archiepiſcopo non eſſe obediendum, ſed deſtituendum: his vero contrarium vrgentibus; poſt varias contentiones Bremenſis palam profeſſus eſt, ſe longe alium rerum ſtatum coram inuenire, quam abſens perſuaſus erat. Nolle tamen propoſitioni in comitijs faciendæ adeſſe, propterea quod in ea Archiepiſcopus de multis accuſaretur, de quibus ſibi plena nondum fides facta erat. atque ita diſceſſum eſt. Decanus cum ſuis ad monaſterium Dominicanorum, locum nimirum Comitijs aſsignatum acceſsit. Bremenſis & hi, qui ab Archiepiſcopo ſtabant, ad Georgij à VVitgenſtein Præpoſiti ædes diuertebant, eò quod proponenda audire noluerunt. Lectis igitur primum in Comitijs verbis iuramenti, quo Archiepiſcopus ſe Capitulo & Diœceſi adſtrinxerat, ſtatim quæ concepta erant proponuntur, erant autem hæc.

I. Gebhardum Archiepiſcopum Colonienſem & Electorem, clementiſsimum Dominum ſuum, ingentes copias peditum atq; equitum conſcripſiſſe, ciuitatem Bonnenſem, plurimaque caſtra ſuperioris atque inferioris Diœceſis, præter morem occupaſſe, in eaque, præſidia deduxiſſe.

II. Eundem Mancipibus, Portorijs aut Publicanis interdixiſſe, ne annuas penſitationes, quibus ea debebantur, ex vectigalibus ſoluerent: ſed ſibi omnia repræſentarent, nec ab iſtius mandati tempore, huc vſque creditoribus quidquam datũ eſſe: id facinus non tantùm pactis Diœceſis antiquis

Digitized by Google

aduerſari,ſed Archiepiſcopatum quoque, cui ea ſolutio incumbit, ære alieno plurimum grauare.

III. Propria illum manu,proprioque ſigillo primum Bonnæ,atque alijs in ciuitatibus: deinde literis quoque typo excuſis,& ſigillo munitis, nouam Religionem, Auguſtanam nimirum confeſſionem, profeſſum, eandemq; ſubditis permiſiſſe, contra conuentiones & pacta Prouinciæ: in quibus decretum eſt, Diœceten nullam habiturum poteſtatem aliquam in ſacra Religione mutationem, Chriſtianæ Catholicæ Eccleſiæ contrariam, ſiue per ſe, ſiue per ſuos faciendi vel admittendi. Nec quidquam moliri in Eccleſiaſticis vel Politicis negotijs poſſe, electionis conditionibus & articulis,huius Archiepiſcopi tempore ſtatutis, & approbatis & iureiurando confirmatis, contrarium.

IV. Secundum opinionem vulgi, & non obſcuram literarum ſuarum ſcriptarum,impreſſarum, ſigillo munitarum, ſparſarum,diuulgatarumque edicto publico ſignificationem; eum ſtatuiſſe matrimonium inire,nec Archiepiſcopatui cedere: id Iuri communi,conſtitutionibus Diœceſis, Imperijq; ſtatutis anno 1555. Auguſtæ receptis, approbatiſque;Electionis inſuper conditionibus prędictis reluctari.

V. Capitulo maioris Eccleſiæ innotuiſſe, Archiepiſcopum ſuum cum Alenconio Gallo, alijſque Principibus nonnullis fœdus inijſſe, idque eiuſdem Electionis articulis & conuentionibus eſſe aduerſum: Ordineſque perpendere poſſe,quantis periculis & incommodis Prouinciæ per hoc fœdus poſſent implicari.

VI. Eum externos Dominos & Conſiliarios ad ſe pellicere,cum ijſque conſilia ſua communicare, & ex illorum ſententia, tam quæ dicta ſunt,quàm quæ dicenda, decernere, atque exequi ſtatuiſſe: cum tamen in Prouinciæ conuentibus ſancitum

ſit,

ſit, vt Diœcetes conſilium perpetuum ſibi deligat ex Eccleſiaſticis & Politicis ſenioribus viris, & & ſuarum ditionum incolis.

VII. Manifeſtum eſſe eum quoque Caſtrum Cæſaris Vverdæ externo præſidio muniuiſſe, illud etiam patriæ ſtatutis contrauenire.

VIII. Nouas recenterque inauctoratas copias Diœceſi magno ſumptui futuras. Militem verò, ſi ſtipendium non accipiat, miſeros ſubditos captiuos abducturum, ſpoliaturum, omnique fortuna exuturum: id vehementer, exemplo Belgarum, metuendum eſſe. Stipendia verò ſolui non poſſe, niſi Diœceſis nomine faciat, ſeſeque ære alieno atque inextricabili grauet.

HIS de cauſis Capitulum & literis & legationibus Archiepiſcopum ſuum admonuiſſe, aiunt, & vt introductam nouitatem aboleret, petijſſe: nihil tamen ab illo impetraſſe. Communibus patriæ ſuffragijs olim decretum, ſemperque obſeruatum eſſe; ſi Diœcetes à Capitulo admonitus, huiuſmodi nouitates non tollat: extunc Comites, Nobiles, ciuitates, præfectosque & ſubditos omnes teneri, ſe cum Capitulo coniungere, eidemq; parere, non autem Diœceti: id communes patriæ ordines pollicitos eſſe. Iuramento inſuper ſe & ſuos poſteros aſtrinxiſſe, fidemque, quam Eccleſiæ & Diœceſi Colonienſi debebant, obligaſſe, quod pacta, conuentiones & ſtatuta patriæ, vel Diœceſis per omnia obſeruaturi, & ne violentur, fortunis, opibus, corporibus & ſanguine ſuo pro viribus atque animi generoſitate forent aduigilaturi. Ideò ſe Ordinum communem ſententiam poſtulare, quid ipſis de Archiepiſcopi factionibus videatur, quibuſque rationibus tam periculoſis, tamque omnibus ſtatutis ac pactis prouinciæ aduerſis, contraueniendum eſſe iudicent.

His ita propoſitis Ordinibus Diœceſis: ſimilia

Capita Legatis Cæſareis in conuentu Colonienſi propoſita.

quoque legatis ac Conſiliarijs Cæſareæ Maieſtatis propoſuerunt. Initio illis breuiter in memoriam reuocant ea, quæ proximo conuentu erant tranſacta: quæ vt executioni darentur, ſe nonnullas arces Diœceſeos occupaſſe, in easque præſidia deduxiſſe aiebant. rationes autem quibus ad hoc permoti erant, eſſe eas, quas paulò ante commemorauimus: ex quibus concludebant, Gebhardum Archiepiſcopatu, omnique ſua administratione excidiſſe. Id enim paci Auguſtæ Religioni datæ conſonum eſſe: cuius verba ſunt.

Sleidanus lib. 28.

Si quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Antiſtes, aut alius ordinis Eccleſiaſtici, à Religione veteri deficiat: is continuo decedat ab Epiſcopatu ſuo, præfectura, beneficio, ſimul omnibus etiam fructibus, quos inde percepit: & Collegio, ſiue ijs, ad quos ea res iure vel conſuetudine pertinet, liceat & integrum ſit, in eius locum eligere ſeu conſtituere alium.

Gebhardum autem à Religione veteri defeciſſe, plus quam manifeſtum eſſe. Huc accedere, quod Gebhardus Archiuum Diœceſeos aperuit, aurum argentumque, Principum honoraria, & Prouinciæ cimelia rapuit, ſecumque Bruela & Bonna auexit. ſimilia & alijs in arcibus contigerint. Ne autem in omnibus id fieret, ſe cauere voluiſſe, Gebhardum præoccupaſſe, arces nonnullas in ſuam protectionem ſumpſiſſe, vt ſine vlla difficultate, eadem futuro Archiepiſcopo olim tradantur: id quod difficulter fieri potuiſſet, ſi ab Archiepiſcopo moderno præuenirentur.

1. Petere itaque ſe vt Legati & conſiliarij ſuum hac de re iudicium proloquantur.

2. Conſtare ſibi Archiepiſcopum ſurſum atque deorſum curſitare, ad omnes Principes Auguſtanæ confeſsionis legationes mittere ad auxilia ſubſidia-

ſidiaque ab ijs impetranda. Metuendum igitur eſſe, eum vim aliquam Diœceſi illaturum. Cum autem Capitulares è paruis copijs quas huc vſque collegerant, ſatis ſuperq; didicerint, quantarum impenſarum res eſſet belligerari: facile ſe conſiderare vim & impetum Archiepiſcopi, ſine Cæſareæ Maieſtatis aliorumque Catholicorum Electorum & Principum ſubſidio, ſuis viribus ſuſtinere, mulò minus retundere poſſe, etiam ſi omnia quæ ſuæ poteſtati ſuberant, adærarent. orare itaq; ſeſe, vt legati Cæſarei ſuum conſilium exponant, quid, & quomodo faciendum ipſis ſit, ſi ab Archiepiſcopo armata manu obruantur.

3. Quamuis Archiepiſcopus ob mutatam religionem, & contracta ſponſalia ipſo iure Archiepiſcopatu & Septemuiratu priuatus ſit: Neceſſariū tamen ſe arbitrari, vt Summus Pontifex declaratoriam ſententiam mittat. Petere igitur ſe, vt Legati apud Cæſaream Maieſtatem inſtent, quo eam à Sua S. conſequantur.

4. Cum certò ſciant Archiepiſcopum prædictos Principes & Electores inuocare: non dubium eſſe quin honeſta præſcriptione cauſam ſuam tegat, multaque in accuſationem Capituli congerat: facilè igitur fieri poſſe, vt dictorum Principum animi in Capitulares exacerbarentur. Sperare igitur ſe, quod admonitione Legatorum, ſua Maieſtas Electores ſeculares, alioſq; Proteſtantium Principes, ante alios Caſimirum, Richardum & Iohannem Palatinos, Heſſium & VVirtenbergenſem hortabitur, ne ſe Colonienſium negotio immiſceant, aut Electori opem ferant.

5. Varias quotidie ad Capitulum querelas adferri, de adminiſtratione Iuſtitiæ; vacare etiam quædam vectigalia, aliaque officia; adhæc & Electores quoſdam apud Capitulares inſtare, pro obtinenda vectigalium immunitate. Arbitrari ſe quidem, non præter ius ſuum facturos, ſi horum

admu-

adminiſtrationem & curam in ſe recipiant, tamen vt omnis tollatur cauillationis occaſio, orare ſe Legatos, vt ipſi à Cæſarea Maieſtate impetrent Capitulo liberam adminiſtrationem rerum politicarum, facultatemque officia conferendi, immunitates Vectigalium dandi, cęteraque regalia vſque ad nouam electionem, citra controuerſiam dandi.

Vltimo, ſibi quoque ſignificatum eſſe, Archiepiſcopum legationem harum rerum decreuiſſe ad Suam Cæſaream Maieſtatem, ſtatuiſſe iccircò & ſeſe è ſuo collegio vnum aut plures (modo id Legatis conſultum videatur) ad eandem Maieſtatem ablegare, qui ipſi totius negocij decurſum, cum omnibus circunſtantijs exponant.

Hæc omnia cum propoſita eſſent, multorum Principum legati poſtularunt, ſequenti die vt audirentur, quod & ipſis promiſſum eſt. Dimiſſo itaque concilio ad epulas magnificè inſtructas itum eſt. Inde poſt aliquot horas iterum euocati à Comite Adolpho Solmenſi, VVinnenbergio, Kriechingio Capitularibus Truchſeſij cauſam defendentibus. Orabat pro illo Solmenſis, quæ in mandatis habebat imperterritus expoſuit, multa in Archiepiſcopi defenſionem & purgationem adduxit: non conſulto agere ſuum collegium, quod Electoris ac Principis ſui ſtudijs tanta contentione reluctaretur: quod ſi ita pergat, maximos non ſolum in Prouincia Colonienſi, ſed in toto Imperio tumultus excitatum iri, ait: inde ad proteſtationem, mox ad conuicia deſcendit: negat ſe ſententiam Capituli, tam in ſuum Principem iniquam & à Pfaffis quibuſdam (ſic enim contumelioſè Presbyteros appellabat) fabricatam, ratam habiturum: non eſſe quod huius auctores ſeſe in hoc negotio ſuperiores iactitent: poſſe enim eos quibus hæc diſplicent, cum ipſis & numero & auctoritate contendere. Hæc & ſimilia acri concione

Solmenſis Gebhardi cauſam agit.

ne proſequebatur,idq; effecit, vt multos ſuſpenſos teneret, qui tepidè & cunctanter ad ſuæ ſententiæ declarationem procedebant: omnia potius ad arbitrium Cæſaris remittere, quam ipſi remedia adhibere cupientes. Poſt multas itaque altercationes diſceſſum eſt. Sequenti die iterum à Sacro ad domum Capitularem, inde ad locum colloquij conuenerunt. Venit eò Bipontinus & alij Principum Proteſtantium legati, qui ordine auditi ſunt. Inde Legatus Ducis Iuliæ grauiter orauit: Comitesque, Nobiles, & ciuitatum legatos vt ad Capituli partes aggregentur, & verbis & Principis ſui literis hortatur: monere Ducem omnes & ſingulos, ait,ne conſtantiam ſuam labefactari ſinant: nouis Archiepiſcopi machinationibus audacter obuiam eant, nullam in Religione mutationem fieri permittant: id ſi faciant, ſibi perpetuam gratiam&amicitiam cum ijs futuram. Quod verò Generum ſuum Bipontinum videant, audiantque Archiepiſcopi factiones mordicus tueri:id parui faciendum eſſe: ſe eũ hoc inuito facere, & iam ſæpius admonitum per literas eſſe, cauſam iniquam defendendam non ſuſciperet: id ſi ab eo impetrari non poterit,ſe tamen Catholicis illatas iniurias non neglecturum. Diſſeminarant paſsim Truchſeſiani, eſſe inter Capitulares, qui licet alterius ſententiæ crederentur, tamen cum ad ſuffragia ventum foret, Archiepiſcopi partes ſectarentur.

Hanc ob ſuſpicionem cum nonnulli clam ſugillarentur (neque enim de rebus propoſitis ſtatim inter ipſos conuenire potuit) tandem auditis omnibus Legatis, repetitisque breuiter ſummis propoſitionum capitibus, cum rogarentur quid ipſorum in ijs propoſiti & voluntatis eſſet: Generoſus atque Illuſtris Comes Antonius à Scavvenburch, Decanus Eccleſiæ Metropolitanę, ſurrexit, & pro grauitate atque conſtantia ſua, vt omnem ſuſ-

Comitis Scavvenburgij in ſententiam proferendo conſtantia.

bergio exceptus eſt, qui tantam oris petulantiam acerrimè caſtigauit. ea ad ſui Regis iniuriam pertinere dicens, de qua vbi, & apud quos id opus eſſet, querelas deponere, & propria quoque auctoritate eam vindicare minabatur.

Idem quoque Holtmannus, cum arroganter quædam in Comitem VVernerum Rifferſcheitium prolocutus eſſet, grauiter ab eo increpatus in ipſo Ordinum Conuentu, tandem vix pugionis ictum declinauit.

Antequam hæc fierent, Conſiliarij & Legati Cæſareæ Maieſtatis, ad poſtulata Capituli reſponderunt: & quidem ad primum articulum hoc modo.

Cæſaris Legatorum ad poſtulata Capituli reſponſio.

I. CAPITVLARES non tantum laudabiliter feciſſe, quod arces & caſtra Diœceſeos, poſt priorem conuentum præoccupârunt, ſed & citius atque maturius id peragere debuiſſe; nimirum poſt primam Archiepiſcopi declarationē, Bonnæ publicatam, id ſi factum fuiſſet, potuiſſe cauſam illius & coram Eccleſiaſticis & coram ſecularibus Principibus iuſtiſsimam reddi. Certiſsimum ergo eſſe, Cæſari tantum non hæc diſplicitura; vt quo velocius & diligentius in ceteris caſtris recuperandis maxime verò vrbe Bonnenſi, progrediantur, eò Cæſaris animum ſibi magis deuinctum ſint habituri.

II. Cum tanti interſit omnium Catholicorum, præſertim verò Capituli, totiusque Cleri Colonienſis, Archiepiſcopi violentiam repellere: non dubitare ſe aiunt, quin in re tam magni momenti, iam dudum conſuluerint, quid facto opus ſit ad impetum huiuſmodi reprimendum. Optimum verò præſenti rerum ſtatu conſilium ſibi videri, vt Capitulares inter ſeſe vnanimiter conuenire, & ad nouam, noui Archiepiſcopi electionem procedere maturent: ſubditosque ad noui Electi obedientiam inuitent. Tunc enim facilimè viam in-

ueniri

ueniri poſſe, ad Gebhardo reſiſtendum. Et licet is omnium Principum Proteſtantium opem & auxilium inuocet, nihilque intentatum relinquat, vt Capitulo & Diœceſi bellum moueat: tamen extra dubium eſſe, aiunt, quod ſi Capitulares vnanimi conſenſu nouum Principem elegerint, Electusque ſe ad defenſionem præparauerit, non tantum ſubſidia alterius dilapſura, copiasque auxiliares ab his qui ſubmiſerint reuocandas eſſe: ſed nec ipſum etiam quidquam armata manu aduerſus Diœceſin auſurum. Poſſe etiam poſt factam electionem commodius de pecuniarum collectione agi, quam præſenti hoc, & tam incerto adhuc rerum ſtatu. Præterea cum certis nuncijs atque literis cognouerint, Summi Pontificis Legatum, Clementiſsimum Dominum ſuum Cardinalem Auſtriæ, in itinere nunc Auguſtam inter & Coloniam eſſe: nullam ſolicitudinem de declaratoria Suæ Sanctitatis ſententia eſſe habendam: eam præſtò fore, priuſquam ipſi ad ſuffragia ferenda præparentur. tantum nunc de his quæ ad Electionem erunt neceſſaria (ne cum periculo res diutius prorogetur) eſſe conſultandum.

NVNQVAM ab exordio huius Archiepiſcopatus concordiam & conſenſum Capituli in nouo Diœcete creando, magis neceſſarium fuiſſe oſtendunt, quam in præſentiarum eſt. Totam enim Prouinciæ ſalutem, ipſamque Religionem, cum iactura multarum animarum nunc periclitari, ſi diſſentiant: aut ſaluas eſſe, ſi conſentiant. Sed & plurimum ipſorum Capitularium intereſſe, vincatne Archiepiſcopus, an vero vincatur. Interim verò donec Legatus Apoſtolicus adſit, & donec ad creandum nouum Archiepiſcopum conueniant, Capitulum non abs re facturum, ſi vectigalia, canones, atque alios Diœceſis redditus occupet; arces ſuis præſidijs muniat; oppidum Bonnenſe, quod (quantum intelligere poſſent ampliſsima

vecti-

vectigalia ſuppeditat, Electori eripiant, ſibique, in vſum noui Archiepiſcopi, ſubijciant.

DIFFICVLTER etiam ſibi perſuaderi poſſe aſſerunt; Electorem breui cum exercitu affore: Nam præter temporis importunitatem, nihil adhuc de alicuius momenti fœdere audiri, ſed & certò ſtatuendum eſſe, ei iſtic gentium, vbi nunc opem quærit, verbis potius & pollicitationibus quam exercitu vel pecunia ſuccurrendum fore. Sat temporis itaque Capitulares habituros, ſeſe in omnem euentum munire, omnibusque ad bellum neceſſarijs prouidere: nec conſilia vicinorum Principum ipſis, ſi neceſſe ſit, defutura.

III. Porro declarationem Pontificis in tam exorbitanti, notorioque iuris & facti caſu, non vſque adeò neceſſariam ſibi videri: ſed ſecundum commune ius ſcriptum, atque Imperij conſtitutiones, in caſibus tam enormibus, vbi ſummum periculum eſt in mora, à regulis iuris recedere, & iura transgredi, atque ad executionem, ſine Declaratoria Sententia, procedere licet. Ceterum hac de re diſputare ſe nolle, cum Reuerendiſsimus atque Illuſtriſsimus D. Cardinalis Auſtriacus, huius rei legationem habens, iam in procinctu ſit: eumque ſpatio decem dierum, aut, vt plurimum, quatuordecim adfuturum ſperent.

IV. Inſuper ſe cum celeri veredario actutum ad Imperatorem ſcripturos, eiusque Maieſtatem petituros, vt Electores & Principes Proteſtantium à protectione Gebhardi dehortetur atque deterreat. Nec dubitandum eſſe, cum Cæſar idipſum iam pridem apud tres ſeculares Electores, atque Lantgrauium motu proprio, & officij ſui ratione præſtiterit, idem ipſum ſecundò in gratiam & beneuolentiam huius Capituli facturum, & ſi qua militum collectio facta ſit, tam ipſis, quam eorum Præfectis atque Tribunis, ne contra Diœceſin & Capitulum Colonienſe militent; interdicturum.

V. Quod ad politicam adminiſtrationem, ſe ſentire aiunt, nec aliter iudicare poſſe, quam quod omni iuri atque rationi conſentaneum eſt, vt caſtrorum, Iuſtitiæ, Vectigalium, Officiorum omniumque rerum politicarum, regaliumque adminiſtrationem, vſque ad Electionem noui Archiepiſcopi Capitulum ſibi vſurpet, atque exerceat: tamen ad maiorem ſecuritatem Imperatoris indulgentiam, permiſsionem, & approbationem ſe impetraturos promittunt.

VI. Ceterum in legatione mittenda, ſicuti nec in reliquis capitibus, ſuo conſilio opus eſſe deputant, cum ipſi Capitulares abundè per ſe ſapiant: celare tamen eos non poſſe, ſibi videri nullam cauſam ſubeſſe, quę nouam legationem requirat: cum Sua Maieſtas partim ex ipſorum literis, partim ex legatorum ſuorum relationibus, vniuerſam cauſam, totamque rei ſeriem manifeſtè cognoſcat: poſſeque, ſi quid deſideretur, in poſterum eidem per literas ſignificari. ſed & propter raritatem eorum, quorum fidelitas iam erat perſpecta, Capitulares conſultius facturos eſſe, ſi ſimul permaneant coniuncti; & quidquid noua quotidie neceſsitas exiget, in commune conſulant atque diſponant:

Hac Cæſaris Legatorum benigna optataque reſponſione Capitulo ſatisfactum eſt, animique eorum, qui adhuc fluctuabant, magnoperè confirmati.

Quæ verò hactenus commemorauimus, quatuor prioribus comitiorum diebus acta ſunt. atque ipſo quarto die, qui vltimus erat menſis Ianuarij, *Ianuar. 31.* prior Nuntius Apoſtolicus venit: erat is Comes limitaneus, quem Marchionem vocant de mala Spina: Cardinalem aduenturum expectans, metuens interim, ne fortè aditus illi intercluderetur, quod & factum eſſe ſuo loco dicetur.

Ipſis

Ipſis Kalendis Februarij iterum ad colloquium ventum eſt, & poſt breuem diſceptationem à tribus ſecularibus ordinum membris, Comitibus, Nobilibus & Oppidis, hoc modo ſtatutum atque concluſum eſt:

ANNO 1583. Februar. 1.

Se præſens negotium aliter intelligere non poſſe, quam quod ſuſcepta nouitas, & Principis ſui propoſitum, pactis & conuentis Diœceſis conſentanea non eſſent. Atque ideò Capitulum optimo iure conuentum hunc indixiſſe. Suam autem ſententiam atque voluntatem eſſe, vt eadem pacta, conuentaque in ſingulis & omnibus membris ſuis ſacroſancta habeantur, ſartaque tecta conſeruentur: & nihil eorum, quæ ijs comprehenduntur, prætermittantur; vel quouis modo violentur.

Definitio Ordinum in hoc conuentu congregatorum.

Addunt ſe quotieſcunque communis iſtius cauſæ gratia reuocentur, cum omni obedientia reuerſuros.

Veſtici verò, ſecundum conſuetudinem antiquam, terminum deliberandi poſtularunt, quod & nono poſt die ſcripto tranſmiſſo, ſe eiuſdem cum Rhenanis eſſe voluntatis & ſententiæ declarârunt.

Laudata atque acceptata fuit huiuſmodi Rhenanorum Ordinum reſponſio: & confeſtim, fruſtra reclamantibus Legatis Nuênarij, literis excepta, ſubſignata, & ſigillo Capituli munita. Deinde per ſingula Ordinum membra, exemplaria authentica diſtribuuntur. Linſenſes quoque & Andernacenſes mox imperata acceperunt, diligenter excubarent; vigilias & quæcunque ad militarem diſciplinam pertineant, inſtituerent: Archiepiſcopum, ſi recipi cuperet, in oppidum non

admitterent: omnemque operam darent, ne quid ipſi à Truchſeſianis detrimenti acciperent. Idem & alijs ciuitatibus imperatum eſt.

Tunc primum Catholici veternum excutere, palamque ſe hoſtes Archiepiſcopi declarare cœperunt. Eodem pene momento Illuſtriſsimus Dux Fredericus Saxo mandata à Capitulo accepit; vt Cæſaris VVeerdam, & quotquot ciuitates & arces poſſet, recuperaret. Ille impiger & ſedulus (vt quem iuuenilis ætas, magnitudo animi, ſuperioris temporis euentus, fiducia rei bene gerendæ incitabant) nihil cunctatus eodem die Colonia diſceſsit, fortunam atque aleam belli tentaturus. Adminiſtrator verò Bremenſis, frater huius Frederici, vt qui decretum conuentus nec approbaret prorſus, nec improbaret, per Conſiliarios ſuos viua voce & ſcripto, ſuam ad Capitulum ſententiam referre præcepit, ea erat: vt; Ordinem atque ſeriem totius negotij, cum omnibus circunſtantijs, quemadmodum in conuentu vltro citroque geſta; quid ab ipſis propoſitum, quidque à Truchſeſianis obiectum, petitumque erat, ad Imperatorem mitterent: vt is adhibitis in conſilium Electoribus, Principibus, & ſi neceſsè eſſet omnibus Imperij Ordinibus cauſam cognoſcat, & controuerſiam omnem dirimat, decidatque. Id ſi non faciant, ſed vtrinque ſuas partes mordicus defendere, cæptoque inſiſtere pergant, ita vt hac occaſione, vel Capitulum Hiſpanum militem, vel Archiepiſcopus alias externas copias in Diœceſin vocet: vnde non tantum hæc Prouincia, ſed totum Imperium detrimentum accipiat, & bello concutiatur; ſe immunem eſſe, atque hac proteſtatione denunciare; neq; vt Capitularem, neque vt membrum Imperij, huius conſilij ſe auctorem, vel fautorem extitiſſe: nec cauſam, occaſionemue futuris malis præbuiſſe. Aliam proteſtationis formam refert Gebhardus, in ſuis apologijs: Bremen-

Proteſtatio Bremenſis.

menſem nimirum palam teſtatum, ſe nullo modo Propoſitionibus Capituli, tanquam Archiepiſcopi contrarijs, ſubſcribere, nec ſe videre, qua ratione excuſari, aut quæ cauſa prætendi poſſit, huic tantæ in Archiepiſcopum, legitimum Principem ſuum contumaciæ atque iniuriæ: neque ſuam intentionem aut propoſitum eſſe, aduerſariorum ſtudijs ſine iuſtiore cauſa aſſentire: aut violentos illorum conatus cum ipſis participare. Non hanc Bremenſis Epiſcopi, ſed Comitis Solmenſis & Baronum VVinnenburgij atque Kriechingij proteſtationem eſſe, alij aſſeuerant. Dux Bipontinus, cum tot iam legationibus pro Archiepiſcopo ſuſceptis, nihil efficere potuiſſet, omnemque iam ſpem Gebhardum in dignitate conſeruandi abiecisset, eum per literas monet, vt ſumma cum celeritate exequatur ea, de quibus inter ſe & ipſum pridem conuentum erat (quod nonnulli de Archiuo ſpoliandò poſtea ſunt interpretati) an benè viderint ipſi. Hoc ſaltem omnibus conſtat, quod Archiepiſcopus, pridie Purificationis B. Mariæ, nocte intempeſta, publicum Archiuum, in quo acta & ſcripta totius Diœceſeos erant recondita, ingreſſus, optima quæque & ſecretiora ſurripuit, conuaſataque aliò transferri iuſſit: non enim ea diutius Bonnæ concredebat: Auctores autem huius ſpolij fuêre præter Gebhardum, Comes Nuenarius, Carolus Truchſeſius & Otto à VVerminchuſen. Nuenarius autem maiorem literarum & inſtrumentorum copiam intempeſta nocte, Rheno ſecundo deſcendens, ſecum abſtulit. Cetera verò quo deportata ſunt incertum eſt. qua vna re, dici non poteſt, quantam cladem attulit toti Prouinciæ Colonienſi. *Gebhardus Archiuum Diœceſis ſpoliat.*

Poſtridie quàm definitio conuentus facta eſſet, ſuamque proteſtationem depoſuiſſet, Adminiſtrator Bremenſis Henricus ſuo cum equitatu diſceſſit, & Bipontinus Bonnam redijt. Ceteri quoque *Principes Colonia diſcedunt.*

Digitized by Google

partis vtriuſque Comites, Barones, Nobiles & Legati in ſua ſe receperunt.

Archiepiſcopus hactenus Agnete ſua, tanquam concubina fruebatur, idque clam, quantum id fieri, quantumque incautus atque impotens amor celare potuit, exiſtimans ante manifeſtum Matrimonium ſe deſtitui non poſſe, aut ſaltem aduerſarios ſuos hac in re calumniandi occaſionem non habituros. Cum verò hanc diſſimulationem ſibi nihil profuiſſe videret, quod animo dudum deſtinauerat tandem effectum dedit.

Virg. 4. Æneid.

——— Non iam ſpecie famaûe mouetur.
Nec iam furtiuum Præſul meditatur amorem.
Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Febr. 2. Nuptiæ Gebhardi.

Ipſo enim die, quo Principes & Legati Colonia diſcedebant, Gebhardus cum Agnete Mansfeldica per Miniſtrum Bipontini in Roſarum valle infauſto matrimonij vinculo copulatus eſt. Deducitur mox Nympha, tam ſancto, ſcilicet, coniugio cohoneſtata, vſque ad Cancellariam: ipſa magnificè incedit, virginis os habitumque ferens: ſed cetera dudum Matrona. excipitur hic à Sponſo, & à Bipontino alijſque Comitibus & Baronibus, vxor ſalutatur. Moxque è publicis tabulis, conuocato populo ante Cancellariam Matrimonium Gebhardi publicatum eſt. Inde ſuper ſtrato diſcumbitur oſtro: Dant famuli manibus lymphas: onerantque caniſtris Dona laboratæ Cereris, pinguiſque ferinæ Viſcera toſta ferunt, &c.

——— Heu quantum mutatus ab illo,
Gebhardo, qui nuper eras.

Ante quatuor enim menſes cum adhuc in VVeſtphalia commoraretur, creſcente de ipſo ſuſpicione, nonnulli graues & Patriæ ſtudioſi eum conuenerunt, exponentes quam exiſtimationem apud ſuos ſubditos habebat, & quid de matrimonio incundo, mutandaque religione plerique ſentirent.

Ipſe

Ipſe verò vtrumque à ſuis æmulis falsò ſibi impingi aſſerebat. cumq; mentio literarum quarundam,quas Agneti ſcripſerat,incidiſſet, attonitus id quod audiret has publicatas eſſe,cum ſcriptas à ſe inficiari non poſſet, ait,eas meretricias eſſe. Quantum verò ad religionem mutandam, ſe in ea opinione nunquam fuiſſe:capite truncari malle, quàm à Catholica religione (in qua natus erat) recedere, multis cum execrationibus, deteſtationibusq; aſſeuerabat. Admonitus igitur vt ſe purgaret,reſpondit,breui ad Rhenum ſeſe venturum, omnibusque de ſua integritatè ſatisfacturum eſſe. Vbi nunc fides?vbi veritas? vbi ſpecioſa verba?

Dum tàm genialiter Bonnæ vivunt Truchſeſiani: Fredericus Saxo, quæ bonum Archiſtrategum decent, meditabatur: magnaque celeritate cum exiguo, quem tunc habebat exercitu Cæſaris VVeerdam contendit. Eſt autem oppidum, ad vlteriorem Rheni ripam, inter Duiſſeldorpium & Teutoburgum. Arcem habet egregiam, benè munitam & perantiquam: à Cæſare Traiano (vt putatur) exædificatam. vnde & Colonia Traiana ipſum oppidum antiquitus appellatum fuiſſe, præter veterem prouincialem Chartam, alij graues inueniuntur auctores. Arci paulò ante firmumGebhardus præſidium impoſuerat,ſufficiens etiam,vt ipſe arbitrabatur,ad oppidi & vectigalis defenſionem. Fredericus verò Saxoniæ Dux,cum exiguis copijs ad vrbem venit. Ciues qui ad portas ſtationes habebant, exhibita illi, vt par erat, reuerentia, ingredientem admittunt: nec quiſquam de illius Celſit. ſiniſtram ſuſpicionem concepit. Ille celeri equo ad arcis pomerium accurrit,prioremq; portam arcis ingreditur. Deinde equo deſcendens ad pontem verſatilem pergit; extractiſq; ex veſtibus ſuis literis, eas procul,his qui excubias agebant,oſtendit,clamans,ſe ad arcis Pręfectum literas &mandata habere,portam ape-

Februa.5.

Rhenanus Bilibaldus.

Fredericus Saxo Cæſaris VVerdam capit.

rirent, pontem demitterent, ipſiq; acceſſum præberent. Præſidiarij arcis imperata fecerunt. cumque iam pons demiſſus eſſet, diſſentio inter præſidiarios exorta eſt, alijs literas recipiendas eſſe, alijs non recipiendas contendentibus. Interim ex improuiſo accurrunt Louvvenburgici milites, & impreſſionem in arcem faciunt, committitur pugna in ipſo ponte: cadit vnus ex præſidiarijs, ceteri metu exterriti cedunt, ſeſeque & arcem dedunt. Quæ deditio non parum Capituli cauſam ſtabiliuit, atque hoſtium labefactauit.

Febr. 4. Gebhardus abit Bonna.

Celebratis nuptijs, cum nondum cladem Cæſaris VVerdenſis deditione acceptam intellexiſſet Archiepiſcopus, fratrem ſuum Carolum oppido Bonnenſi præfecit: ipſe autem cum Nympha ſua, tanquam Bipontinum honoris cauſa deducturus, ſumpto prandio, circa horam vndecimam Rhenum traiecit: atque ad Comitem Iohannem Naſſouium Principis Auraici fratrem (qui ante annos aliquot Gelriæ Ducatui ſub Ordinibus Belgicis præfuerat, nunc autem in arce Dillenburgenſi, quam patrimonio obtinet, commorabatur) magnis itineribus feſtinauit. Erant huc comites VVeſtervvaldenſes euocati, vt coniurationem cum Truchſeſio initam, infortunio verò Alenconij, ab Antvverpianis accepto, plurimum debilitatam; à laudatiſſimo Colonienſium magiſtratu, tanta cum conſtantia impeditam, & in conuentu prouinciali diſſutam & planè diſſolutam nouis ſtudijs atque artibus iterum compaginarent.

Capitulum Bonnenſibus.

Interea Capitulum ad Bonnenſes præſidiarios atque ad ciues ipſos, nuncium cum literis ablegat: mandans his, vt vrbis claues repetant: illis, vt vrbe excedant; ij præſertim, qui in Diœceſi aliquid poſſidebant, aut ipſi patria vel habitatione Diœceſani erant. Ciues quantumuis pleriq; in voluntatem Capituli propendebant, tamen numero & potentia præſidiariorum victi, nihil agere potuerunt.

runt. Milites verò Carolo Gubernatori atque Duci ſuo ſacramento obligati erant, cui & parebant. ſed is omnem diligentiam curamque adhibuit, vt vrbem in fide fratris ſui Archiepiſcopi retineret, nihil itaque his literis effectum eſt.

Comes Solmenſis paſſim per Diœceſin ſpargebat, Electoribus multisque per Imperium Principibus rem cordi eſſe: cauſam iuſtiſſimam Archiepiſcopi approbare: magna ſubſidia polliceri: non contemnendas copias breui adfore: multaque ſimilia ad deterrendos Catholicos, & ad animos ſuorum erigendos, diuulgabat. Ipſe quoque cum Carolo Truchſeſio & VVinnenbergio, omnia quæ ad obſidionem ſuſtinendam neceſſaria erant, congerit, Bonnam comportat, vrbem munit, portas terra lapidibusque iniectis opplet, aggeribus ac propugnaculis excitatis firmat: gerras vbi opus erat diſponit, nihil quod ad oppidi munitionem facere poterat omiſit. Ex arce Lechningenſi, quæ granarium eſt ſuperioris Diœceſis, multos currus frumento onuſtos Bonnam aduehi, & ex Caſtro Bruelenſi, præter maiora tormenta, ſex quoque minora, quæ campeſtria vocant, in vſum ſuum attrahi curauit. Carolus quoque Portam quæ ad Rhenum domui, in qua vectigalia exercentur, proximior erat, muro antea obducto clauſam, aperuit: ipſamque domum ſuæ habitationi delegit. Fiebant hæc omnia non ſine ſuſpicione metus & fugæ: cum quidquid in vrbe auri vel argenti facti infectique, quidquid præcioſæ ſuppellectilis inueniri potuit, id omne exportari atque in alias ditiones præmitti iuberet.

Truchſeſianorum in munienda Bonna conatus.

Dum his intentus eſſet, à Capitulo Metropolitano interpellatus eſt, cur Bonnam ipſe inuito Capitulo retineret atque muniret? reſpondit:

Id ſibi ab Archiepiſcopo ac Principe Electore mandatum eſſe, Bonnam ad illius imperium ſpectare non Capituli: cum ipſe non ſit officio & di-

Carolus Truchſeſius Capitulo.

gnitate ſua deiectus, neque cauſa ſubſit, cur deijci poſſit: Quod enim lumine diuino recens illuſtratus ſit, & connubium honeſtasque nuptias eſſet amplexus: id ipſi honori, non vituperio: maiori ornamento, non calumniæ cedere debere: neque cauſam eſſe, cur priuari frater debeat. Perperam igitur facere Capitulum, quod alterius ius ſibi vſurpare, atque alium iuſto ſuo imperio per vim pellere conaretur.

Hæc ille. Ceterum meminiſſe debebat executionem non eſſe vim, ſed ius: & eum qui iure ſuo vtitur, vim non facere.

Berkenſi oppido ſtatuit inſidias Nuenarius.

Comiti Nuenario inferior Dioeceſis mandata erat. Is igitur Berckenſe oppidulum aſtu atque inſidijs tentauit. Primum enim cum quinque ſolum militibus admitti cupiebat; id ſibi ne recuſaretur vehementer inſtabat, ſed repulſam paſſus, ſcalis nocte admotis, mœnia clam conſcendere, atque oppidum occupare ſtuduit: ſed ciuium vigilantia atque induſtria, is eius conatus quoque eluſus eſt. Linnam interim oppidulum Hontſelaer, nobilis quidam Aulicus, præſidium admittere, nomine Truchſeſij, vt putabatur, coëgit. Dum hæc Archiepiſcopus per ſuos agit, Capitulum metuens, ne fortè maiora audeat atque obtineat, euigilandum eſſe & maiori diligentia, maioribuſque copijs rem aggrediendam eſſe, ſtatuit. Arnoldum itaque Comitem à Manderſcheit Scholaſticum legarunt, vt cum Arenbergio regis Hiſpaniarum copias, quæ in procinctu erant, accerſeat, quo Truchſeſianis obijciantur: vt ſtudia illius facilius retardarentur. Dux verò Saxoniæ, cui cum vincere contigiſſet, volens etiam vti victoria ſua, nec ignorans celeritatem Belli comitem eſſe, oppidum Bruelam cum arce recuperauit, hoc modo. Antequam oppidum ingrederetur, obuiam habuit quendam Centurionem, Coelerum, is à Carolo

Hontſelaer Linnam occupat. Febru. 11.

Febr. 12.

Bruela in poteſtatem Capituli venit.

mit-

mittebatur quotidie, vt munitiones, apparatumque bellicum Bruela, atque alijs ex locis Bonnam comportari faceret. Hunc Saxo capit, & cum eo oppidum ingreſſus eſt. In ipſo verò ingreſſu tres è Præſidiarijs, quos Archiepiſcopus ad arcis oppidique defenſionem reliquerat (neque enim ad arcem, via intercluſa, receptum habebant) comprehendit: ex his didicit præſidiarios in arce tumultuari, atque inter ſe diſſentire; alijs arcem defendendam; alijs deſerendam eſſe cenſentibus. Iuſſerat Saxo è vicinis pagis ruſticos adeſſe; qui ſanè partim ob intolerabiles Truchſeſij exactiones, partim ob quotidianas militum iniurias, in ipſum Archiepiſcopum vehementer erant exacerbati: illi vocati à Saxone, alacres magno numero concurrerunt. Hos caſtro admouet. Monſtratus autem eſt Duci aditus, per Monaſterium Franciſcanorum arci proximum, ad pontem quendam: per hunc pontem ruſticos in ſubiecta caſtro pomeria exponit, & actutum deditionem poſtulat. Præſidiarij territi, vnius noctis ſpatium, vt deliberare poſſent, exigunt. Saxo ſine vlla deliberatione, vt ſe dedant, iubet: quod niſi faciant, ſe modum & rationem habere vt illos vi compellat. Illi, partim auctoritate, felicitateque Saxonis: partim ruſticorum vndequaque confluentium multitudine (quos fortè milites eſſe exiſtimauerunt) conſternati, deditionem fecerunt, atque illæſi dimiſſi ſunt. Poſtridie Dux Iuliacenſis iterum ad Capitulares literas dedit, in quarum initio illos ad concordiam hortabatur, deinde vt in cœpto ſuo fortiter atq; conſtanter inſiſtant; & quod feliciter auſpicati erant, feliciſſimè proſequerentur, ne quam etiam in religione mutationem fieri permitterent, monebat. Porrò conſilium & auxilium omne, quod à vicino Principe expectari poſſet, illis offerebat. Denique & ſibi compertum eſſe addidit, coniuratos Comites

Febr. 13. Dux Iuliacenſis Capitulo.

mites

mites iterum conueniſſe, atque de nouo milite centuriando, inque Diœceſin ducendo, conſilia inijſſe: ſe verò nobili ſuo à Neſſelrait Satrapæ mandaſſe, operam det, vt tranſitu per ſuas ditiones prohibeantur. Hæ literæ Capitulo cauſam præbuerunt, vt nulla interpoſita mora à RR. Moguntino & Treuerenſi Electoribus flagitarent; vt idem Eccleſiaſtici pro Religione & fide Catholica rogati facerent, quod Illuſtriſſimus Dux Iuliacenſis &c. Princeps ſecularis vltrò offerebat.

Tot tantarumque rerum à Saxoniæ & Louvvenburgij Duce Frederico geſtarum, fama iam pridem ad Imperatorem peruenerat. Imperator ea plurimum delectatus, volens ſignificare, quam hæc Ducis fortitudo & conſtantia ſibi grata eſſet, in hanc ſententiam ipſi ſcripſit.

Cæſar Frederico Saxoniæ Duci. Febr. 16.

Suam nimirum Cæſaream Maieſtatem, tum ex alijs, tum ex Capituli Metropolitani ſcriptis, actisque & relationibus ſuorum Legatorum, maxima cum voluptate intellexiſſe, quam conſtânter & fortiter Sua Celſitudo in vtriſque Comitijs, ſeu conuentibus Coloniæ habitis, Catholicam Religionem & Diœceſis iura, priuilegia & ſtatuta antiqua propugnauerit. Hæc ſibi, præterquam quod ipſi & toti Diœceſi conducibilia ſunt, maximopetè placuiſſe, & gratiſſima fuiſſe: Nec dubitare ſe, quin quod bene inceperat, laudabiliter perficeret: quoque zelo hoc negotium auſpicatus erat, eodem progrederetur: atque pro virili, ne qua in Diœceſi nouitas intromittatur, auerteret. Hoc Suæ Celſit. perpetuæ laudi, gloriæ atque honori immortali futurum. Suamque Maieſtatem omni gratia & beneuolentia, quouis tempore, quam ſibi hæc diligentia & fortitudo iucunda & placita fuerit, declaraturam.

Gebhardus verò nobilem quendam Balthaſarem Boker Arensbergo in Horenburch amandauit, vt omnem munitionem, ſtellaturam, totamque

tamque caſtri qualitatem diligenter inquireret atque exploraret. Ille autem non ſegniter imperata fecit.

Tandem metuens Elector Cæſaream Maieſtatem, tanquam ſuperiorem poteſtatem; cui diuinum quid & ſingulare ineſt, cur ſemper metuatur: ſe purgare, cauſæque ſuæ iuſtitiam oſtendere volens, tam ſua quam Capituli propoſita in conuentu proximo capita, ad aulam miſit, orans vt Cæſar cauſam cognoſceret, & aduerſarios ſuos inpoſterum non audiret. Inter alia commemorabat; quoſdam Electores, Principes & Ordines Imperij, in pleno conſeſſu, Capituli factiones improbaſſe: periculorum inde dependentium admonuiſſe: tam in Capitulo, quam in Nobilitate fuiſſe, qui contra ſtudia aduerſariorum ſuorum proteſtati erant. tantum verò non his aliquid impetratum eſſe, vt ne ipſis tantæ auctoritatis Principibus vel exigua reſponſione dignos exiſtimarent. Tam verò impudentes, tam indignas aduerſarios propoſitiones in conuentu Nobilium, Ordinumq; Diœceſis in medium (vt de ijs conſuleretur) ſcripto protuliſſe; vt ſæpius tam à ſe, quam à ſuis rogati, earum copiam communicare erubuerint, metuentes, ne falſa illorum, nulloq; iure aut ratione ſtabilita confœderatio, hoc modo omnibus innoteſceret. Sperare igitur ſe ob prędictas aliasq; aduerſariorum machinationes & inſidias ab omnipotenti non deſerendum: ſed Imperatorem Principem ſuum ab eo motum iri, quò vel hoc obtineat, vt ſua tanquam Electoris Imperij purgatio, auribus æquis, & ab omni affectu liberis, audiatur. idque conſequatur, vt aduerſus violenta hoſtium ſuorũ ſtudia, & iniquas perſecutiones, iuſtis ac licitis modis ſe tueri poſſit: quo vel ſic maiorum ſimultatum, periculorum & incommodorum occaſiones præſcindantur. Orare igitur ſe ſupplicem, per gloriam Dei ac Patriæ ſalutem; vt Sua Maieſtas

Archiepiſcopus ad Cæſarem.

ſtas huius rei ſolicitudinem & curam coram Deo & vniuerſo mundo laudabilem ſuſcipiat: & inimicorum ſuorum violentias atq; iniurias retundat. mandetque ipſis, vt loca violenter occupata deſerant: Archiepiſcopumque ſuum priſtinæ dignitati & adminiſtrationi reſtituant. Poſt huiuſmodi verò reſtitutionem, ſi quam aduerſarij in ſe accuſationem inſtituere velint, eam ſe auditurum, & ſententiæ vel definitioni Suæ Maieſtatis, aliorumque Principum Imperij, neutri parti adhærentium obtemperaturum eſſe.

Mart. 3. Deinde ex Arensbergo Iudicem Recklinckhuſenſem, D. Henricum ab Auerdonck: item ad Iudicem Dorſtenſem ſcribit; imperans eis, vt Edicta, quæ de libero Religionis exercitio fecerat, & circumquaque diuulgârat, etiam apud ſuos publica facerent: Eccleſiarum valuis, de more, affigerent: eam enim ob cauſam ſe ſingulis Iudicibus vnum exemplar, manu propria ſubſignatum, & ſigillo ſuo munitum tradi mandaſſe. At prædicti Iudices Archiepiſcopo literis reſponderunt: tantum nefas recusârunt, & modeſtè ſubmiſsèque ſe excuſantes, cauſas cur id facere non poſſent ſubiecerunt.

Parum abfuit, quin ex parua hac ſcintillula tota Germania diſſentionibus, odijs, atq; inteſtinis bellis ardere incœpiſſet. vnus tantum Catilina deſiderabatur, qui ſigna daret & ad arma conclamaret. Multæ enim ciuitates Imperiales Cęſari Indictiones & tributa conferre detrectabant, priuſquã ipſe quæ poſtulabant, illis permitteret. Cæſar per Legatos Electorem Moguntinum, Epiſcopum Spirenſem, Ducem Bauariæ Guilielmum, Philippum Seniorem Baronem in VVinnenberg tributum exigebat; & vt ſoluerent inducere conabatur, ſed fruſtra. Cum enim ea res non vnius eſſet ciuitatis ſpecialis, ſed communis omnium, ſingulæ ſe excuſabant, & in communem definitionem reijciebat.

Ad oppidum itaq; Hailbrunnenſe, in ripa Necari poſitum, duodecim ciuitates ad Colloquium euocantur. Tertio itaq; Martij (qui dies conſtitutus erat) Legati quos Colonia, Argentoratum, VVormatia, Spira, Francofurtum, Auguſta, Norinberberga, Vlma, Eslinga & Nortlinga miſerant, pariter comparuerunt. Aquiſgranenſes verò & Ratisbonenſes ſe excuſarunt, eò quod iam antè cum Cęſare tranſegiſſent. Ad hos Ludouicus Comes Palatinus Rheni Hartmannum Hartmanni, Præfectum Heidelbergenſem cum literis & mandatis legauit: grauiter conquerens, multiſque modis exaggerans rei indignitatem, quod ſcilicet externus miles Imperij fines ingreſſus eſſet: Bonnæque circunfuſus deditionem poſtulaſſet, quaſi hoc oppidum belli ſedem delegiſſet: Huic incœptui quam primum obuiam iri, & quæ in Imperij definitionibus permiſſæ ſunt contributiones, ad hanc comprimendam audaciam conuerti oportere dicebat. Sed cum plerumque in illis perſoluendis ciuitates tardiores eſſe ſoleant, hæc autem neceſſitas moram non pateretur; colligenda eſſe quàmprimùm quinquaginta thalerorum milia: etiam duorum menſium ſtipendia, in Auguſtanis comitijs, ad fines Imperij à præmiatorum excurſionibus tutandos, decreta, huic vſui applicanda eſſe demonſtrabat. Probarunt quidem hoc conſilium plerique ciuitatum Legati. ceterum quia hac de re mandatũ non habebant, ſed ad Dominos ſuos relaturos dicebant. Hęc Palatini legatio id effecit, vt ciuitates ſecundam cauſam priori (quæ erat: quod non abſolutè, ſed cũ conditione indictionem promiſerant, ſe ſc. daturas, ſi Cæſar difficultatibus de quibus queſtæ erant, eas exoneraret) annecterent, tantum vt tributa Cæſari non conferrẽt. Cui tamen colloquio Colonienſes Legati non interfuêre: ſed ſolummodò cauſam Reip. ſuæ egerunt, ex quo ſe contributionem non debere putabant.

Colloquium Hailbrunnenſe.

Para-

Digitized by Google

Parebant comitiorum decreto vtriuſq; Diœceſis, tam ſuperioris quam inferioris Ordines, ij qui per violentiam Archiepiſcopi non impediebantur. Ceterum VVeſtphali, inter quos multi Auguſtanæ confeſſioni addicti erant, adhuc fluctuare videbantur. Capitulum igitur, vt certi aliquid de illis cognoſceret, ad eorum totius Prouinciç Satrapam Eberardum Com. Solmenſem, ac D. Muntzenburgenſem, totamque Nobilitatem atque Ordines VVeſtphaliç, quotquot Diœceſi Colonienſi ſubijciebantur, hoc modo ſcripſit.

Non poſſe nimium ipſis, tum ex ſuperioribus Capituli literis, tum etiam ex ipſorum negotiorum circumſtantijs obſcurum eſſe, quo in loco laudabilis atq; antiquæ Diœceſis Colonienſis ſtatus atque conditio modo ſint. Cum enim exiſtimabamus, aiunt, nos proxima electione Catholicum Principem, qui Diœceſin, inſtar Parentis, ſecundum ius & æquum gubernaret atque defenderet, creaſſemus, qui ſe quoque primis ſuæ adminiſtrationis aliquot annis, non alium quam Catholicum exhibuit, laudabiliter rexit, atque ſacerdotij dignitatem inſuper aſſumpſit. tandem tamen experti ſumus inſignem mutationem. Nam prçter omnem expectationem Matrimonium inijt, nouam religionem, antiquæ Catholicç Eccleſiæ contrariam, profeſſus eſt: & ad eandem omnes & ſingulos ſubditos ſuos inuitat, eiusque exercitium illis liberum permittit. Nihilominus & Archiepiſcopatus dignitatem, adminiſtrationemque retinere, & per vim continuare nititur, in eum finem magnas copias conſcripſit, oppidum Bonnenſe occupauit, atque muniuit. in arces quoque maiori ex parte, tam in inferiori quam in ſuperiori Diœceſi, præſidia deduxit, cum multis externis Principibus fœdus inijt, ita vt ſingula ipſius ſtudia, bellum apertiſſimũ nobis indicere videantur. Quin & certis literis, certiſque nuncijs nobis ſignificatum

tum eſt;eum ſimilia in Prouincijs VVeſtphaliæ machinari.Eam ob rem in 12. Martij diem conuentum indixiſſe;vt etiam hoc malum ſerpat in Rheni ripam vlteriorem,&c.

Deinde referunt indignum illud facinus, quod Gebhardus in Archiuo Bonnenſi ſpoliando, & ſcrinijs Bruelenſibus compilandis, paulò antè commiſerat.

Has & ſimiles ob cauſas,aiunt, Rhenanæ ac Veſticæ Prouinciæ, poſt multas diſceptationes maturasque deliberationes definierunt;Principis ſui propoſitum pactis & conuentis Patriæ aduerſari. ſe autem ſuosque ea obſeruare,nec vnguem latum ab ijs diſcedere velle. Sed & vos Conſiliarij, Nobiles atque Ordines VVeſtphaliæ veſtræ in ea ſententia fuiſtis,mentemque hanc veſtram fuiſſe 24. Ianuarij,datis ad nos literis declaraſtis: nihil ſcilicet in Diœceſis pactis & conſtitutionibus mutandum eſſe. Cum itaque in conſtitutionibus his cautum ſit,

Vt Archiepiſcopo vel Diœcete innouationem,aut aliud incommodum introducente,ſi admonitus à Capitulo,non deſiſtat,introductamque nouitatem tollat;ſubditi iuramento ei præſtito exonerati ſint: & deinceps Capitulo, non autem Archiepiſcopo obediant.

Conſequens eſt,Ordines Diœceſeos tam vltrà, quàm citrà Rhenum, nobis obtemperare ſecundum articulum prædictum debere ; id quod non inuiti Rhenenſes ſe facturos pollicentur. Nec diffidimus quin vos VVeſtphali, pro innata veſtra generoſitate,eadem facietis: nec patiemini vt per vos ſtet,quò minus laudabiles illæ, & tot ſæculis approbatæ conſtitutiones, obſeruentur. multò minus Sacramento & fidelitati veſtræ contraue-

nietis, aut à communi ſocietate diſcedetis. Hanc de vobis ſpem concepimus. Porrò non ignoratis, ſed ex iure ſcripto, conſtitutionibus ac definitionibus Imperij, & Bulla aurea meminiſtis, in hoc caſu quid faciendum ſit. Nam cum Gebhardus ab antiqua, vera Catholica religione deſciuerit, ſibique fœminam matrimonio iunxerit, ſeipſe Archiepiſcopali dignitate exuit. Reliquum igitur eſt, vt ad definitionem Imperialem & Religioni datam pacem, nos conferamus: in qua decretum eſt:

Vt, ſi Epiſcopus vel Archiepiſcopus à Religione Catholica defecerit, nouamque amplexus fuerit, is continuò diſcedat ab Epiſcopatu ſuo: & collegio liceat in eius locum conſtituere alium. Id etiam Aureæ Bullæ conſonum eſt, quæ tres Eccleſiaſticos Electores requirit.

Sed ad ipſam rationem recurramus. Niſi Gebhardus loco ſubmoueatur, habebit antiqua & laudabilis Diœceſis Colonienſis Archiepiſcopum vxorium habebit ille coniugem, habebit liberos, quid vnquam magis inauditum? quid cum offendiculo coniunctius? quid ad interitum Catholicæ Religionis efficacius? Porrò quæ hactenus acta ſunt, quæque in poſterum erunt agenda, non tantum noſtræ auctoritati & iudicio innituntur, ſed idem nobis ſentit Imperator, idem maximi in Imperio Principes & Electores. Vt autem de Cæſaris voluntate vobis conſtet, en eam vobis ſcriptam tranſmittimus. Quantum verò ad indictum ab Archiepiſcopo conuentum, & vos & nos ſcimus, quid ſecundum veterem conſuetudinem ius & æquum ſit. Vt ſcilicet nulli Archiepiſcopo comitia edicere liceat, ſine Capituli approbatione vel conſenſu, quod ipſum tam modernus, quam

prace-

præcedentes Archiepiſcopi fide & iuramento interpoſito, ſe obſeruaturos promiſerunt. Confidimus igitur vos, ea quæ æquitas & ratio, ſecundum prædictam conſtitutionem poſtulant facturos. Adducit nos in eam ſpem ſingularis & multis ſeculis celebrata VVeſtphalorum fidelitas & obedientia: vnde & vobis inſigne illud nomen profluxit, vt fideles Peterlingi antiquitus appellemini. Hortamur itaque vos atque obſecramus, ne qua macula hanc veſtram gloriam aſpergatis, ſed celebris & piæ recordationis parentum veſtrorum veſtigijs inſiſtatis, & non ſecus atque fideles Peterlingos decet, nobiſcum, ceteriſque ordinibus, pacti etiam Diœceſis, communi iuri & decretis Imperij conſentiatis, ab ijs nullis vos policitationibus, nullis blanditijs, nullis minis auelli patiamini, multò minus Archiepiſcopi ſeditioſis factionibus vos implicetis. Quod ſi feceritis, certiſſima nobis ſpes affulget, Deum pijs noſtris conatibus non defuturum: ſed peruerſis Archiepiſcopi ſtudijs ſublatis, antiquam hanc noſtram Diœceſin, in felicitate tranquillitateq; priſtina conſeruaturum. Quæ ſi conſequamur, etſi non minus vobis quam nobis profutura ſint, tamen perpetuò vobis gratificari, atque omni beneficiorum genere, hanc veſtram fidelitatem compenſare, decretum eſt. His Capituli literis quid à VVeſtphalis reſponſum ſit, ſuo loco dicetur.

Illuſtriſſimus quoque Louvvenburgiæ & Saxoniæ Dux, Magiſtratum Reckelinckhuſenſem, atque Dorſtenſem per literas admonuit, ne Militem Truchſeſianum (ſi fortè ipſis obtrudatur) reciperent, ſed vrbes ſuas & mœnia ſuorum ciuium præſidio fortiter defenderent, & quod in vltimo Colonienſi conuentu polliciti erant, fideliter præſtarent.

Idem quoque ad Oeconomum in Horenburg totidem ferè verbis ſcripſit, illud inſuper addens:

Digitized by Google

neque ſtellaturam, neque commeatum, neque pecuniam Truchſeſio permitteret, ſed omnia cogeret, conſeruaretque in vſum Capituli, & ſe aliquando rationem omnium redditurum cogitaret. At ille iam ante à Truchſeſio ſuffaſcinatus, & in aduerſam partem pellectus erat. ideoque copiam harum literarum authenticam Archiepiſcopo tranſmiſit.

Gebhardus cum rem ſibi ex voto non ſuccedere videret, eo quòd Capitulo à Parmenſi auxilia ſubmitterentur, apud Electores ſeculares inſtitit, Imperatorem permoueant, vt hæc auxilia (ſub titulo quia externa erant) Imperij prouincijs prohiberet, nec deſtitit priuſquam quod voluit impetrauit. Electores igitur legatos ſuos ad Cæſarem miſerunt, ei ſignificantes:

Martij 6. Electorum 3. legatio ad Cæſarem.

Sibi iam pleniorem fidem factam, Capitulum & quoſdam Ordines Diœceſis Colonienſis externa auxilia, Principem ſcilicet Parmenſem inuocaſſe: eum peditatum & equitatum miſiſſe, qui iam arces atque vrbes nonnullas in ſuam poteſtatem redegerint: Bonnenſiſque oppidi deditionem poſtulauerint. Hæc ſibi diſplicere: talem enim exercitum Imperio vehemeter exitioſum fore. Hac occaſione bella in Imperio exoritura multos enim & pernicioſos homines paſsim reperiri, qui vel minimam occaſionem ſeditionis quærunt, quæ ſi offeratur, repentè bellorum incendijs Imperium deflagraturum. Milites in Belgio fame & omnium rerum inopia afflictos, iam iam alias ſedes quærere: Imperio inhiare: nihilque magis optare, quam vt opportunitatem prouincias Imperiales inuadendi conſequantur. ſi hæc permittantur, magnam diffidentiam inter Principes vtriuſque Religionis exorituram, multosque ignoraturos, quibus ſe terrarum oris tutò credant, aut quam ſecuritatem vel ex Eccleſiaſticà, vel prophana & ciuili pace ſint habituri. Externos milites Imperij conſtitutio-

ſtitutionibus non obligari, nec illius pœnis aut ſupplicijs conſtringi. eos igitur impunè graſſari & pro libidine ſua populum exagitare. Si res ad arma venerit, atque inter diuerſæ Religionis ſocios pugna committatur, vnaq; pars ſuccubuerit, fore vt externi inuocati ſe parti victrici adiungant, omnesque ſuos conatus & ſtudia ad oppreſſionem partis alterius intendant. Fateri enim ſeipſos, ſi à quopiam ſuæ Religionis Socio inuocentur, nec propter conſcientiam, nec propter honorem ſe ipſi auxilium denegaturos. Periclitari igitur & religionem & Ciuilem tranquillitatem. An verò ſub hoc prætextu externi Principes, non potius ſibi, ſuæque vtilitati ſtudeant, occaſionesque alienas ditiones hoſtiliter inuadendi captent; Cęſari cogitandum relinquebant. Si Capitulo Colonienſi vel per ſe, vel ope aliorum Ordinum ac Principum externorum, impunè pro ſua libidine Archiepiſcopum ſuum tractare liceat, futurum id exemplum alijs ſubditis, vt ſuos Magiſtratus ac Dominos nihili faciant, procaciter contemnant, imò violenter oppugnent. Ad hoc commodius perficiendum, aliorum dominorum opem, aiunt, & exoticas nationes inuocabunt, eas ſemel admiſſas, in hoc cogitationem atque operam omnem collocaturas, vt paullatim vicinas quaſque ciuitates, Coloniam primum, inde Bonnam, poſtea proxima quæque oppida ſibi ſubijciant; atq; tandem hoc modo totam Rheni ripam, ſine vlla difficultate occupent, eumque pedem in dulciſſima ſua patria figant, quo deinde pergant, nunc has, nunc illas Prouincias, ſine huius vel alterius Religionis diſcrimine conterere, ſibi ſubiugare, & in lachrymabilem ſeruitutem aſſerere. Id multarum ætatum experientiam docuiſſe, exteras nationes vel ab hac, vel ab illa parte in auxilium vocatas, vbi victrices fuère, mox vtrique parti iugum tyrannidis impoſuiſſe. Id quod milites in Diœce-

ſi Colonienſi modo facere auſi ſunt: qui nobiles Germanos Cæſaris VVeerdam iter inſtituentes, ſolius Parmenſis nomine, in ius citarunt; neque Rectoris Colonienſis, neque ipſius Capituli mentione facta. Diſcuſſis præcedentium temporum hiſtorijs, rebuſq; geſtis, multa ſe inuenire incommoda, quę ex ſubditorum aduerſus Principes ſuos diſſidijs & rebellionibus manárunt. quæ (ſi ita pergatur) ſine dubio Diœceſi Colonienſi extremum exitium atque interitum iam iam præparatum, imperiumque non minimum membrum amiſſurum eſſe, palam minitantur. Quam cladem vt anteuerterent ſe miſertos, aiunt, hanc legationem candidis animis ad Imperatorem miſiſſe. Non dubitare ſe quidem, quin finitimi Electores, Duces & Comites tantorum malorum, per incurſiones exterorum imminentium rationem habituri, eaque & conſilijs & armis ſint propulſaturi. Cæſaris quoque animum ſibi exploratum eſſe, quod nec ipſe, ex innato ſuo in patriam amore, ſaluti & incolumitati Imperij deerit: inuitusque prorſus videre volet, ſi ſe Cæſare, Imperium aliquod detrimentum capiat. Sed nec Electores (vbi neceſſe erit) ope & conſilio defuturos. Orare igitur ſe Cæſarem, & vt obſeruantiſſimos Electores decet, ſubmiſſis animis obſecrare, vt externas Nationes, cuicunque etiam parti adhæreant, Imperio interdicat, & ne quam partium in ſeditioſo ſuo incœpto obfirment, præcipiat. Sed ſi quis aduerſus membrum aliquod Imperij querelam habeat, eam apud Cæſarem deponat, qui ipſos (non ſecus atque alios Ordines) ſecundum decreta & conſtitutiones in Imperio vſitatas, iudicabit. Imperet etiam Electori Colonienſi, & ipſius Capitulo vt ab armis confeſtim recedant, & quia à Capitulo initium mali exortum (vt ipſi ab Archiepiſcopo fortè perſuaſi erant) eſt, vt qui ſe & interno & externo milite muniuit, Archiepi-

ſcopi

ſcopi Principis ſui arces & oppida violenter inuaſit atque occupauit: ipſi ſeriò mandet, vt arma deponat, occupata loca Archiepiſcopo reſtituat, ſubditos coacto ſacramento exoneret, & ad Electorem remittat, litisque ſuæ deciſionem ab Imperatore, ceterisque Imperij Ordinibus, patienter & tranquillè expectet. Omnino ſibi neceſſarium videri, vt confeſtim exteri exercitus dimittantur: periculum enim in mora eſſe, nec id ipſos Capitulares ſentire. Nuper enim in comitijs à Principibus idem petitum eſſe, ſed id reſponſum redditum fuiſſe, ex quo facilè colligi potuit; Capitulum ignorare, quales hoſpites inuitauerit, & quibus cum ipſi negotium eſt, quodque illi ſibi proponant, Si ſtatim imperio expellantur, ſtudia partis vtriuſque retardanda eſſe, patriam ab omni metu periculi liberam fore, diſſidium ipſum (diuina interueniente gratia) breui ſopitum iri; machinationes denique & inſidias Imperio ſtructas, hac ratione collapſuras eſſe. Sin autem, quod petunt, non impetrauerint, ſe contra violatores communis tranquillitatis, iuxta conuenta, ſanctionesq; patriæ conſilia capturos: eum enim in vſum iam poſtremis Auguſtanis comitijs duorum menſium ſtipendia decreta eſſe. Sperare tamen ſe Imperatorem hæc non denegaturum: ſed ſaluti patriæ conſulturum. quod ſi fecerit, omnem ipſi obedientiam & gratitudinem promittebant. Hæc vt Cæſari exponerent Legati, in mandatis habebant, quin & iuſsi erant Cæſari (ſi impetrarent quæ propoſita ſunt) immortales gratias agere. Sin autem ipſe cauſam cognoſcere, & per ſe diſſidium componere vellet, ſine vllis verborum ambagibus illi denuntiarent; Huius cauſæ nauturam eam eſſe, vt cognitio atque iudicium eius, omnes Imperij Ordines requirat. Metuebant enim Electores, ne ſi Cæſar ſolus cauſam cognoſceret, nihil aut parum vtilitatis ex

T 4 hoc

hoc negotio ipſi reportarent: cum ſumma celeritate opus eſſe, & prorogationem omnem hic odioſam & pernicioſam exiſtimarent. Si verò res in controuerſiam veniſſet, dederantq́; Legatis ſuis abſolutam poteſtatem diſputandi, conferendi, confutandi, vltrò citròque reſpondendi, omniaque quæ ad negotij expeditionem eſſent neceſſaria, faciendi.

Cæſar & Palatinus inſtant, vt extera nationes Imperij finibus educantur.

Importunitate Electorum, cum finem vrgendi ſupplicandique non facerent, victus Cæſar, tandem Legatum ad Illuſtriſsimum Parmenſem miſit, vt eum moneat, ne quid hoſtiliter in Imperio per ſuos moliatur, ne forte maiora inde incommoda proficiſcantur. Palatinus verò Ludouicus, vt qui iniuſtis Truchſeſij querelis præoccupatus erat, hac Cæſaris legatione non contentus, ipſe quoque ſuam ad Arenbergium Comitem inſtituit: obiuit eam Henricus à Mauenheim, qui vt plenam fidem haberet, huiuſmodi literis munitus eſt:

Nos Ludouicus Gratia Dei Comes Palatinus Rheni, ſacri Rom Imp. Archipincerna, Elector, Dux Bauariæ, &c. optamus omnibus & ſingulis in Archiepiſcopatu Colonienſi, & eius limitibus congregatis, Tribunis militum, Chiliarchis, Centurionibus, Magiſtris equitum, alijsq́; militia Præfectis gratiam & ſalutem: denunciamusq́; vobis: quòd nos, tanquam tractus Rhenani caput, & Elector hunc noſtrum Prætorem in Olsberg dilectum & fidelem Henricum de Mauenheim, dictum Burchholtſtein, id vos cum mandatis, non tantum noſtris, ſed etiam Reuerendiſſimi ac ſingularis amici & fratris noſtri, D. Wolffgangi Moguntinenſium Archiepiſcopi & Electoris huic enim vt conſentiret, ante perſuaſerat *eiuſdem tractus Rhenani Capitis Vicarij mittimus: ea vobis annunciaturum, expoſiturumque quæ ab illo intelligetis. Requirimus ergo virtute harum literarum officioſè & peramicè, vt eum, reſpectu perſonæ noſtræ, beneuolè audiatis, plenam fidem habeatis, noſtræ petitioni acquieſcatis, omniaq́; ex præſcripto conſtitutionum Impe-*

Imperij,(vt iuſtum & æquum eſt) faciatis. Datum Heydelbergæ ſub ſigillo noſtro ſecreto, 6 Mart. anno 1583.

Cum Iuliæ quoque Duce per literas expoſtulauit, eò quòd externum militem admitteret, nec illis tranſitum per ſuas ditiones prohiberet.

Ad hanc Electorum querelam nonnulli reſponderunt: nec conſtitutiones Imperij, nec ius ſcriptum certos limites præſcribere, quas nationes & quales inuocare liceat. Capitulum inuocaſſe Regem Catholicum, qui membrum eſt, & quidem non infimum Imperij. Præterea Capitulo non vetitum, ſed licitum eſſe, Domum Burgundicam, vt vicinam, & Colonienſibus à ſæculis ſociam & amicam, inuocare: maximè cum illa ſocietas nondum in Imperij ſtatutis ſit reſciſſa. Denique Arenbergium eſſe Diœceſeos Archipincernam, & Rifferſcheittium Archipræfectum prætorij Auguſtalis, quem Archimarſchalcum vocant. his ex officio, iuxta concordata patriæ, incumbere, Capitulo ſuppetias adferre. Si quis in hoc negocio contra definitiones Imperij deliquiſſet, non Capitulum, ſed Gebhardum accuſandum eſſe: qui cum Alenconio Gallo, contra Imperium clandeſtina pacta ſecretasque conuentiones inierit, & Gallos, Anglos, Scotos & Heluetios in Imperij limites vocauerit. Sed & Truchſeſiani cauillabantur, Gebhardum nondum conuictum aut hoſtem patriæ declaratum: proinde immaturum eſſe hunc armorum apparatum. Alij contrà, deciſiones Imperij in quibuſdam caſibus, ſententiam declaratoriam non requirere dicebant. Vt ſi quis ſtatum Imperij & pacem publicam collecto milite perturbet, ſitque periculum in mora; contra hunc non expectata ſententia procedi poſſe. id anno 1559. Auguſtæ Vindelicorum definitum eſſe.

Comes Nuenarius Adolphus, ope Belgarum, quorum milite tanquam ſuo vtebatur (ſunt enim illi ad omne flagitium prompti atque parati) to-

tam inferiorem Diœceſin latè vaſtabat: colonos cum pecore aliaque præda captiuos adducebat: grandi ære mulctabat: ad redimendam villarum deflagrationem compellebat. Templa quæque obuia diripiebat: Paſtoribus, qui fuga ſibi conſulere non poterant captis, ac miſerè vexatis. Arcem quoq; cuiuſdam nobilis Remaldi Raſuelt prope Ordingam occupauit. quod cum Dominus arcis indigniſsimè ferret, ille factum per literas excuſauit: ſe non exiſtimaſſe, ait, eum ob hoc offenſum fore, cum eiuſdem eſſet religionis, quam ille defendendam acceperat. ſi tamen ipſe pręſidium imponere mallet, ſe ſuos eductu rum.

Interea fama ad Imperatorem peruenit, Ducem Iohannem Caſimirum Palatinum equites & pedites, in ſubſidium Archiepiſcopi colligere. Miratus itaque Cæſar, quòd cum Principes Imperij Capitulum dearmatum cuperent, ipſi Archiepiſcopum armarent, ſcribit Caſimiro: repetitque breuiter: Quantum in negocio Colonienſi laborauerit, ſed omnes ſuos labores caſſos eſſe atq; inanes; nihilq; ab Archiepiſcopo potuiſſe impetrare. Præterea ad ſuam Maieſtatem perlatum eſſe, Caſimirum copias conſcribere; & Gebhardo ſubſidia ferre decreuiſſe. Id primum credere ſe non potuiſſe, at iam fidem factam eſſe. Debuiſſe itaque ſe, ratione officij, Ducem Caſimirum admonere, vt ſi fortè collectio militum iam fieri cœpta ſit, eos dimittat, & negotio Truchſeſiano ſe neutiquam ingerat, præſertim cum ſua Maieſtas iam cum Capitulo agat conſultetque de optima pacis inueniendæ conditione. idque conſilio & auctoritate ceterorum Imperij Electorum, ſibi itaq; videri, armis opus non eſſe, vtque arma deponat pars aduerſa, ſe impetraſſe. Hæc ſi faceret Caſimirus, facturum Cæſari rem gratam, cuius memoria apud eum ocioſa non eſſet futura.

Lintio, oppido in ſuperiori Diœceſi, Archiepiſco-

piſcopus inſidiabatur: metuebantque Canonici ne aſtu tandem ſibi eriperetur. Miſerunt ergò duos è ſuis, Comitem à Rifferſcheit & Doctorem Gropperum, qui ciuibus perſuaderent, vt præſidium admitterent. Illi autem ſe ſatis virium atque animi habere, ad ſuam vrbem tuendam, reſponderunt: fidemque & conſtantiam, quam etiam vſque huc, non ſine magna nominis ſui gloria retinuerunt, Capitulo pollicebantur. Inde eidem Legati ex mandato Collegij ſui, ad Salentinum Comitem ab Iſenburg, qui ante Truchſeſium Archiepiſcopatus dignitati ſponte renunciauerat, profecti ſunt. Cauſa legationis erat: orarent eum, vt Diœceſin Colonienſem laborantem, conſilio & auxilio ſuſtentaret. Nam cum ipſe ſuæ Adminiſtrationis tempore laudabiliter, & cum maxima Prouinciarum vtilitate præfuiſſet, plurimum à Diœceſanis adamabatur: dulciſque apud eos erat illius memoria. Sperabant igitur eius præſentiam & auctoritatem plurimùm ad continendos ſubditos in fide profuturam. Ille igitur partim amore & ſtudio erga hanc Diœceſin, partim Cæſaris, qui per literas eandem illi commendauerat, auctoritate permotus; non inuitus, quantum ingenio, conſilio, induſtria & ſtudio conſequi poſſet, ad ſalutem Prouinciæ Colonienſis procurandam, ſe collaturum promiſit: & cum Legatis ſtatim Andernacum profectus eſt.

Salentinus ab Isĕburch pro defenſione Diœceſis interpellatur.

Ei enim oppido non minores quam Lintio inſidias Gebhardus ſtruebat. Salentinus verò id à ciuibus obtinuit, vt ſe in fide Capituli permanſuros iurarent: nec eam fefelleruut. Venienti enim Gulielmo Rab cum 500. partim equitibus, partim peditibus, vt in vrbem reciperetur, fortiter reſtiterunt. cumq; is pedem reuocare, & ad ſuos reuerti vellet, ſuis iam penè omnibus Rhenum traiectis, à quodam ruſtico ſphærula tormentaria ictus, corruit: Bōnamq; illatus, paulò poſt

Andernacĕſes Truchſeſianos cædunt.

poſt miſeram animam efflauit. Præter Capitaneum cæteri ruſtici, iniuria damnoque laceſſiti, alios duodecim aut tredecim ex eius militibus trucidarunt.

Mart. 10. Aduentus Illuſtriſſimi Erneſti Bauari in Vrbem Colon.

Toto hoc tempore maximis Catholicorum omnium votis expectabatur Illuſtriſſimus Dux Bauariæ Erneſtus, Eburonum & Friſingenſium Epiſcopus, Hildesheimenſium Adminiſtrator, Princeps à matris vberibus in Catholica Religione ſyncerè & piè inſtitutus: lumen Germaniæ, & Eccleſiæ Catholicæ columen. is tandem aduenit, & poſt vnius diei quietem, poſtea ſemper Capitularium conſultationibus interfuit, maturam ad eas prudentiam adferens & auctoritatem.

Gebhardus Apologiam edit.

Eodem quoque die Gebhardus apologiam ſuam edidit, in qua cauſas rerum ſuarum reddit. Multum ſe in hac apologia torquet, vt oſtendat ſe nihil in auream Bullam, Decretum de Religione, Chriſtianam Fraternamque confœderationem, Pacta Diœceſios, aliaque promiſſa & iuramenta peccaſſe. Quod quam probabiliter faciat, non admodum exercitatus & conſultus iudex requiritur. Hactenus Bonnæ conciones in Cancellaria habitæ fuerunt, hoc verò die primùm, Franciſcanorum templo prophanato, in eo concionatum eſt: ipſis (vt antea dictum eſt) migrare iuſſis.

Caſimirus quod Truchſeſio promiſerat, ſumma cum diligentia perficere ſatagebat. Metuebat autem vehementer Bauarum, Leodienſem Epiſcop. ne fortè illum, in Gebhardi locum electum, aduerſarium haberet: eò quod per ſe potens erat, potentiſſimosque Principes & Monarchas vel ſanguine attingeret, vel addictos ſibi haberet. Illud tamen diſſimulans, & ab Archiepiſcopatu ſuſcipiendo Bauarum deterrere volens, paræneticam quandam Epiſtolam ad eum ſcripſit. Initio illi in memoriam reuocans, amicitiæ inter vtrumque renouationem, anno ſuperiori factam: etiam ſe

me-

meminiſſe, ait, petitionis Bauari, qua contendebat, vt ſi quid, quod in ipſius fraudem, & præiudicium accidere poſſet, audiret, id Bauaro ſignificaret, gratiſſimum hoc ipſi fore. Certis itaq; ſe nuntijs ac literis intellexiſſe, Bauarum animo deſtinaſſe, mediaque & opportunitates captare, quo ſe ipſe Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem conſtituat: aut ſaltem alium quempiam iſta dignitate ornet, ideoq; Epiſcopatum Leodienſem deſerere decreuerit. Nec latere ſe, quid vltrò citròq; apud Pontificem Romanum, Imperatorem, aliosq; Imperij Principes, ad id conſequendum agatur. Fauere ſe quidem Bauaro cognato & Fratri ſuo (cum ex eadem familia & ſtirpe ambo prognati eſſent) vt ad ſummos honoris gradus perueniat: tamen non videri ſibi hanc legitimam viam eſſe eos aſſequendi. Celare enim ſe cognato non velle, Archiepiſcopum Colonienſem de ſuæ Diœceſeos reſignatione ne quidem vnquam cogitaſſe: nec officio & dignitati, ad quam à Deo vocatus eſt, cedere decreuiſſe, niſi communi omnium in Imperio Principum iudicio ad id faciendum compelleretur. Cogitandum igitur Bauaro eſſe, ſi ipſe hoc rerum ſtatu in Archiepiſcopum eligatur, electionemque non reſpuat, modernum Archiepiſcopum Truchſeſium id indignè laturum, nec permiſſurum vt talis electio rata habeatur, ſed inuenturum media quibus ſe defendat, ne indicta cauſa dignitate ſua ſubmoueatur. Ad hoc ſe *Caſimirum ſcilicet*, ceterosque per Imperium Auguſtanæ confeſſionis Principes, Truchſeſio auxilia ſua detuliſſe, eum nunquam deſerere, ſed in legitima ſua vocatione conſeruare ſtatuiſſe. Seculares etiam tres Electores, fraterno fœdere, quod dudum inter ſe pacti ſunt, motos, huic defenſioni non defuturos: iamq; ſe intellexiſſe eos nouum Archiepiſcopum adhuc eligendum, nec pro fratre, nec pro Electore recepturos, neque ei in comitijs aſſidere velle. Si igitur

Caſimirus Illuſtriſſimo Duci Erneſto Bauaro ſcribit.

Digitized by Google

igitur id ad quod Bauarus contendit, ipſoque facto inſtituatur, Bauarosque ſpe Archiepiſcopatus Colonienſis, Epiſcopatum Leodienſem deponat, metuendum eſſe, ne ipſi idem, quod cani Aeſopico eueniat: qui ſpe opimioris prędę, vtramq; & quam habebat, & quam captabat, amiſit. Præmeditandum quoque illi eſſe, an ſatis virium habeat, ad hoc negocium proſequendum; anne etiam hæc ipſa via ſit, bellum, cladem & horrendas ſanguinis profuſiones, in dilectiſſimam patriam ſuam inferendi: Porrò anne hac occaſione non tantum ſeipſum, ſed chariſſimum fratrem ſuum, ſibique ſuas ſubiectas prouincias & populos in extrema pericula ſit adducturus. Deniq; anne ea res vtriuſ[illegible] ordinibus, tam qui Catholicæ, quam qui Auguſtanæ religionis ſunt, acerba ſit futura, & vtrique (niſi fortè tertius quiſpiam inueniatur) hoc bello ſint atterendi, ipſaq; Germania, patria ſua, ceteris nationibus fabula ſit futura. Orare igitur ſe cognatum ſuum (vt prædicta incommoda auerterentur) per cognationem & fraternitatem, quę inter ipſos erat: ne ſe huic negotio immiſceat: quo communis patriæ tranquillitas non perturbetur, ipſeque periculum omne ſubterfugiat: potius ſe intra ſuæ vocationis limites contineat: hæc omnia tanquam ab amico pectore profecta interpretetur, & de trium Epiſcopatuum ſuorum reformatione cogitet. quod ſi faciat, fore vt Deus benedictionem & gratiam ipſi copioſam infundat.

Accepit has Caſimiri literas Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Leodienſium Epiſcopus, poſtridie à ſuo in vrbem Colonienſem aduentu. miſiſſet quidem eas Caſimirus citius: ſed nihil illi, vbi Epiſcopus agebat, certi conſtabat.

Mart. 11. *Conuentus Arensbergenſis.*

Aderat nunc dies, qui Comitijs Arensbergenſibus conſtitutus erat, ad ea Nobilitas atque ciuitatum VVeſtphaliæ Legati confluxerunt, propoſitio-

poſitiones Archiepiſcopi audituri. Initio Gebhardus reſpondet articulis, à Capitulo propoſitis in conuentu Colonienſi: eosque ſuo more diluit. Quod 4. Nouembris anni præteriti Bonnam occupauerit, claues vrbis à Magiſtratu poſtulauerit, præſidia vrbi impoſuerit, copias, pedeſtres ac equeſtres contraxerit; cauſam eſſe dicebat, impendens ſibi, ſuæque Prouinciæ periculum & diſcrimen: quod tam ab immorigeris ſuis Capitularibus quam à ſeditioſis vtriuſque partis Belgis metuebat. præſertim cum paulò ante Regij arcem Vdam, & Ordines caſtrum & pagum Iſſenſem armis occupauiſſent, & Dioeceſi ſuæ ſubtraxiſſent: nec dubium eſſet quin vlterius progreſſuri cum magno ſubditorum ſuorum exitio fuiſſent, à quibuſdam ſuis Capitularibus alijſque beneuolis amicis, ſæpius ſe admonitum eſſe, ſibi vt caueret: inſidias enim ſtrui. quendam magnatem captare occaſiones, vt oppidum aliquod ad Rheni ripam ſitum occupet. deniq; & ſe infra bimeſtre ſpatium (niſi vigilaret) ſede Archipiſcopali exturbandum eſſe. Has ob cauſas coactum ſe fuiſſe (quò ſe ſuosque tueretur) maiori quam pro conſuetudine ſolet cum comitatu proficiſci, cohortemque prætoriam veteri ſodalitio adiungere: Bonnam, vt locum tutiorem inuadere, eam contra æmulorum machinationes munire. Vt verò omnis diffidentia tolleretur, ſuaq; perſona tutior eſſet, ſe claues Vrbis poſtulaſſe, eas ciues non tantum ſubmiſsè ſuo Archiepiſcopo obtuliſſe, ſed omnem inſuper obedientiam libenter pollicitos fuiſſe, affirmabat. poſteaquam ſe illis purgaſſet, ipſiq; Chriſtianum ſuum propoſitum cognouiſſent. Secundò fatebatur ſe quibuſdam Eccleſiaſticis, alijſque hominibus redditus annuos aliquandiu non perſoluiſſe. Penſiones quoq; quæ ex vectigalibus nonnullis debebantur, redditas non eſſe. Ceterum in cauſa fuiſſe, quod VVeſtphalici Ducatus canones, &

quæ

quæ Archiepiſcopo iure dominij debebantur, duobus nunc annis non repræſentaſſent, nec vt repræſentarent, induci potuiſſe. Propterea ſe Portitoribus ſuis mandaſſe, creditoribus ne ſoluerent, priuſquam aliud mandatum à ſuo Principe reciperent. interim ſemper deſtinatum fuiſſe, vt poſteaquam ſibi ſatisfactum eſſet, confeſtim etiam alijs ſatisfieri iuberet.

Tertiò verò: Nec diffiteor, inquit, me in Papatu vel Romani Pontificis doctrina, ab ipſa pueritia, vſque ad electionem noſtram educatum & inſtitutum, eam incorruptam exiſtimaſſe, & defectu Chriſtianæ verboque diuino conſentaneæ inſtitutionis, ante hæc tempora (prô dolor) peruerſo mihi impreſſo atque inhærenti zelo, defendiſſe. Omnipotens verò Deus (in cuius manu omnium corda ſunt, quique clemens eſt & benignus) mihi poſt ſuſceptam adminiſtrationem cauſas obtulit, occaſioneſque dedit, perſecutiones contra veræ Religionis profeſſores, tam in Germania, quam in Francia atque Belgio, noſtro noſtrorumq; parentum tempore crudeliter inſtitutas, atque incommoda quę ex ijs promanarunt, cum commiſeratione perpendendi, æſtimandi, ſuoq; momento ponderandi. Quæ me cogitatio eò tandem permouit, quod doctos, pioſque viros conſulere cœperim, cauſaſque inueſtigare, quæ tantæ in Religione diſſenſionis genuina eſſet origo: cur nonnulli ſummæ auctoritatis Principes, Electores atque Ordines Imperij, Romanam Religionem iam pridem repudiaſſent: & concordem verboque Dei ſuffultam fidei confeſſionem, vnanimiter prioris loco aſſumpſiſſent.

Nunquam itaque intermorituras gratias quibuſdam, tam ſuperioris quam inferioris ordinis hominibus, ago: qui me poſt Deum ad diligentiorem Sacrarum Scripturarũ lectionem, & ſedulam in ijs fundatæ doctrinæ examinationem adhortati ſunt.

ſunt. Decretum itaque omnino mihi eſt, omnibus, & ſingulis id cupientibus, publicum exercitium veræ & ſinceræ Euangelicæ doctrinæ, vſumque Sacramentorum, ſecundum Chriſti inſtitutionem, ex præſcripto Auguſtanæ, ad diuinam mentem conformatæ confeſsionis, permittere: eoſque ab omni iniuſta violentia tueri. Meipſum inſuper talem omnibus exhibere, qualem in Apologia, ſeu declaratione noſtra, cuius authenticum exemplar Capitulo noſtro miſimus, polliceor. Ad hanc verò fidei, Religioniſque (quam Auguſtanam appellabat) libertatem, non mea me ſola conſcientia impulit, ſed humiles etiam obſecrationes, & lachrymabundæ ſupplicationes, cum olim, tum nuperrimè à quibuſdam nobilibus & ciuitatum huius Prouinciæ Magiſtratibus, partim ſcriptis, partim verbis ad me delatę: Electorumque & aliorum Auguſtanæ Confeſsionis Ordinum literæ atque interceſsiones, me quaſi violenter eò adegerunt. Quin etiam ex vicinis Belgicis ditionibus, alijsque Prouincijs & regnis, quæ nunc ob perſecutiones veræ Religionis (vt ipſe appellat) nunc attritæ iacent, cauſæ ſufficientes mihi oblatæ ſunt, huiuſmodi exempla ante oculos ſtatuendi: ſimileſque Rerumpubl. perturbationes, domeſticaſque ſeditiones (quæ temporis ſucceſsu ob coactas conſcientias, & denegatum hactenus veræ Religionis exercitium, in hac noſtra Diœceſi, non ſine eiuſdem lethali exitio atque interitu, facilè conciari poſſent) auertendi.

Quartò: quod ob matrimonium initum Archiepiſcopali dignitate ſubmoueri debeat, ſedeque ſua exturbari, id, præter omne ius & æquum eſſe contendebat. Matrimonium enim ab ipſo Deo omnibus hominibus vtriuſque, tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis ordinis, permiſſum: inque remedium euitandæ luxuriæ, & omnis impudici amoris flammæ reſtinguendæ inſtitutum eſſe. Nihil ſe

Archiepiſcopali ſuo officio, Eccleſiaſticæq; vocationi contrarium perpetraſſe: matrimonium enim per ſe neq; Eccleſiaſticum, neq; Secularem facere: id Vocationis, ad quam vnumquemque Deus præordinauit, eiuſq; bonæ atq; legitimæ adminiſtrationis munus eſſe. Ipſos etiam qui ſe Eccleſiaſticos appellari volunt, ex Sacris literis, Pontificum Decretis, Patrum conſtitutionibus, Canonibus & exemplis, non obſcurè colligere poſſe, Cælibatum Sacerdotum, ſeu interdictum ipſis Matrimonium, à Gregorio ſeptimo Pontifice Rom. cognomine Hildebrando, inter alios multos Idololatricos (vt ille ſuo more loquitur) nulloque fundamento innixos articulos excogitatum, atque intruſum eſſe, in ſacris verò literis diabolicam doctrinam appellari. Non ſolum Sacerdotes in primitiua Eccleſia Catholica, ſed etiam Apoſtolos ipſos vxores habuiſſe. Ex hiſtorijs etiam notum eſſe, in Imperio Germanicæ Nationis, Eccleſiaſticos viros vſq; ad annum à partu virgineo 1074. maritos fuiſſe. Denique cum Religio, per pacem ei datam, omnibus libera ſit conceſſa; etiam matrimonium liberum eſſe, & neminem ab eo prohiberi poſſe, vrgebat.

Quintò: ſe Alenconio Gallo iunctum fœdere, abſolutè negabat, & ab hac calumnia ſe ipſum 13. & 30. menſis Nouembris elapſi, ſcriptis ſuis purgaſſe dicebat.

Sextò: Commentitium etiam eſſe, & ab æmulis ſuis excogitatum, quod externorum, & communi patriæ inimicorum Principum amicitias ambiret, ab ijſque auxilia & ſubſidia flagitaret, id in parte aduerſa verum eſſe, cum Regis Hiſpaniarum in Belgio Gubernator Princeps Parmenſis, Comitem Arenbergium nuper ad Capitulum miſerit: eiq; per Comitem ſuum auxilium (ſi petatur) cum propria perſona, omniq; quem ſub ſignis habebat peditatu & equitatu detulerit.

Aren-

Arenbergium cum ſuis copijs in confinibus Diœceſis nunc conſidere: in Aquiſgranenſi agro contra Imperij deciſiones caſtrametari, eius Vicarium publicè in vrbe Aquiſgranenſi confeſſum, ſe à Capitulo inuocatum eſſe: ideoque Moſam traiecisſe. paulò poſt eum cum exercitu in territorium Kempenſe irruiſſe, incolas ſpoliaſſe, nonnullos fideles ſuos ſubditos captiuos abduxiſſe, multaq; pactis & conuentis patriæ, Religionis concordiæ, Imperijq; conſtitutionibus contraria, ſuæ verò, Diœceſi vicinis Principibus & communi patriæ contumelioſa atq; ignominioſa perpetraſſe, &c. quæ omnia aduerſariorum ſuorum cauſam ſuſpectam atque odioſam reddere debere, verbis potius quam rei veritate vrgebat.

Septimò: quod Præfectum Cæſaris VVerdenſem ab officio ſuo remouerit, contra patriæ priuilegia alium ſubſtituerit, non Indigenam, eiuſque tutelæ & cuſtodiæ caſtrum commiſerit, calumniam eſſe: Carolum enim Holtzerum nobilem non aduenam, ſed fidelem indigenam eſſe, aiebat.

Octauo atq; vltimò: quod obiectum fuit, Diœceſin per tam copioſam militum collectionem obæratum iri, ſe etiam nomina iam dudum feciſſe, & plurima debita contraxiſſe: id nunc in diſputationem vocandum non eſſe. Quod verò à Regiſtratore, vt vocant, Bonnenſi claues Archiui exegerit, ſigilla, diplomata & inſtrumenta publica inde (ſicuti & ex caſtris nonnullis aurum & argentum, ceteraque cimelia abſtulerit) atque ex Diœceſi in tutiorem locum, vbi aſſeruabantur, comportari iuſſerit; iuſtam cauſam ſubeſſe. Dimiſſo enim conuentu Colonienſi, ſe per fideles Dominos & amicos certiorem factum, aduerſarios ſuos, ope & auxilio Arenburgij, multas inſidias machinatos. Bōnenſe oppidū inopinato oppugnare atq; obruere, ſuamq; perſonā captiuā abducere ſtatuiſſe, eam ob cauſam ſuppellectilē iſtam ſe trāſportaſſe dicebat.

Digitized by Google

Poſt multas alias propoſitiones, multaſque diſceptationes, quæ hinc inde ab vtriuſque Religionis nobilibus & oppidorum legatis, habebantur (Catholici enim Archiepiſcopi factum pugnare, cum patriæ conuentis & tranſactionibus ſuſtinebant: negabant præſidia accipere, Religionis alterationem admittere, à Rhenenſium fœdere ac ſocietate ſeparari. Alij omnia contra) tādem ſuffragiorum multitudine potius vel quorundam importunitate ſuperiores ij, qui Auguſtanæ confeſſionis erant, definierunt.

Decreta Arensvergeſis conuentus.

I. Agendas Deo Opt. Ter Maximo gratias, quod Archiepiſcopum vera verbi ſui, ſuæque voluntatis cognitione irradiaſſet; quod pedes eius in viam veritatis direxiſſet, per eumque multos miſeros incolas à conſcientiarum tyrannide liberaſſet.

II. Orandum eſſe eündem Deum, vt pro ſua pietate & clementia Suæ Celſit. perſeuerantiam largiatur; quo omnia quæcunque concepta atq; propoſita erant, feliciter exequi poſſet.

III. Deinde Suæ Celſit. gratias etiam referendas eſſe, quod curam animarum ſubditorum ſuorum habuiſſet, ipſorumque conſcientias ex carnificina, vt vocant, exemiſſet; quodque hoc opus tam maturo conſilio, prudentique iudicio aggreſſus, veris ac legitimis medijs ad perficiendum vſus fuiſſet.

IIII. Obſecrandum etiam eſſe Archiepiſcopum, vt in incœpto ſuo patiens atque fortis ſit: ne impendentium moleſtiarum, periculorum atq; aduerſitatum aliquando pertæſus, reſiliat ab inſtituto. Prouinciæ ſaluti magis, quam propriæ vtilitati ſecuritatique aduigilet: miſeroſque indigenas atque incolas hoc tam exulcerato tempore, non deſerat.

V. Pares quoque gratias habendas eſſe Illuſtriſſimis Electoribus, Ducibus, Comitibus, alijſque

Ordi-

Ordinibus Sacri Romani Imperij, qui negocium hoc tam pio zelo eouſque promouerant.

Denique tam Archiepiſcopum nunc præſentem, quam reliquos per imperium Electores, Principes, Comites, atque alios Ordines implorandos eſſe, omnem operam atq; diligentiam adhibeant, vt VVeſtphalicæ ditiones, tam ſuo quam poſterorum ſuorum tempore, in hac Religionis libertate, ſaluis inuiolatiſque priuilegijs & immunitatibus ſuis conſeruentur: omniſque ob Religionem perſecutio, quæ vel in ſe, vel in liberos & vxores ſuas inſtitui poſſet, auertatur. Cum itaque nullo modo huic, de libertate Religionis, articulo repudium remittere decreuerint, ceteri quoq; tales eſſent, qui etiam obſeruari deberent, donec Archiepiſcopus legitimo iuſtoque iudicio ſua dignitate priuetur, debitam Principi ſuo obſeruantiam promittendam eſſe, cum obſecratione, vt ipſe omnem diligentiam adhibeat, ne armis hoſtium obruantur. Poſtquam verò patriæ Ordinum conſilia minus dextera ſint & ſana, quam vt tanto malo præueniendo ſufficiant: ſibi conſultum videri dicebant, vt Archiepiſcopus ipſe, optima & conuenientiſſima media ſtatuat, quibus caueatur ne quod damnum vel detrimentum prouinciæ capiant. Alia quoque propoſita capita, vnico de Religione excepto, eò dirigat, vt Cæſareæ Maieſtati, Electoribus, Principibus, & Ordinibus Imperij placeant, ab ijſque approbentur, caueat tandem Archiepiſcopus, quantum fieri poterit, ne ad bellum deueniatur, néue aduenæ & peregrinæ Nationes in Imperium intromittantur.

Hanc VVeſtphalorum concluſionem, quidam cognomine Groten, tanquam omnium calculis approbatam (cum non niſi à paucis, rerum nouarum ſtudioſis, concepta eſſet) Archiepiſcopo ſcriptam exhibuiſſe, verbisque latius proſecutus eſſe dicitur. Grauiter verò tulerunt Catholici, id o-

mnium nomine exhiberi, quod ipſi non approbaſſent: ipſumque Oratorem dentatis verbis acriter caſtigarunt. Inter hos Satrapa generalis totius Prouinciȩ Comes Eberardus Solmenſis, Commendator prouincialis in Mulheim Reckius, Satrapæ Prouinciarum in Bilſtein & Balue, Caſparus ſcilicet Furſtenberg, Haetsfelt: Senior quoq; Ioannes Droſt, & Licentiatus Cleinſorg, cum Legatis oppidi VVerlenſis Gerardo Brandes, Ioanne Godde, alijſq; compluribus inſignem & Religioni & Reipubl. operam nauârunt, Capituli ſententiam fortiter propugnando: nec remiſſius pro Truchſeſio Otto à VVolmarinckhuſen agebat.

Archiepiſcopus collatis ſuffragijs eorum qui inſtitututum ſuum probabant, defenſionemque pollicebâtur, ceteros in ſuam ſententiam pertrahere conabatur, iubebat autem vt poſtridie reuerterentur, & redditam concluſionem ſubſcriptionibus confirmarent. Sed nemo tum ex conſiliarijs comparuit. Nobiles etiam & ciuitates nonnullæ vel ſe ſubtraxerunt, vel tergiuerſatæ ſunt. Ita vt in hoc conuentu nihil legitimè tranſactum ſit. Ceterum Gebhardus quæ in rem ſuam acta erant, rata habebat, & quod à paucis concluſum, id quaſi ab omnibus decretum acceptabat. Paulò poſt ij, qui ab Archiepiſcopo ſtabant, Capitulo reſponſum ad ſua poſtulata reſcripſerunt: literarũ hæc erat ſumma. Se ſcriptum Reuerendi Capituli 6. Martij miſſum, tandem 12. eiuſdem Menſis accepiſſe, magno cum animi dolore ex eo diſſidium, inter ipſum Capitulum & Archiepiſcopum Principem ac Dominum ſuum, cui ſacramento obligati erant, cognouiſſe: An Archiepiſcopus ob Religionem mutatam ſede ſua expelli debeat, an verò non, id ſe diſceptandos determinare nolle, ſed illud iudicium Cæſari atque Ordinibus Imperij relinquere velle.

Ceterum cum Archiepiſcopus Auguſtanam Religionem nunc acceptauerit, eiuſque liberum atque

atque publicum exercitium per ditiones ſuas palam admiſerit, ſe ob id multo difficilius eum deſerere, aut abiurare poſſe. In poſtremis ad Capitulum literis ſuis 24. Ianuarij miſſis, nullam de libertate Religionis impedienda mentionem factam eſſe: nec ſibi id vnquam in mentem veniſſe. nunquam ſe pacta & conuenta Diœceſis eo modò, quo Capitulũ interpretabatur, intellexiſſe: nec in exemplo quod in ſuis oris aſſeruabatur, ſingularem Religionis mentionem fieri. Cum itaque durum atque periculoſum fore exiſtimarent, in re tam dubia, tantique momenti, temerè aliquid determinare, idque prius quam Cæſar ipſe, totumque Electorum Principum atque Ordinum Imperij concilium certi aliquid ſtatuerit, pacemue compoſuerit (id quod iam in manibus eſſe cognouerant) flagitare ſe ſupplices, vt Capitulum cœpto negotio ſuperſedeat: omnemque ſimultatem atque diſſentionem, vſque in Imperi diffinitionem ſuſpendat. quidquid ab Imperatore atque ipſis Ordinibus, quos Archiepiſcopus legitimos ſuos Iudices agnoſcebat, determinatum fuerit, id ſe ſumma cum obſeruantia facturos, promittebant.

Poſtquam Truchſeſius VVerlenſibus Auguſtanæ confeſſionis exercitium permiſiſſet, confeſtim inuenti ſunt qui illud approbarunt. Inter alios verò Euerardus Reck public⁹ Notarius, Iohannes Dunckermannus, & tres Hengſtenij, Hermannus, Fredericus, & Georgius. His conſilia conferẽtibus quid in hoc negotio factu opus eſſet, tandem viſum eſt, ſingulos, qui alterius, quam Catholicæ fidei ſuſpecti erant, conuenire, & percontari, vellentne mandato Truchſeſij parere an non? maturè ſecum deliberarent, & poſtridie in Sacellũ D. Nicolai venirent ſententiam ſuam dicturi. Poſtridie itaq; ad dictum locũ magnus hominum fit concurſus, qui ſe inuicem iureiurando conſtrinxere, quod incœptum Truchſeſij promouerent, eiuſq; man-

Digitized by Google

datis ſatisfacerent. Hic Reckius ipſis literas Truchſeſij de ſcripto recitat,& diligentiſſimè enucleat;mox doctrinam Papiſticam (ſic enim per ludibrium Catholicam appellabat) multis nugis figmentis, & maledictis exagitauit: hanc explodendam, & in vltimos terræ fines deportandam, Auguſtanam confeſsionem corpore & anima,opibus & ſanguine introducendam eſſe, ſuaſit: & indoctæ plebeculæ,erroris magiſtro(quę tamen pleraq; Catholica erat)pernicioſa ſua facundia perſuaſit. Fiebant hæc omnia Senatu ignorante, vel non conſentiente;vt qui Catholicus Catholicæ religionis exercitium zelabatur. Paulò poſt Senatui libellus ſupplex porrigitur,quo Confeſſionis Auguſtanæ publicus vſus,iſque in Parochiali Ecclesia petebatur. Senatus verò petitionem illorum reiecit.Reckius videns libello ſupplici nihil impetratum,complices ſuos iterum in ſacellum prædictum conuocauit,& quid factu opus eſſet,ipſos conſuluit.Creuit paulatim illius audacia,& quotidie in plenum Senatus cõſeſſum,cum ſuis venit; importunè poſtulans religionis libertatem : ſed repulſam ſemper paſſus,minabundus, fremensq; diſceſſit. Tandem viſum eſt eandem rem armatis precibus periclitari: venitq; tota manus ab eo ſeducta,ſubornata atq; incitata in curiam,& niſi Senatus populo voto velit annuere, extrema quoque minati ſunt.Sed duos conſules Gerardum Brandes & Ioannem Godde,viros Catholicæ religionis amantiſſimos nulla vis,nullæ minæ, nulla iniuria, nulla periculi tempeſtas,aut honoris aura labefecit, & de ciuitate maluerunt, quam de ſententia dimoueri. tandem increſcente popularium tumultu,cum vires reſiſtendi non adeſſent,proteſtatur Senatus: ſe nihil eorum quæ in præiudicium Catholicæ religionis inſtituerentur approbare: quod ſi vulgus aliquam nouitatem introducat, id ſuo periculo faciat: Senatum modo impedire non

poſſe.

poſſe. Confeſtim patritij Ioannes Mellin & VVilhelm⁹ Bock ſeſe tumultuanti populo adiunxerũt.

Reckius & complices, vt incœptum opus ad optatum finem perducerent, ad conuentum Arensbergenſem ſuos legârunt, qui cauſam ſuam agerent, & miniſtrum Verbi maiusque præſidium in arce collocandum peterent. quod nullo negocio impetrarunt: & quidquid à Catholicorum Legatis proponebatur, id ſuperuenientibus Hermanno Hengſtenio & Henrico VVert denegatum fuit, aut impeditum ne effectum ſortiretur.

Truchſeſius autem, vt oſtenderet ſibi Legationem Reckij & ſuorum gratam fuiſſe, ſtatim aulæ ſuæ concionatorem Valẽtinum Schoneg, vnà cum præcipuo ſuo Conſiliario Ottone à VVolmerichhauſen VVerlam miſit: quo cum veniſſet Valentinus, honorificè exceptus, ipſo Annunciationis B. Mariæ hora octaua (exercitio Catholico cum ſumma celeritate & quaſi per tranſennam peracto) ſuggeſtum conſcendit: initio aliquamdiu cantillatum eſt, id protaſis fuit. Inde ad epitaſin ventum eſt: Miniſter particulam textus paſſionis Dominicæ ſuo modo explicauit. Tandem cataſtrophen ſubiecit & expanſis velis in Monachorum & Monialium mores inuehitur. Finita hac concione, auditores Truchſeſianum hunc Ludgerum nouum VVeſtphaliæ Apoſtolum cum honore ad hoſpitium comitantur, & cum eo cuticulam genialiter curârunt. inde collatione facta, cum non contemnendam pecuniæ ſummam è ſuis collegiſſent; hoſpiti abundè ſatisfactum eſt, & Miniſtro pro præſtita opera honorarium & magnificum legatiuum donarunt. Contribuerant enim qui huius factionis erãt penè omnes: etiam hi, quibus erat vix nummus in arca, niſi quod quidam muſſitantes, ad ſaniorem mentem reuerſi, dicerent: ſi Euangelium Truchſeſij pecunia redimendum ſit, ſe iam ad ſatietatem illud audiuiſſe. Habere ſe proprium Paſtorem, eum ſibi ſatisfacere poſſe. Poſt-

Poſtquam verò Valentinus Schoneck plenis loculis VVerla diſceſsiſſet, multum ſoliciti fuêre huius nouitatis auctores, quomodo cœptum opus continuarent. id fieri non poterat, niſi perpetuum Miniſtrum in locum Valentini cooptarent. Commendata eſt huius negotij cura VVilhelmo Bock, Hermanno Hengſtenio & Reckio, vt circumiacentes pagos & oppida luſtrarent, ſi quis alibi Miniſter latitaret, qui opimam hanc conditionem velit acceptare, curſitatum eſt ſurſum atque deorſum, ſed quia meſſis copioſa, ſcilicet, & operarij pauci, ante feſtum Paſchæ neminem potuerunt inuenire qui Prouinciam hanc ſuſcipere voluit. Tandem repertus eſt Paſtor in Hilbach, quem magnis pollicitationibus ſolicitarunt, vt ipſo die feſto VVerlæ concionaretur, vt cœnam (fortè ientaculum) adminiſtraret. at occupatiſſimo illi Paſtori minimè integrum erat proprias oues deſerere, & ad alienum ouile tranſire. De hoc Paſtore bono à viris fide digniſsimis ſic ſcribitur: Henricus de Statloen (hoc ei nomen eſt) monachus fuit Paderbornenſis, in Monaſterio Ebbinckhouenſi poſtea factus Procurator. Multis itaq; negotijs cæpit innoteſcere, & tandem in conſuetudinem vxoris cuiuſdam ciuis incidit. Habebat claues templi, & quoties lubitum fuit intempeſta nocte monaſterio exire, & ad mulierem hanc intrare potuit. Quod facinus tandem ad aures Abbatis delatum eſt; qui Procuratorem in carceres coniecit. Cum verò flamma illa nonnihil deferbuiſſet, iuramento præſtito, quod vitam emendaret, & tali ſe ſcelere poſthac non pollueret, liberatus eſt. At paulò poſt, ſus ad volutabrum reuerſus, reuiuiſcente libidine, vt eam exatiaret, noctu ſcalis muro applicatis, ad mulierculam ſuam redire voluit. ſed aut ebrius, aut tenebrarũ iniuria impeditus, ab alto delapſus, alteram tibiarum fregit, quo infortunio adhuc claudicat. Sanitati priſtinæ reſtitutus, monachum

exuit,

exuit, & in Diœceſin Bremenſem ſeſe contulit, Concionatoris officium ambiens. ſed receptus ibi non eſt. Tandem intellexit in Hilbach Miniſterium vacare. Eſt autem Hilbach pagus in Comitatu Markenſi, in ipſis Colonienſium, & huius Comitatus terminis. Collatio verò curæ paſtoralis huius pagi Curioni Budericenſi competit. Venit itaque ad hunc Paſtorem Frater Henricus, & literas Collatori oſtendit, quæ teſtabantur eum ex Diœceſi Bremenſi natum, & pium Catholicę religionis eſſe Sacerdotem. Collator nihil mali metuens, in eum curā hanc confert. Sed quia ſine licentia Officialis VVerlenſis ad hoc munus promoueri non potuit, venit VVerlam, & in præſentia Officialis & Sigilliferi ſeſe examini Catholico ſubiecit. iāq; admittendus iuſiurandū & voce & ſcripto dedit ſe Catholicū eſſe, Catholicè concionaturū, & quam diu viuat in Catholica religione perſeueraturum eſſe. Sed cum iam aliquamdiu officio ſuo functus eſſet, iuramenti immemor, in Catholicam religionē inuehi, eamq; condemnare auſus eſt. Mox Niſā quandam Paderbornenſem, quæ eum inſequebatur, ſibi illicito matrimonio copulauit. Habebat hæc Niſa fratrem quendam ſcrutarium aut circitorem pauperrimum, quem ſtatim ſibi cuſtodem cooptauit.

Sed ad zelum Reckij, & aliorum reuertamur. Cum itaque Fraterculus hic operam ſuam VVerlenſibus denegaret, Reckius Hammum contendit, & cum alium Miniſtrum habere non poſſet, Copium adduxit. Is (vt in edito libello Germanico inueni) totus pannoſus erat. Viſum eſt itaq; Reckio aliquamdiu in ſuburbio ſubſiſtere, donec veſtimenta adferrētur: metuebat enim populum arbitrari poſſe, ſub ſordido palliolo, nullam latere ſapientiam. Is itaq; Copius, cum toto hoc feſto declamaſſet, tandem nouū Præfectum arci Carthauſen acceſſit, poſtulans annuam ſui laboris mercedem. Sed Præfectus tanti Euangelium non emens, hone-

Digitized by Google

honeſtè recuſauit. Quod cum vidiſſet Copius, VVerlenſes deſerens, ad ſuos reuertitur.

Qui verò Copium adduxerant, metuentes fieri poſſe, vt aliquando alius Miniſter, aut hoc nudior, aut æquè nudus huic ſuccederet veſtibus, quibus nuper eum operuerant iterum excuſſerunt, datoq; viatico dimiſerunt. Hæc ex libello Germanico. Poſt illum hanc nouellam Eccleſiam Frater Henricus à Statloen aliquandiu rexit: ſed quia ſuum munus in Hilbach relinquere noluit, & vtrique Eccleſiæ ſimul præeſſe non potuit: viſum eſt ſcrutarium illum, quem paulò ante cuſtodem, nunc deinceps Miniſtrum, & Verbi concionatorem creare.

Tandem Caſparus Matthei curam Synagogæ VVerlenſis ſuſcepit. Hilbacenſis itaque itineris, & moleſtiarum pertæſus, VVerlenſes quoque (vt alij ante illum) deſeruit: miſitque eo affinem ſuum ſcrutarium & cuſtodem, qui Vicariam operam ſuam Caſparo elocauit. & inſignem Aretologum ſeſe præbuit.

Ceterum cum Abbas Ebbechouenſis iam certior factus eſſet, Monachum ſuum Paſtorem profiteri, & Catholicam religionem perturbare, ſcribit ad Officialem, Monachumque duodecim ſcelerum grauiſſimorum reum peragit, quæ breuitatis gratia præterimus.

Hulcraedt capitur. Dux Fredericus nunc aliquot dies in oppugnando caſtro Hulckraed totus fuerat, per colliquias & incilia aquam quæ in foſſis erat, aliò deriuârat, foſſasque permeabiles reddiderat. Cumque maiora aliquot tormenta, quæ in eum vſum Sereniſſimus Iuliæ Dux ei (reclamantibus nonnullis) ſubmiſerat expediuiſſet; dies noctesq; ijs muros verberaſſet, eos tandem aperuit.

Cum autem præſidiarij Ducis ſedulitatem, commoditatemque arcis expugnandæ viderent, ſubſidijque ſpem omnem abijcerent, certis quibuſdam

buſdam condicionibus ſeſe dediderunt. quos omnes ſex aut ſeptem ſolummodo detentis) in gratiam Dux recepit, liberosque dimiſit, & poſtridie ouans in vrbem reuerſus eſt. vbi aliquamdiu vt ſeſe refocillaret, permanſit.

Dum hæc geruntur, in ſuperiori Diœceſi Salentinus Linſenſes, Arvvilerenſes, & pręfecturam Aldenroden in fidem Capituli accepit, eoſque iuramento conſtrinxit, à Capitulo ne deficerent. Comes verò VVernerus à Rifferſcheit, Archimareſchallus Diœceſis, militem conſcribebat, à Capitulo ad id ordinatus: quam ob rem Præſidiarij Bonnenſes vicinum eius caſtellum Alfter, quod iuxta illud ſitum erat Monaſterium, ex mandato Caroli Truchſeſij, omnibus quæcunq; obuia erant ſublatis, ſpoliàrunt. *Comes VVernerus à Rifferſcheit militem conſcribit.*

Erat in agro Bonnenſi, non procul ab oppido inſigne Monaſterium ab Archiepiſcopo olim conſtructum, Dietkirchen appellatum, opulentiſſimè dotatum, & ſacris Virginibus, quæ & genere & moribus nobiles erant, habitandum à fundatoribus donatum. Debuiſſet Gebhardus tam ſanctam Deceſſorum ſuorum fundationem venerari, tuerique: ſed ille ad fatalem iſtius aliorumque Monaſteriorum ruinam natus, illud per fratrem Carolum euerti, demoliri, atque exſcindi fecit. Atque hæc in ſuperiori Diœceſi fiebant, dum interim in inferiori Nuenarius, vocatis ex Belgio Anglis ac Scotis nonnullis, Oppidum Berkenſe in Rheni ripa poſitum, aſtu occupauit. Ingreſſus autem ſtationibus diſpoſitis, confeſtim cum reliquo milite in templa & ſacras ædes irruit: ſupellectilem conſecratam diripuit, Sanctorum imagines confregit, nihilque intactum impollutumúe atrociſſimus Catholicæ religionis inimicus & hoſtis, reliquit: poſtea quoque in Eccleſiaſticos homines crudeliter ſæuitum eſt. *Fundatio & euerſio Monaſterij Dietkirchē.* *Nuenarius Berkam occupat.* *Templa diripit.*

Imperator Archiepiſcopi Colonienſis pertinaciam

Digitized by Google

ciam conſiderans,ſolicitusq; ne ex defectione huius Diœceſis,Germania tota grauiſſimis motibus concuteretur, tertiam ad Archiepiſcopum legationem decreuit,eamque Iohanni Preiner, Baroni in Stubing,Fladniz & Rabenſtein dedit: ſperans vel tandem ſaniori conſilio locum fore. Legationis autem hæc erat ſumma:

Tertia Cæſaris legatio ad Truchſeſium quam Preinerus obiuit.

Suam Maieſtat.iam duorum Legatorum ſuorum relationes accepiſſe,eſſe nihilominus in eadem opinione, vt nolit Electori Colonienſi, in eo quod ordinem ac religionem ſuam mutare, auitam fidem abijcere,& matrimonium amplecti decreuerit,nequaquam ex ſua perſona imperare, aut modum,rationemq; præſcribere:ſcire tamen ſe,quid in hoc caſu conſtitutiones Religionis concordiæ definiant, atque decidant. Ceterum quoties Sua Maieſtas in mentē reuocaret antiquam illam multumque laudatam familiam Truchſeſiorum in VValpurg, & virtutes Maiorum ſuorum, qui tot ſæculis in Chriſtiana Religione conſtanter perſeuerarunt, cuius beneficio non tantum in politicis Sacri Romani Imperij adminiſtrationibus, apud Suæ Maieſtatis auos Romani Cæſares, & Reges, celebremque domum illam Auſtriacam: ſed & in Eccleſia Catholica ad Principum dignitates, atque officia ab omnipotenti Deo electi, atque promoti ſunt: quoties etiam meminiſſet qua via atque profeſſione Gebhardus ipſe ad Archiepiſcopatum Colonienſem,ſublimemque Electoratus honorem peruenerit, quid in inaugurationis veſtibulo primum Capitulo, inde Diœceſi, poſt Electoratus Collegio,ante omnia verò Pontificis Sanctitati ſolenni cum iuramento promiſerit,ac proinde à Sua Maieſtate indultum,facultatemúe politicæ adminiſtrationis obtinuerit:quoties (inquam)hæc Cæſar cogitaret, toties ei hanc tam præcipitem atque inopinatam alterationem, repudiationemque & reiectionem omnium, tan-

ta cum ſolemnitate iuriſiurandi confirmatorum (præſertim cum nec Suam Maieſtatem, nec reliquos Electores Eccleſiaſticos vnquam de hac re præmonuiſſet, aut eis vllam iſtius ſuſpicionem inieciſſet) vehementer admirari. Nihil itaque Cæſari optatius accidere poſſe, quàm vt Archiepiſcopus propoſitum ſuum diligentius examinet: cogitetq;, quanta futura ſit infamia, ſi ipſe primus in ſua familia, non tantum parentum ſuorum tot ſeculis cultam obſeruatamque Religionem, ſed & omnia prædicta iuramenta violet, atq; infringat.

Diœceſanos quoque vtriuſque ordinis homines, ſub prætextu pietatis alicuius, ad ſimilem perfidiam inuitet: ac proinde in vicinis Prouincijs primùm, deinde in vniuerſa Germania nouos tumultus, peſtiferaſque ſeditiones concitet. Hæc tamen omnia præterire, atque vt horum Elector ipſe, tam coram Deo, quam Eccleſiaſticis Principibus cauſam dicat, relinquere, etiam de matrimonio ſuo diſputare nolle. Ceterum quod ad reſiduum illud, nimirum quod Elector, eiurata nunc Religione Catholica, aliaque reaſſumpta, Archiepiſcopatus, Septemuiratusque dignitatem ſibi retinere in animum inducat, ſuum propoſitum illud opibus & ſanguine propugnare decernat, ferendum Cæſari non eſſe: cum omnia politica, atq; Eccleſiaſtica iura reclament: præſertim cum & Religionis approbata, totiesq; repetita & confirmata concordia, manifeſtiſſimè repugnet. ipſius etiam Archiepiſcopi promiſſiones & iuramenta, Eccleſiæ ſtatuta, Aurea Bulla, Electorum vnio, & patriæ ſanxiones, reluctentur. Proinde hoc negotium non ſolum Gebhardum illuſque conſcientiam, verum etiam ſuam Maieſtat. omnes Catholicos Electores, & Principes, ante alios verò Eccleſiaſticos Electores, quibus Imperium haud ſecus quam ſecularibus innititur; denique & Roman. Imperatorem, tanquam Eccleſiæ ſupremum aduo-

Digitized by Google

aduocatum concernere. Prętereà Imperij definitionem & Religionis pacē in hoc caſu diſponere, vt:

Si quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Antiſtes, aut alius ordinis Eccleſiaſtici à Religione veteri deficiat, is continuò decedat ab Epiſcopatu ſuo, præfectura, beneficio, ſimul omnibus etiam fructibus, quos inde percepit (quod tamen ad nullam eius infamiam pertinebit) & Collegio, ſiue ijs ad quos ea res iure atque conſuetudine pertinet, liceat in eius locum eligere, ſeu conſtituere alium, qui ſit veteris Religionis.

Hanc pacis conditionem, haud ſecus quam alias omnes, ipſum Archiepiſcopum non ſolum in Electoratus vnione, ſed & ante ſuo Collegio, Diœceſique, ac tandem pro confirmatione obtinenda ipſi Pontifici ſe conſeruaturum promiſiſſe, ſanctèque iuraſſe. Facili ergò negocio ipſum intelligere poſſe, quo iure, quaue iniuria, quâ conſcientia, aut quo prætextu poſt mutatam religionem, deſertamque fidem (in cuius profeſſione ad Archiepiſcopatum ſemel electus, & confirmatus: cuius beneficio quoq; ab Imperatore indultum, atque licentiam politicæ adminiſtrationis obtinuerat) Diœceſin, eiuſque prouentus & commoda ſibi per vim reſeruare, eius quoque ſubditos populos, ciuitates atque ordines ſuo ſub imperio detinere machinetur: nec ignorare, qua fronte Cæſar, ratione officij & iuramenti ſui, tam inauditam nouitatem, tamque nefarium Imperij Rom. ſchiſma (cum tot iam ſeculis maximo Germanicæ nationis, commodo obſeruatarum Imperij conſtitutionum, celebriſque Electorum Collegij interitu, Eccleſiaſtici Ordinis, veræque & antiquæ Catholicæ Eccleſiæ extirpatione) diſſimulare auderet, aut quam ſuæ indulgentiæ cauſam & rationem

reddere

reddere poſſet? Icc irco Imperatorem ex ſingulari, paternoq; affectu, quo Maiores ſui ſemper Truchſeſios in VValpurg complexi ſunt, quo & ipſe Cæſar toto tempore ſuæ adminiſtrationis ipſum Archiepiſcopum proſecutus eſt, nec non & deinceps proſequi vellet, hanc tertiam legationem ad ipſum miſiſſe; vt in Imperio tranquillitas conſeruaretur, omnium domeſticarum ſeditionum, ciuiliumque diſcordiarum occaſiones amputarentur: omnis ignominia atque infamia, quæ primum ipſum conſequeretur, deinde etiam in familiam ſuam deriuari poſſet, euitaretur. deniq; vt omnia pericula, & incommoda quæ ſuo incœpto, tam in Diœceſi Colonienſi, quam in toto Imperio promanari poſſent, remouerentur. Et nunc tertio Archiepiſcopum per hunc Legatum ſuum admonere, ſedulò conſideret, animoque indefeſſo perpendat, quàm diſtrictam rationem, tam coram Deo, quàm hominibus, huius tam illiciti, ſeditioſi atque interdicti propoſiti ſui reddere debebit: quam immenſam (ſi ſic pergat) iram atque vindictam Dei ſibi theſaurizabit, in quas inextricabiles difficultates, irreparabilia damna, & periculoſa bella (ſuæ priuatæ voluptatis aut commoditatis gratia) chariſſimam patriam ſuam, ac proinde totum Chriſtianiſmum ſuum præcipitabit. deniq; quantos animi dolores, quantaſque ſolicitudines amicis & cognatis ſuis ſit pariturus. Quod ſi verò laudabilis memoriæ parentum ſuorum fidem & Religionem ſemel acceptam deſerere prorſus ſibi decretum ſit; monere illum Cæſarem, vt ſecundum præmiſſam Imperij conſtitutionem, pacisq; Religioni datæ condicionem, & proprium ſuum iuſiurandum, Diœceſis adminiſtrationi cedat: prouincias, populoſque iuramento ſibi præſtito exoneret, Diœceſin omnem, eiuſque prouentus tanquam ſuæ Maieſtatis, ac Sacri Rom. Imperij feuda atque Regalia deſerat, atque arma deponat.

Ne conſcientiam ſuam violenta atque iniuſta poſſeſſione bonorum, quæ ad alios pertinent, oneret: neque per diuturniorem negationem, armatamq; vim prædictorum incommodorum det occaſionem. Hoc modo ipſum Cæſari gratificaturum, ſeſeque & Imperatorem multis moleſtijs & difficultatibus, excempturum.

Hæc erat legationis ſumma. Gebhardus verò (vt cuius animus iam occalluerat, amore atque illecebris mulierculæ ſuffaſcinatus, peſſimorumq; hominum ſuaſionibus incantatus) nec conſcientiæ ſtimulos ſentiebat, nec ad ſana Cæſaris conſilia animum attendebat: vt verò iniquiſſimæ ſuæ cauſæ pigmenta, fucumque puerilem illiniret, ſequenti die ad Cæſaris poſtulata reſpondit.

Gebhardi reſponſio ad legationem Cæſaris.

Se Cæſaris petitioni, ſalua conſcientia, prouinciarumque & populorum ſibi à Deo creditorum ſalute ſatisfacere non poſſe: præſertim ijs in rebus, quæ vel ad religionem, vel ad matrimonium ſuum ſpectarent. Remittere itaque Cæſarem ſecundò ad Apologiam ſuam. Addidit & illud: nihil ſe ſupplicio dignum commiſiſſe, neque ſe aliqua re ſibi collatum Electoratum violaſſe, nec propter matrimonium in Eccleſiaſtico ordine contractum eo priuari debere. Ceterum Deum præcepiſſe omnibus hominibus, manifeſtos errores vitare, & ipſi magis, quam hominibus obedire. Se verò nunc Papatus errores cognouiſſe. Ideòque confidere, nec Imperatorem ipſum, nec aliquem æquum in Imperio Electorem & Principem, hanc diuini mandati obſeruantiam, cognitorumque in Papatu errorum repudium, pro polluta fide, violato iuramento, aut delicto pœna digno: ſed pro laudabili ſuorum ex ignorantia commiſſorum criminum agnitione, emendationeque & diuina inſpiratione habiturum.

Quantum verò ad Eccleſiaſticorum exceptionem, in religionis concordia poſitam; cuius virtute

tute ipſi Colonienſi Electori, per defectionem ſuam à Catholica religione, & ſubſequens eius coniugium, imperium ipſo facto atque Archiepiſcopatus adimendus eſſet, aut potius ſeipſum ijs deturbaſſet. Huic exceptioni ſe aſſentire non poſſe dicebat. Homines enim id quod Deus vel pręcepit, vel indulſit, criminoſum facere non poſſe. Euangelicos quoque & Auguſtanæ confeſſionis ſocios, tam intolerabilem, atque ipſis conſcientijs moleſtam exceptionem, ab ijs qui Romanam religionem defendebant excogitatam, nunquam approbaſſe, ſed ab initio conuentus anno 1555. coacti, vſque ad ipſam religionis concordiæ definitionem, atque deinceps in omnibus ſubſequentibus comitijs, iuriſconſultorumque congregationibus damnatam, multaſque proteſtationes contra hanc exceptionē factas eſſe: atq; etiam inter alias hanc:

Quod ſi contingat aliquem Eccleſiaſticum, ob Auguſtanam Confeſſionem ſuſceptam, à ſua dignitate, beneficio vel officio remoueri. Electores alioſque ordines in conſcientijs ſuis liberos fore; in iudicio, vel extra iudicium, eum qui remotus eſt, non condemnaturos, nec ipſo facto, nec conſilio, aut alia ratione eundem perſecuturos.

Cum itaque ſecundum omnium circumſpectorum hominum, cuiuſcunq; Ordinis vel condicionis iudicium, nulla firmior pax, aut nulla diuturnior & ſecurior tranquillitas conſtitui queat, ea, quæ libertati conſcientiarum nititur: ſe Cæſarem exoratum velle, vt quod in præſentiarum nullam aliam reſponſionem ad eius petitionem (prohibente id cōſcientia) reddere poſſet, ſe excuſatū habeat: atq; immorigeros ſuos Capitulares, præcipuè Choriepiſcopū Saxoniæ &c. Ducem Fredericū

(vt qui ante alios ei moleſtior erat, iactitans etiam ſibi id Cæſarem in mandatis dediſſe) coerceat, eiſque mandet, ne Archiepiſcopum ſuum in Chriſtiano ſuo propoſito, ac Diœceſis adminiſtratione impediant, ſed loca occupata ab ipſis ſtatim reſtituant, omniaque vel fraude, vel armata manu Archiepiſcopo ſublata vel erepta, confeſtim reddant: concitatiſque aduerſus eum motibus finem imponant. Quod niſi quam primum fieret, ſe ad defenſionem ſui, ſuarumque Prouinciarum (impellente conſcientia, rationem aliam initurum, alia media, in iure fundata, amplexurum: dominos & amicos ſuos, alioſque omnes Auguſtanæ confeſſionis Electores & Ordines, omnes denique Imperij vires, contra aduerſarios ſuos in conſilium & auxilium ſuum aduocaturum.

Hæc ad legationem Cæſaream Archiepiſcopi reſponſionis eſt ſumma. Cum verò generoſus & antiqua Nobilitate clarus Iohannes Preinerus obfirmatum eius animum cognoſceret, iamque compertum ſatis haberet, ſe nihil diuturniori apud ipſum mora effecturum, tandem relicto Archiepiſcopo, Coloniam eſt reuerſus.

Andreas Cardinalis Auſtriacus à Pontifice Coloniam legatur.

Præter duos nuncios Apoſtolicos Marchionem de Mala Spina, & Iohannem Franciſcum Vercellenſem Epiſcopum, præter internuncium quoque Minutium de Minutijs, Sanctiſsimus Papa noſter Gregorius, pro paterna ſua erga Eccleſiam Colonienſem cura, ad ſanandum (ſi fieri poſſet) vel ad abſcindendum (ſi neceſſitas extrema expoſtularet) putre hoc caput, nouumq; & integrum reſtituendum, etiam Andream Illuſtriſs. Reuerendiſſimum Sacræ Roman. Eccleſiæ tituli Sanctæ Mariæ Nouæ Cardinalem, Auſtriacum, Suę Sanct. Legatum, cum plena poteſtate, pro vt neceſſe erat ſtatuendi, Coloniam miſit. Cum iam in itinere eſſet, ditionumque Caſimiri (per quas illi proficiſcendum erat) finibus appropinquaret, à Caſimiro ſaluum conductum,

ductum, ſeu tuti itineris fidem, impetrare non potuit. Per Alſatiam itaque reuerſus, inde per Lotharingiam & Luxenburgum venturus, quotidie expectabatur, ſed vbique ſibi inſidias ſtructas à Truchſeſij fautoribus, certis auctoribus cognouit. Ea res vehementer Cæſaream Maieſtat. commouit, quæ confeſtim datis ad Caſimirum literis, acriter eum increpauit. Expectaſſe nimirum ſe hactenus aut vt quæ 8. Mart. ad ipſum ſcrpſerat, eiq; mandauerat, debita cum obſeruentia præſtaret, multiplicem vero famam diuulgari, eum in conſcribendo exercitu procedere, iamq; non exiguas copias ſub ſignis habere, quas breui diribitorio propè VVormatium aſſignato, luſtraturus eſſet, neque tamen Imperatoris placitum aut licentiam ad illud petijſſe. Hoc conſtitutionibus Imperij prorſus aduerſari. Quinetiam itinera eum circunquaque infeſta reddere, veredarios remorari, Rhenique nauigationem adeò impedire atque intercipere, vt ne his quidem, quos ipſa neceſſitas ad profectiones impelleret, tutus vſquam tranſitus pateret. Suæ inſuper Maieſt. fidem factam, eum ante paucos dies in Legatum Apoſtolicum, Illuſtriſſimũ ac Reuerendiſs. in Chriſto Patrem Dominum Andream S.R.E. tituli S. Mariæ Nouæ Cardinalem Auſtriacum, Chariſſimum S. Maieſtat. patruelem, eandem violentiam vſurpaſſe, eidemque, non obſtante interceſſione Patris ipſius Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, &c. nec quod ipſe tam ab Electore Comiti Palatino, quam etiam à Caſimiro ſaluum conductum flagitauerat, non tantum violenter itinera interclusiſſe, ſed & famulos illius nonnullos apprehendiſſe, & fortaſſis adhuc captiuos detinere. Quæ omnia quam Suæ Maieſt. mandato, ſacrique Rom. Imperij ſtatutis repugnarent, ipſum Caſimirum non præterire: quæ nec ipſi, nec cuiquam in Imperio alienis cauſis ſe immiſcere, exercitus conſcribere, militem recenſere, multò

Cæſaris literæ ad Caſimirum.

Digitized by Google

minus regias & publicas vias fidelibus ſubditis aut Principibus, nequaquam verò Legatis, qui etiam iure gentium pacificè proficiſcuntur, intercludere, permitterent. Hæc Cæſarem in admirationem rapere, & Caſimiro ſecundò & ſeriò mandare, atq; omninò velle, vt confeſtim milites Sacramento abſoluat, nulla in Imperio diſcordiarum ſemina ſpargat, nullam vicinis Principibus iuſtam querelarum cauſam præbeat, prædicti Cardinalis famulos, quos vel ipſe, vel ſui captiuos detinerent, ſine lytro liberos dimittat: neq; poſthac itinera temere infeſtare pergat. Quod ſi non obtemperare velit; cogitet ſua ſtudia multis Imperij Ordinibus, multiſq; externis diſplicere: facileq; fieri poſſe, vt & ſibi & alijs innocentibus hominibus tantas difficultates, tantaq; mala pariat, vnde ſe poſtea non poterit extricare, prudenter igitur agat & Cæſari morem gerat.

VVernerus Comes Rifferſcheittius in colligẽdo milite occupatus tunc erat, & conſtitutum numerum iam penè impleuerat; duxit autem eos in pagum oppido Bonnenſi vicinum, nomine Melem, vt prima data occaſione numerum iniret, & exercitum luſtraret. Extruxerat paulò antè in agro ſuburbano Carolus molendinum, pulueri tormentario conficiendo. VVernerus captata commoditate, iniecto igne illud incendit, incenſumque funditus deflagrauit. Bonnenſes tantam audaciam vindicare cupientes, poſtridie multa adhuc nocte, eruptione facta in Melem, nullo dato ſigno irruunt, atque procubitoribus interceptis, hoſtes profundo ſomno oppreſſos inuenerunt, punctimque & cæſim ferientes, magnam ſtragem ediderunt; pagum, qua parte Rhenum ſpectat, admotus ignis abſumpſit, quo incendio puluis quoque tormentarius correptus, primum fragore & flamma horribili, inde atra nube eleuatus, diſparuit. VVernerus elapſus, omnia impedimenta hoſtibus reliquit.

quit:qui recluſis ſarcinis,vexillum prætorium inuenerunt.Inde receptui canentes, non paucos etiam è ſuis deſiderārunt: cognoueruntq; iſtam victoriam ſibi non incruentā fuiſſe, ouantes nihilominus Bonnam reuerſi,hoſtile vexillū,trophæi loco,per forū circungeſtārunt,atq; deinde e telonio ſuſpendunt,vt à preternauigantib⁹ conſpiceretur.

Proteſtantes noua rurſus comitia VVormatiæ in 27.diem Martij edixerunt, de rebus Archiepiſcopi Colonienſis,vt certi aliquid ſtatuerent. Capitulum Colonienſe non ignorans illorum,qui eò proficiſcerentur, Principum atque Ordinum animos à Truchſeſio iam præoccupatos,noluit rebus ſuis deeſſe: ſed æquitatem cauſæ ſuæ ſcriptam, in diem conſtitutum eò miſit. Ceterum nuncius in Franckendal, oppido ab exulibus Belgicis Caluinianis,in finibus Prouinciç Caſimirianç,extructo, interceptus eſt,ac literis omnibus per vim ſpoliatus.Illi verò qui ad comitia indicta conuenerant, communibus decreuēre ſuffragijs,Electori Colonienſi opitulandum eſſe:præter duorum menſium ſtipendia, ipſi in vltimo conuentu Auguſtano addicta,alia ſex menſium adhuc decernenda eſſe:pari contributione perſoluenda: eaq; ad petitionem atq; inſtantiam eiuſdē Electoris,vt maximum ſpatio trium hebdomadarū,in ciuitate Magdeburgēſi &Frācofordienſi vel ei ipſi,vel alij ab eo cū auctoritate miſſo,in finem prædictū repręſentanda eſſe.

Dum hæc VVormatię aguntur, Archiepiſcopus in VVeſtphalicis ditionibus caſtra, ciuitateſque, partim vi, partim blanditijs, partim eiam dolis, ſiniſtriſque artibus, in ſuam poteſtatem aſſerebat.

Poſtquam enim arcem Horenburgenſem annona & bellico apparatu bene inſtructam per ſuos occupaſſet,de oppido VVerlenſi inuadendo cogitare cœpit,euentus ſtudio ſucceſſit.Erat in hoc oppido Prætor quidam Theodorus Lelier,is vel quod Gebhardi factiones non probabat, vel quod alia aliqua

Digitized by Google

cauſa ſuberat in ſuſpicionem apud Archiepiſcopum venerat. Satrapes tamen generalis eum defendere, atque in officio continere conabatur. Archiepiſcopus alium ſubſtituere volebat: per quem tutius, quod machinabatur, poſſet perficere. Multis rationibus apud generalem Satrapam, vt cui eius artes nondum erant exploratæ, inſtitit, vt à propoſito decederet, atque ſibi conſentiret, deque communi ſententia alium Prætorem crearent. Victus importunitate Archiepiſcopi Satrapes permiſit ei quem vellet nominaret. Ille itaque impetrato quod vrgebat, quendam Carthauſen iſto officio donauit; & ne quis huic obſtreperet, eiuſque auctoritas maior eſſet, Archiepiſcopus eum in arcem deduxit, atque illa occaſione arcem primum, deinde maiori paulatim præſidio admiſſo, etiam oppidum ſibi ſubiecit.

Mart. 28. Iohannes autem Caſimirus, infelicem expeditionem Belgicam propitiori fortuna compenſare, maiorique gloria exornare cupiens, in conſcribendo milite aſſiduus erat: vt autem id iuſtè facere videretur, Capitulum quaſi amicè admonuit, Archiepiſcopum iniuria laceſſere deſiſtat, re vera autem ipſi bellum denunciabat.

Ne ſe tam imprudentem (ait) tamque in circunſpectum exiſtiment, vt Archiepiſcopum Colonienſem, in ijs rebus, quæ contra Bullam auream, Religionis concordiam, pacta & iuramenta militant, defendere, aut ei in ſimilibus factionibus, opem ferre cogitet. ſed talem potius qui delinquentem commonefacere, & à delicto retrahere conaretur. Archiepiſcopum autem etſi non omnia approbet, quæ contra diuini verbi præſcriptum in Papatum irrepſerunt, tamen à fundamento veræ Apoſtolicæ Catholicæ Eccleſiæ, fideique non diſcedere. Abſque vlla quoque contradictione veriſſimum eſſe, atque in decreto de Religionis concordia literæ contextum manifeſtè arguere, il-

lam

lam Eccleſiaſticorum exceptionem, ab omnibus Imperij Ordinibus probatam non eſſe: ſed Auguſtanæ confeſſionis ſocios, eam pro articulo indifferenti, non autem obliganti interpretari: nec vt is insereretur, aſſenſum præbuiſſe, ſed contra potius proteſtatos eſſe. Tandem poſt multa argumenta (quibus Caſimirus Gebhardum excuſare, purgare & defendere fruſtra conatur) ſubijcit: Se Capitulares commonere præſenti ſuo ſcripto voluiſſe, vt confeſtim omnem hoſtilitatem auferant, arma deponant, externos milites Imperij finibus excedere iubeant, omnemque ſimultatem cognitioni & iudicio Cæſareæ Maieſt. ceterorumq; Imperij Ordinum ſubmittant. Sin autem hanc ſuam admonitionem contemnant, armata manu negocium vrgere pergant, atque (id quod breui ſibi ſuboluiſſe dicebat) opem Pontificis Romani aliorumque exterorum Principum nouum Archiepiſcopum vel Adminiſtratorem eligant, cogitandum ipſis eſſe, eos, quibus chariſſimæ patriæ defenſio, contra omnem externorum militum inſolentiam atque iniuriam incumbit, non dormituros: ſed debitam diligentiam adhibituros, vt hoſtes patriæ atque eorum complices coërceant. Sed etſi contingat ipſos nouum, illegitimum, ſubreptitium, vel vi intruſum Archiepiſcopum aut Adminiſtratorem eligere, ipſum Ordines non pro Electore Imperij aut verò Diœcete habituros: ſed modernum debitè electum, confirmatumque Archiepiſcopum & Electorem defenſuros, atque in dignitate, officio & vocatione ſua, contra aduerſariorum ſuorum violentiam conſeruaturos eſſe. Maturè itaque atque prudenter deliberent, ne ſera tandem pœnitentia factum ſubſequatur.

Hæc Caſimirus. Neque vanum erat hoc eius de Pontifice Romano præſagium. Sua enim Sanctitas (tanquam verus paſtor, cui Deus omnipotens ouile ſuum cuſtodiendum, oueſque paſcendas dedit:

cui officij ratione incumbit, oues tueri, lupum arcere, cauere ne quid grex detrimenti capiat) videns nullam de Gebhardo ſpem reliquam eſſe, eum gladio ſpirituali diuinitus ſibi commiſſo, à communione fidelium præcidit, & quaſi putridum aut emortuum membrum Eccleſiæ amputauit. Quod vt omnibus conſtaret Romæ, in ampliſſimo Cardinalium Senatu talis de eo lata eſt Sententia.

April. 1. ſtilo nouo.

GREGORIVS EPISCOPVS SERuus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

HVmani generis conditor ac redemptor, Et ſummus æternuſq; Sacerdos in cœlis rgnans S. Eccleſiam ſuam Catholicam ita Beato Petro, Apoſtolorum Principi, ac eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus regendam tradidit, vt ſuper Gentes & Regna conſtituti, poteſtatiſq; diuina principatum in terris obtinentes, quid in ea plantari, vel euelli, ædificari aut deſtrui opus eſſet dicerent, ac iudicarent.

Nos igitur in eadem Apoſtolicæ ſedis ſpecula, quamquam tanto oneri impares, ſola Dei miſeratione & gratia collocati, ad ſatisfaciendum muneri noſtro, eò ſolertius incumbere debemus, quò magis calamitoſi huius ſæculi tempeſtates ingraueſcere, & noſtram vndequaq; vigilantiam requiri, non ignoramus. Proinde, cum ex multorum ſermonibus & literis grauis iampridem rumor ad aures noſtras perueniſſet, de turpi & flagitioſa vita Gebhardi Truchſeſij, qui Eccleſiæ Colonienſi praerat, ingenti ſanè dolore, ex tam graui Eccleſiæ vulnere, & quacunq; potuimus ratione, ex charitate verè paterna, ad ſanitatem reuocare conati ſumus. Sed ille, vt erat peruerſo & obdurato animo, vèl literas noſtras ad ſe peruenire paſſus non eſt, vel ſi quas alias eadem de re accepit, & homines certos ad ſe hortatu noſtro à nonnullis principibus miſſos audiuit: ijs ita reſpondit, vt ſatis apparet,

ret, ſibi in animo eſſe, noſtrum, illorumq́ officium eludere, auctoritatemq́ contemnere, ac deterrima quæq́ cogitare & moliri, ſicuti paulò poſt re ipſa declarauit.

Nam præter alia enormia delicta, quæ antea ille patraſſe dicebatur, ſuperioribus diebus palam omnibus factum eſt, & nos multorum fide dignorum relationibus, & literis, aliysq́ authenticis documentis, & fama, voceq́ ipſa publica, notum & apertum habuimus, Ipſum Gebhardum cum primarys diuerſarum Sectarum hæreticis, continuam conſuetudinem habuiſſe, conſilia cõmunicaſſe, impium fœdus cum ÿs pepegiſſe, vt ſcilicet, poſt nefarias & ſacrilegas nuptias, quas animo deſtinauerat, Eccleſiam ſimul Colonienſem illorum ope atq́ auxilio retineret, ſcripto ſe ſemel atq́ iterum promulgato, ab Eccleſia Catholica defeciſſe, & in hæreſin incidiſſe, poteſtatemq́ ſuis ſubditis, eandem hæreſin amplectendam feciſſe: ac tandem publicis nuptÿs, cum quadam muliere, hæretico miniſtro conciliante, contractis, ſe coinquinaſſe, ac poſtmodum cum eadem prætenſa vxore, conuiuia celebraſſe, & choreas ac tripudia duxiſſe.

Bonnam inſigne Colonienſis ditionis oppidum, aliaque loca vi occupaſſe, præſidio militum firmaſſe, apertamque tyrannidem, Capitulo fruſtra reclamante, exercuiſſe. Scripturas omnes ad Eccleſiam Colonienſem ſpectantes & aurea, argenteaque vaſa, quæ Bonnæ cuſtodiebantur, corripuiſſe, & ſecum aſportaſſe, totam denique ditionem bellicis tumultibus & periculis implicaſſe, ac ſpiritualia, ac temporalia peſſumdediſſe. Igitur Nos, tot tantisq́ in hoc quaſi monſtrum congeſtis delictis, quæ adeò publica & notoria ſunt, vt nulla poſſint excuſatione, aut tergiuerſatione celari, commoti & impulſi, cauſæ huius cognitionem & deciſionem, à dilecto filio noſtro Andrea Cardinali ab Auſtria, cui tanquam legato noſtro commiſſa fuerat, auocãtes, & ad nos trahentes, ſacris canonibus, ac prædeceſſorum conſtitutionibus, contra hæreticos æditis inhærentes: quãquam enim propter præmiſſa, ab omni iure ſuo cecidiſſe dubitandum non erat: tamen vt id omnibus conſtaret re, cum venerabilibus fratribus noſtris, S. Ro. Eccleſiæ Cardinalibus cõmunicata, de eorũq́ cõſilio & aſſenſu motu proprio, ex certa ſentẽtia, ac etiam

etiam de poteſtatis plenitudine, ſupplentes omnem iuris defectum, ſi quis ſit in Conſiſtorio noſtro ſecreto.

Gebhardum Truchſeſium prænominatum, vti hæreticum notorium, & infinitis propè criminibus maculatum, ac periurum, & Eccleſiæ Romanæ rebellem, & excommunicatum, & anathematizatum, tanquam membrum putridum, ab Eccleſiæ Catholicæ corpore ſeparatum, dicta Eccleſia Archiepiſcopali Colonienſi, eumq; titulo, officio, dignitate & iure, quod ſibi ad eam quouis modo competere poſſet, nec non alijs omnibus dignitatibus, canonicatibus, beneficijs, officijs, penſionibus, iuribus, feudis, actionibus, & iurisdictionibus quibuscunq;, quæ hucvſq; quouis modo habuit & poſſedit, priuatum fuiſſe & eſſe, declaramus, & quatenus opus ſit, de nouo priuamus, Eccleſiamq; ipſam Colonienſem, & cætera omnia prædicta vacare decernimus, ac ad illa, aliaúe in poſterum obtinenda, penitus inhabilem fore ſtatuimus & mandamus.

Declarantes præterea, Si deinceps idem Gebhardus in his, quæ prius erant ſui muneris, ratione omnium ſupradictorum ſe immiſcere præſumpſerit, omnes & quoſcunq; actus, in quibus interuenire continget, nullius eſſe roboris & momenti, ita, vt nullo vnquam tempore firmitatem habeant, nec vigorem.

Quocirca Decanum, Canonicos, & Capitulum dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, omneſq; Parochos, ac vniuerſum ciuitatis ac Prouinciæ eiuſdem Clerum, nec non Vaſallos, Subditoſq;, & ciuitatum, oppidorum, locorum gubernatores, arcium præfectos, Officiales & miniſtros quoſcunq;, à iuramento, ſi quod ipſi Gebhardo præſtiterant, liberos, exemptos eſſe, ac nulla in re eidem obedientiam debere, ſimiliter ſtatuimus & declaramus.

Mandantes eiſdem, & eorum cuilibet ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrauenientes incurrant, vt poſthac Gebhardo ſuiſq; procuratoribus, in aliquo non reſpondeant ſeu pareant. Ceterum idem Colonienſe Capitulum ſeriò monemus, vt cum primum de hac priuationis ſententia notitiam habuerint, ad Electionem noui Archiepiſcopi termino competenti ad conueniendum, Canonicis abſentibus

tibus præfixo, omni mora ceſſante, procedant. Non obſtantibus priuilegijs quibuſcunq;.

Vt autem facilius hæ literæ ad omnium notitiam deducantur, Volumus, & eadem authoritate decernimus, vt earum tranſſumptis, manuſcriptis, vel impreſſis, & Notarij alicuius publici manuſubſcriptis, Sigilloq; perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, in iudicio & extra illud, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ & oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ auocationis, ſuppletionis, priuationis ſtatuti, declarationum, mandatorum, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis dominicæ 1583. Calendis Aprilis, Pontificatus noſtri vndecimo.

Eodem tempore Comitis Nuenarij ſupremus Menſor Engelbertus Lypius, Satrapes in Hohen Limburg, cum quibuſdam armatis, necdum tamen luſtratis copijs, in territorium Reckelinckhuſenſe venit propè Bottorp, ibiq; duos dies conſedit, tanquam locum iſtum pro diribitorio ſibi elegiſſet. Sed poſtridie, impulſore Oeconomo in Horenburg, VVeſterholtium verſus contendit, vbi cum ſuis receptus atque humaniter tractatus eſt.

Salentinus interea Comes Iſenburgicus, cum Arenbergio vxoris ſuæ fratre in ſuperiori Diœceſi; Fredericus verò Saxoniæ Dux inferiori bellum vrgebant, & in ſtudijs Truchſeſiorum debilitandis omnem operam conferebant. Nuenarius 300. equitibus ab affine ſuo Comite Bentingio miſſis Arenbergij exercitum laceſſere conabatur, ſed fortiter ab illo repulſus eſt. Saxo autem in pago quodam nomine Lanck cum 100. equitibus & vno peditum ſigno conſedit, Linnæ expugnationem aggreſſu-

greſſurus: eam enim non difficilem fore ſperabat: tum quia oppidulum non admodum munitum erat, tum etiam, quia in eum plurimum trepidabatur: Capitaneus enim Hamel, ab Hohenſaxio ex Gelria ſubmiſſus, cum ſua cohorte clam ſe proripuerat, obſidionem expectare non auſus. Eius fuga oppidi Pręfectus Hontſeler perculſus, deditionem meditabatur. Saxo itaque milite propius ad vrbem admoto, miſſoque Feciali, deditionem poſtulat, certiſq; confeſtim conditionibus ipſo Paſchatis ſolenni feſto impetrauit.

April. 2. Caſimirum iam ante in milite cogendo, atque Gebhardo auxiliando occupatum diximus. Sed quia immenſi ſumptus faciendi erant, nec ijs refundendis Gebhardus ſufficeret, Caſimirus ab eo pignus poſtulauit. Nō enim nunc ea tempora, non ij hominum mores, non ea noui Euangelij natura, vt gratis ſalutet: Gebhardus vniuerſam Diœceſin, quam nullo labore conſecutus erat, & de cuius continua poſſeſſione deſperabat, illi facilè oppignerauit, factisq; inſtrumentis publicis, primùm de iniuria & violentia cum Capitularibus ſuis, præſertim Frederico Saxoniæ Duce, expoſtulauit.

Inde ſe coactum dicit, aduerſus vim Hiſpanorum, quorum ope aduerſarij vtebantur, Illuſtriſſimum Principem, Chariſſimum amicum & fratrem ſuum Iohannem Caſimirum inuocare, vt ſibi equitatu & peditatu ſufficienti opem ferat. Vt autem de ſumptuum atque impenſarum faciendarum aut factarum reſtitutione certus ipſe ſit, ait, ſe amico ſuo, eius omnibus & ſingulis militibus, tam ſuo, quam ſuorum ſuccedentium Archiepiſcoporum nomine, Diœceſin ſuam Colonienſem, omnes illius ciuitates, vectigalia, prouentus, redditus, Arces quoque & Pagos, denique & ſubditos ipſos, cuiuſcunque Ordinis aut conditionis, ſine vlla exceptione, in optima iuris formula, eaq; firmiſſima oppignerare. Præterea vbi inter ipſum

Caſi-

Caſimirum, ſuoſque milites de expeditione conuenerit, promittit Gebhardus (vt omnis diffidentia tollatur) ſe Caſimiro ijs vrbibus, munitionibus & arcibus actutum ceſſurum, quas adhuc in Rheni ripa, ſuo ſub Imperio poſſidebat. Bonna ſcilicet, Bercka & Ordinga. Has, omneſq; alias, quas vel deditione, vel armis recuperaturi eſſent, Caſimirum ſuis præſidijs muniturum; ſibi, ſuiſque ſeruaturum, donec omnibus de impenſis factis meritiſque ſtipendijs abundè ſatisfactum eſſet. Quod vt firmum ratumq; eſſet, ait, ſe omnibus priuilegijs politicis & Eccleſiaſticis, quæ Caſimiro fraudi vel præiudicio eſſe poſſe[n]t, renunciare. Tandem per Principum, Electoru[m]q; verba fidemq; promittere, ſe ſine Caſimiri c[on]ſilio vel conſenſu, nullas, cum aduerſarijs ſuis, pacis conditiones initurum.

Die deinde ſubſequenti, Illuſtris Comes ab Iſenburg Salentinus Coloniam venit, & Capitulum, cuius olim & membrum & poſtea caput fuerat, ingreſſus, communibus Canonicorum ſuffragijs Imperator exercitus creatur: vt qui in toga optimè de Diœceſi meritus erat Archiepiſcopus, nunc ſua ſponte priuatus, in armis noua meritorum cumulis beneficia adijceret. *April. 3.*

Circa horam primam pomeridianam, diei eiuſdem, Engelbertus Lyppius copias ſuas in ſuburbia oppidi Reckelinckhuſenſis duxit: Conſuleſque ad colloquium vt prodirent poſtulauit: habere ſe quædam in mandatis, ait, quæ cum illis communicare debeat.

Qui cum ad eum veniſſent, cauſamq; aduentus quæſiuiſſent: ſibi mandatum eſſe ab Archiepiſcopo (inquit) vt præſidium in vrbem Reckelinckhuſenſem deduceret. aditum itaq; ſibi, ſuiſq; prębērent, & partem ſui exercitus in vrbem ad illorum defenſionem reciperent. Conſules verò tali nuncio accepto ſtupefacti, atque in futura tempora proſpicientes, difficultateſque ſibi, ſi pareant, immi-

nentes

nentes maturo conſilio ponderantes, ſeſe excuſarunt: ſibi milite opus non eſſe, ciues vnanimes eſſe, datam fidem polluere non cupere, ad arma, ſi neceſſe ſit, promptos vrbis defenſioni ſufficere, ab Archiepiſcopo ante paucos dies mandatum accepiſſe, neminem vt admitterent; aliud placitum nondum ſibi allatum eſſe; quod niſi prius adferatur, ſe nullum præſidium recipere poſſe, dicebant. petere itaque vt hoc reſponſo contentus, cum copijs ſuis quas adduxerat, diſcedat. Engelbertus ad hæc: Truchſeſium ſibi plus concredere, ait, quàm totum Reckelinckhuſenſe oppidum, omniaq; quæ in eo erant valebant. proinde ipſi ſpeciali mandato opus non eſſe, tantum 40. aut 50. viros admitterent, eos ad vrbis propugnationem ſufficere. Multas alias blanditias, multaque phalerata verba illis obtrudebat: nihil tamen tunc impetrare potuit. Magiſtratus enim trium dierum inducias ſibi ad deliberandum petijt, atque Engelberto honoris ergo vinum in ipſis portis liberaliter propinauit. Ille verò vnam tantam noctem ad conſultandum illis concedere voluit, & poſtridie ante horam nonam abſolutum reſponſum ferrent mandauit. Atque ita diſceſſum eſt. Poſt occaſum ſolis Engelbertus milites ſuos aliquot currus ſtramine onerari, & in colliculum oppido imminentem comportari iuſſit, vt portas (niſi ciues imperata facerent) confeſtim incenderet. Magiſtratus per mœnia portaſque ſtationes diſpoſuit, excubias agere diligenter, & in omne momentum ad pugnam paratos eſſe ciues præcepit. Eadem nocte Henricus Surlander ſenior, cum duobus filijs ſuis Stephano & Nicolao, atque alio quodam Iudoco Blanck ſeſe excubitoribus circumquaq; per mœnia commiſcuit, animos ciuium conſternauit, & vt Truchſeſiani in vrbem admitterentur, omnem induſtriam omnemq; diligentiam intendit. Se nec cauſam nec rationem inuenire, ait, cur Truchſeſiani

exclu-

excludi debeant; præſertim cum nondum ſacramento quo Gebhardo conſtricti tenebantur, abſoluti eſſent: & ij qui acceſſum cuperent, tam ſe benignos prẹberent, vt eorum petitio meritò repelli non poſſit: laudatiſſimum Archiepiſcopum Truchſeſium, Dominum & Principem ſuum, incorruptum Dei verbum per ditiones ſuas diſſeminare, & vnicuiq; tam Religionis, quam conſcientiæ libertatem indulgere. Perpendendum eſſe, quod ſi Gebhardi miles repulſam patiatur, Reip. capitale exitium imminere: omnes ciues in bonorum & vitæ diſcrimen venturos; id præſentiſſimum ipſis eſſe, cum iam Horenburgo & VVeſterholtio Engelbertus potitus ſit: nec difficulter quouis momento Dorſtenium in ſuam redigere queat poteſtatem.

His & ſimilibus perſuaſionibus tantam ciuibus formidinem incuſſit, vt plerique, relictis ſtationibus, anxij domum redierint, atque arma depoſuerint. Cum itaq; mane in ipſo crepuſculo diei Conſules ſtationes luſtrarent: compererunt bonam ciuium partem ſe ex vallo proripuiſſe. Tympani itaque ſigno ad concionem populo aduocato, ſententiæ rogabantur: exorta eſt itaq; medio foro vehemens contentio, animorumq; non minima diſſenſio: Henricus Auerdonckius iudex, & qui illi à libellis erat, alijque nonnulli Catholici ciues Capitulo parendum eſſe, pro eo contra Truchſeſium pugnandum eſſe, fortiter ſuſtinebant. Præualuit tamen Surlanderi pernicioſa eloquentia. Hora itaque pomeridiana prima 50. pedites in vrbem recepti ſunt, neque enim præſidio maiori ciues onerandos eſſe, promiſſum erat, (ſed quod huiuſmodi hominibus vſitatiſſimum eſt) minimè ſeruatum.

April 8.

Ludovicus Palatinus Capitulo.

Poſt definitionem comitiorum VVormatienſium (de quibus ſupra egimus) Palatinus Rheni Ludovicus per literas hortatur Capitulares, vt à

Digitized by Google

bello deſiſtant, nec maioribus iniurijs Archiepiſſcopum ſuum laceſſere præſumant; ne fortè propriæ Diœceſis ſalutem funditus euertant: eamque flammam in ſuis finibus excitent, qua paulatim increſcente, totum tandem deflagraret Imperium, nec vlla flumina ſufficiant ad illam reſtinguendam. Tempori itaque reſipiſcant, omnem hoſtilitatem (qua in ſuum à Deo conſtitutum Principem eos vti dicebat) ipſo facto tollant: ciuitates & arces vi occupatas reſtituant: Hiſpanos dimittant, atque omnis controuerſiæ deciſionem à Cæſare, ceteriſque Electoribus (quorum eſt tales cauſas cognoſcere) patienter expectent. Tandem poſt multa; ſe neſcire, ait, quomodo vel coram Deo, vel coram hominibus, hanc in Archiepiſcopum ſuum inſolentiam defendere poterunt: præſertim cum in proprium ſuum Principem, quem Deus honorari præcepit, tali tamque inaudito, rigido atque barbaro procedendi modo vſi ſint, quali nec in alienum & peregrinum vti debuiſſent, ſi Religionis & patriæ pacem violare noluiſſent. Fidelem itaque ſuam admonitionem diſcuterent, eiq; ſatisfacerent atque ab incœpto deſiſterent. ſi verò impulſu Pontificis Rom. aliorumque inquietorum hominum (à quibus nihil ſani expectandum putabat) ad noui Archiepiſcopi vel Administratoris electionem proceſſerint, eumque violenter introduxerint; præmonet eos, talem ſibi nec Electorem Imperij, nec legitimum caput Diœceſis Colonienſis futurum, id ipſum atque alios Coëlectores ſuos poſtremis ſuis literis latiùs ſignificaſſe. Quin etiam ſi ſuſceptum bellum vrgeant, plures Prouincias perdant, Rhenum infeſtent, Rheniq; tractum deuaſtent (quod ſine ſuo, aliorumque Principum ac populorum irreparabili damno fieri non poſſet) tamque inauditam in Imperio procedendi rationem non aboleant, ſe ſuoſque operam daturos, vt non tantum hoc, præter neceſſitatem ſuſceptum

bellum

bellum opprimatur, ſed etiam omnis damni atque iacturæ ab ipſis Capitularibus, tanquam auctoribus, reſtitutio repetatur.

Interea Cæſari certo nuncio certisque literis ſignificatum eſt, Gebhardum Archiepiſcopum Colonienſem vigeſimo ſecundo Martij, aut ſecundum nouam & Gregorianam ſcribendi rationem, primo Aprilis, à Beatiſſimo Pontifice Romano excommunicatum: omnique honore, officio & dignitate priuatum atque ſpoliatum eſſe. *April. 11.* *Gebhardus quando excommunicatus & priuatus.*

Cæſar autem tanquam obedientiſſimus Eccleſiæ Aduocatus & Propugnator, vt oſtenderet ſe hanc priuationem ratam habere, trium ſæcularium Electorum Legatis (qui in aula eius erant) in hanc fere ſententiam reſponderi mandauit.

Suam Cæſaream Maieſtatem, poſt lectas illorum honorarias literas, benignè, quid in cauſa Colonienſi agi velint audiuiſſe, idque etiam ex porrecto ſcripto intellexiſſe. Sibi & initia & progreſſus totius negocij comperta eſſe, nec excidiſſe ea quæ prædicti Electores 9. Ianuarij ad S. Maieſtatem ſcripſerunt: non dubitare ad hæc; quin illi omnia iſta optimo atque fideliſſimo affectu ſcripſerint, præſtiterintque: Perſuadere etiam ſibi quomodo Sua Maieſtas omnia illorum acta in optimam partem interpretabatur, ſic viciſſim illos, Cæſareas literas 16. Februarij ad illorum Celſitudines miſſas, non aliter quàm iuri atque æquitati conſentaneas, Suæ verò Maieſtatis officio conuenientiſſimas, comperiſſe. Grauiter autem atque indignè ſe ferre, tam inauditam in Imperio nouitatem ſuæ adminiſtrationis tempore, nulla ſua culpa intromittendam eſſe. Se verò, poſtquam non difficulter intellexerit, quantam hæc nouitas tragœdiam, quantas difficultates, incommoda atque damna, non tantum Imperio, ſed & toto orbe Chriſtiano paritura eſſet, non prætermiſiſſe (poſtulante id omnino Suæ Maieſtatis *April. 12.* *Cæſar reſpondet trium Electorum Legatis.*

Digitized by Google

officio atque iureiurando) vllam diligentiam aut vllam ſtudium, vt vel ab antiquis vſurpatum, vel ab ipſis iurium conſtitutionumque Imperij penetralibus petitum remedium, huic pullulanti malo (per quod impediri poſſet) adhiberetur. Deinde Cæſar ordine commemorat, ſcripta & legationes, omniaque, quæ tam apud Gebhardum, quàm ceteros Electores, Parmenſem & Arenbergium à ſe acta erant: conqueritur autem nihil his omnibus impetratum eſſe: ſed Gebhardum in ſuo propoſito obfirmatum permanere: inſuper etiam contra ſtatuta & pacta Diœceſis à bellorum Magiſtro clauibus extorſis Archiuum prouinciæ ſpoliaſſe. Principum donaria, aurea, argenteaque cimelia, Diœceſis diuitias ſurripuiſſe, & extra Diœceſin aliò tranſportaſſe. Quinetiam eum inſtitutum ſuum armata manu defendere, tantum non ſanum vllum conſilium admittere. Hæc omnia Suam Maieſtatem nuper Electoribus copiosè & manifeſtè ſignificaſſe: ita vt ipſos fugere non queat, quantum Cæſari intereſſet, vt hoc negotium oportunè ſopiretur: quantumque exoptauerit, vt omnis controuerſia inter Gebhardum & Collegium ſuum exorta, quamprimùm conteſtata, ſuo Electorumque maturo iudicio decideretur, priuſquam tantas vires acquiſiuiſſet.

Huius etiam adhuc ſententiæ Suam Maieſtatem eſſe, niſi obſtaret, Gebhardum (id quod heri ſe comperiſſe, ait) iamiam à Sanctiſſimo Pontifice Romano excommunicatum & Archiepiſcopali ſede atque dignitate priuatum eſſe: ita vt ipſius acta inpoſterum irrita ſint. Suæ nihilominus Maieſtati ad tollendam omnem ſimultatem; ad pacem, quæ inter vtriuſque Religionis Principes coaluit, ſecurè continuandam; & ad antiqua Sacri Imperij concordata, Bullam auream; aliaſque ſalutiferas, tam Eccleſiaſticas, quam politicas conſtitutiones inuiolabiliter obſeruandas: conſultiſſimum atque

maxi-

maximè neceſſarium videri; vt quam citiſſimè nonnulli ex Electoribus & Imperij Principibus, certo aliquo loco conueniant: de bello tollendo conſulant: deque alijs rebus neceſſarijs amiciſſimè, pro rei & temporis oportunitate, ſtatuant, atque decernant. Cæſarem hac de re iam ante Eccleſiaſticos Electores literis compellaſſe, illorumq; reſponſum quotidie expectare.

Quantum verò ad Legatorum petitiones, earumque appendices attineret, hæc Imperator reſponderi iuſſit. Initio quo ad externum militem in Imperium intromiſſum, Suam Maieſtatem nunquam quo id fieret aſſenſum præbuiſſe: imò potius ad Capitulum, vt dimitteret, & ad Parmenſem, Arenbergiumque vt reuocarent, eum legationem miſiſſe; ſcriptiſque literis id ab ijs poſtulaſſe. Hoc ex earundem literarum Apographo (quod Legatis oblatum eſt) manifeſtè conſtare.

Se quidem non dubitare, quin externus miles iam reuocatus ſit; tamen vt in omnibus Imperio abundè ſatisfaciat, libenter aliam legationem, cum abſolutis mandatis, ne diutius in Imperio is miles detineatur, ſe miſſurum eſſe. Præterea conſtantem & multiplicem famam ſpargi, Gebhardum non tantum Alenconium inuocaſſe, ſed ab ipſo Rege Franciç opem & ſubſidium flagitaſſe: cui vt ſatisfieret, Caſimirum iam copioſum exercitium collegiſſe, in eo aliquot Heluetiorum & Fräcorum milia ſtipendia merere. Comitem quoque Nuenarium auxilio Belgarum occupaſſe Berckam. Quæ omnia cum contra Imperij tranſactiones militent, Suæ Maieſtati hoc non minus quam cetera, neceſſarium videri, vt huiuſmodi quoq; aboleantur. Petere itaque Cæſarem ab Electoribus, vt ſuæ Religionis ſocios (apud quos ipſe hactenus nullam vel exiguam auctoritatem habuerat) vrgeant, ad horum externorum ſubſidiorũ miſſionem. Quod Electores poſtulabant, vt Imperator Capitulo

mandaret, occupatas vrbes & arces Archiepiſcopo reſtituere, & edicta contra eundem lata abrogare, ait Cæſar: id ſummam rei de qua contenditur concernere; quæ quamdiu compoſita non eſſet, & quamdiu Gebhardus in ſuo progrederetur inſtituto, negauit ſe quicquam hîc impetrare poſſe. id enim vel ipſorum Legatorum iudicio, rationi & ęquitati repugnaturum. Porrò quod petitum ſit vt controuerſia Suę Maieſtati & ceteris quinque Electoribus dijudicanda committeretur, id ſibi initio cum primis ſuis limitibus ipſa continebatur, non diſplicuiſſe. Verùm cum de ipſo Electoratus Ordine & loco agatur, numeruſque eorum diſpar ſit nec etiamnum ſibi conſtet, quid Eccleſiaſtici Electores ſentiant: optimum & commodiſſimum compendium ſibi videri, vt coram Suæ Maieſtatis Legatis, alijſque pari numero Electoribus & Imperij Principibus, dicto prius tempore & loco, res ipſa diſceptetur. & quod æquum, iuſtum, Imperioque vtile compertum fuerit, determinetur. De hoc conſilio quid Electores ſentiant ſe patienter expectare, deque eodem Eccleſiaſticorum iudicium & ſententiam rogari velle. Poſtremò quantum ad id quod à B. Pontifice Rom. petitum atque impetratum, id ſibi nunc compertum eſſe: Colonienſem nimirum depoſitum atque excommunicatum. Quod iudicium cum Electoratus aut ſecularem dignitatem non concernat, ſed Eccleſiaſticam tantum, nimirum Archiepiſcopatum; procul dubio Legatos, & cum primis eorum Principes non ignorare, quid de Electione Confirmatione & Priuatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum iura conſtituerunt. quid item Concordata nationis Germanicæ, & huc vſque laudabiliter obſeruatæ in Imperio conſtitutiones decreuerunt, ea Suam Maieſtatem ratione officij & iuramenti (vel ipſorum Legatorum teſtimonio) violare non poſſe. Eam itaque ſe beneuolentiam & pruden-

tiam

tiam Electorum ſibi polliceri, quòd non indignè laturi ſunt, ſi negocijs ad ſuam Iuriſdictionem ſuumque tribunal non pertinentibus, ingerere ſeſe recuſet. In ceteris verò quæ ſuæ poteſtatis ſunt, omnem, ad pacis conſeruationem, operam & diligentiam Cæſar promittebat.

Poſt huiuſmodi Cæſaris Electorum Legatis Presburgæ, Pannoniæ inferioris oppido, datum reſponſum: ſuos idem Cæſar Legatos Coloniæ tūc agentes, per literas certiores facit, quantum laborarent ſeculares Electores, vt exercitus à Parmenſi ſubmiſſus, Imperio excedere præciperetur. ideoque poſt primum mandatum, nunc ſecundo ſe ad vtramque partem literas patentes mittere, atque omnino velle, vt ad illarum præſcriptum vtrinque agatur. *April. 14.*

Iubet igitur Legatis ſuis, eas ad loca & perſonas dirigant, quò & quibus cum maiori vtilitate ipſi dirigendas iudicarent. Præterea quia Cæſar Legatis poſtremis literis promiſerat, ſe ijs omnia, quæ per Legatos Electorum poſtularentur, communicaturū; & ea; & quæ reſponſa erant: item quid Romæ in Priuationis Truchſeſianæ negocio actum erat, eis fideliter tranſmiſit. Imperauitq; accurent vt futura noua Electio, ſecundū ſacros Canones & Eccleſiaſtica ſtatuta fieret: omne verò ſchiſma atq; diſſenſio euitaretur. Tandem & Ioannem Preinerū Baronem in Stibingen, &c. ad aulam ſuam reuocauit, qui paulò poſt, 4. ſcilic. Maij, Colonia deceſſit.

Gebhardus nullus rei moram neceſſitatemque ſibi iniungebat, quin quam celerrimè poſſet, bellum maturaret. Caſimirum itaque chariſſimum amicum & confratrem, tutorem & coactorem ſuum conſtituit, vt ſtipendia ſibi, tam in Auguſtano, quàm in VVormatienſi conuentu promiſſa, Francoforti & Parthenopoli numeranda (cuius rei ante mentionem fecimus) colligat: acceptilationes reſtituat, & pecuniam eo modo expendat, *Gebhardus Diœceſin pignori dat Caſimiro.*

quo inter ipſos tranſactum erat. Et ſi quid prætereà vel illic, vel alijs in locis Colonienſis fide & nomine æruſcare poſſet, plenam Caſimiro auctoritatem dedit, id redditis ſyngraphis & tabulis, ſuo nomine ſubſignatis, ſuoque ſigillo munitis (quas antea ſe confecturum aiebat) faceret audacter, quidquid in hoc negotio præſtaret Caſimirus, id ſibi fore gratiſſimum, & per Principum verba ſe id ratum habiturum, abſque vllo dolo, promittebat. De hac tranſactione publica inſtrumenta, in forma iuris fideliter ſunt conſcripta & debitis circumſtantijs confirmata. Sed redeamus illuc vnde diuertimus. Electorum Legati, poſtquam Cæſaris ad ſua poſtulata ſententiam audiuiſſent, atq; inter ſeſe illam diu ventilaſſent, hæc iterum ad Cæſarem retulerunt.

April. 15.

Legati triũ Electorum Cæſari reſpondent.

Se nimirum intellexiſſe, ſummam ſuæ Maieſtat. induſtriam & diligentiam in Colonienſi diſſidio componendo conſumptam, & pro ea ſe Principum ſuorum nomine Cæſari gratias habere. Sibi Cæſaris conſilium de Conuentu agendo & vtile & neceſſarium videri; expectare autem & petere, vt de loco, tempore & perſonis vbi & quando eum fieri, & quos Principes eò euocare Cæſar velit, dilucidius exponat, quo hæc omnia ſimul fideliter ſuis (quorum legationibus fungebantur) Principibus perſcribant, quibus id gratiſſimum fore, ſe non dubitare aiebant. Flagitabant etiam vt ſua Maieſt. abſq; omni mora, hæc ad Eccleſiaſticos Electores, Treuerenſem & Moguntinenſem referri curet, vt ſuam quoq; ſententiam huc conferant. quam non diſſimilem fore ſperabant, ex eo, quod iſti Electores ſe ſemper amicos atque beneuolos ſuis Principibus exhibuiſſent. Quod autem Archiepiſcopo caſtella, ciuitateſque non reſtituantur: quod ipſe Archiepiſcopus à Papa ſit excõmunicatus, atq; ſede ſua exturbatus: quod ob id Imperator eius nũc auctoritatem antiquatam: mãdata atq; acta irrita

exi-

exiſtimet, quod deniq; omnibus honoribus, dignitatibusq; Archiepiſcopalibus eſſet priuatus, id vehementer ſuos Principes offenſurum, daturumq; occaſionem (ſi modo illud ipſum ęquo feratur animo) vt vel de executione impediendo, vel de Gebhardo auxiliando cogitent: præcipuè cum hæc res Electoratus ordinem (id enim Cæſarem iam antè in ſua reſponſione pro confeſſo dediſſe) concernat. Nouum hoc eſſe in Imperio exemplum, nunquam ab inſtituto Imperio auditum, Papam, neſciente Cęſare, inconſultis Eccleſiaſticis & Secularibus Electoribus, pro ſua libidine Archiepiſcopum & Electorem dignitate & officio ſuo deieciſſe, idq; inaudita cauſa: qui certè ſecundum iura, ęquitatem, Cæſaris Capitulationem, Electorum prærogatiuam, priuilegia, pacta & concordata Imperij prius audiri debebat, idque in tali caſu, in quo ſui Principes à confratre & Coëlectore ſuo, ad tutelam & auxilium poſtulantur. Sibi tamen à clementiſſimis atque Illuſtriſſimis ſuis Dominis in expreſſis atque abſolutis mandatis datum eſſe: Cæſareę Maieſt. ſubmiſſè ſignificent, vſque huc, & ſine præuia cauſę diſcuſſione, vel vtriuſque partis accuſatione & purgatione inaudita, ſuis Principib⁹ non videri cauſam ſubeſſe, cur Archiepiſcopus Colonienſis ex Electorum collegio debeat remoueri. multò minus alium illegitimum, ſubreptitium à non integro collegio, exiguis ſuffragijs electum, eius loco reſtitui atque acceptari. Eam quoque præter hæc omnia eſſe conditionem Archiepiſcopalis Septemuiraliſque Colonienſis dignitatis atque officij, vt hæc duo ſine amiſſione vel demembratione vnius præcipuorum in Imperio capitum, nequeant, debeantúe ſeparari. Orare igitur ſe obnixè, atque obteſtari Cæſarem, vt Archiepiſcopum reſtitui iubeat; omnem hoſtilitatem atque bellum auertat, & nouam Electionem prohibeat, id toti patriæ fore vtile; ad tollendam inter Ordines o-

mnem diffidentiam atque ſimultatem maximas vires habiturum. Tunc non tantum Electores, ſed omnia Imperij membra Cæſari officioſiſſimè paritura, atque indictiones ad reprimendam Turcarum tyrannidem conceſſas, citius atque hilari animo perſolutura. Quo ſic fines Imperij limitaneo milite proſpiciantur, hæreditarioque hoſti, & ceteris Germanicæ Nationi infeſtis, ianua præcludatur, ipſique ab omni infeſta incurſione prohibeantur. Sin autem eum in finem principes conuocandi ſint, vt bellum tantummodo aboleatur, Archiepiſcopi verò Colonienſis non etiam purgatio audiatur; ſui verò Principes tres Electores ſeculares, Excommunicationis atq; illegitimæ Priuationis tanquam executores ſolùm aduocarentur, id graue nimis ipſis futurum, ſuſpicioniſque anſam non exiguam daturum.

Quibus Legatorum poſtulatis quarto poſt die, ſic reſpondet Cæſar.

Cæſar Legatis Electorū, Quidquid hactenus legationibus, literis, admonitionibus, mandatis alijſq; ſtudijs & moleſtijs in negotio Colonienſi feciſſet (quapropter Legati S. Maeſt. gratias egerant) id omne à fideli atque pacifico affectu profectum eſſe, atque in eo deinceps, vti inceperat, ſic ſe proceſſurum. ſi præterea ſalubriora atque vtiliora remedia reperiri queant, ea ſe, quantum ſuarum virium facultatumque eſſet, non omiſſuram, nullos quoq; labores, nullas moleſtias, nullos ſumptus ſibi graues fore. Argumento eſſe pacificam illam diſceptationem, ventilationemque inter vtramque partem Electoribus à S. Maieſt. propoſitam: in eam & nunc etiam animum ſuum propendere (ſi ea negocij adhuc qualitas eſſet, quæ prior; tutoque ſe ingerere poſſet) non minus quàm antea, dicebat. Sed ſæpius Legatis expoſitum eſſe, quid poſtea propter Colonienſis inhabilitatem (vt vocant) actum ſit, ex hoc ipſos tanquam Iuriſconſultos, non difficulter poſſe cognoſcere:

ſcere: non tantum ob S. Maieſt. perſonam, ſed & ob alios, præſertim Eccleſiaſticos Electores (quorum quam plurimum intereſt, cauere, ne qua in præiudicium ſui ordinis nouitas admittatur) commodè nunc ad ſimilem diſputationem tractationemúe procedi, aut eam inſcijs ijſdem Electoribus inſtitui non poſſe. Illis verò in hoc negocio conſultis, S. Maieſtat. Legatis, eorumq; Principibus locum, tempus, perſonas, ceteraq; ad ſupra commemoratum conuentum neceſſaria, nominaturam.

Eo ſe animum inclinare, ſibique omninò polliceri, Seculares Electores (quantum ex ipſorum legationibus, literisq; colligi potuit) non improbaturos: ſed gratiſſimum illis fore, ſi præter ſuum de pace ineunda mandatum, præter militum externorum miſſionem, etiam quam celerrimè nonnulli Electores & vtriuſque Religionis Principes ad conuentum euocentur: atque illi vnà cum Sua Maieſtate, aut ſuis Conſiliarijs Legatiſúe de communi ſententia decernant, vt imperata pax vtrinque obſeruetur: miles omnis ipſo facto ablegetur, ac manumittatur: Omnibus verò Imperij definitionibus, concordatis, iuribus & pactis tam ab vna, quam ab âlia parte abundè ſatisfiat. Ordines vtriuſque Religionis in bona atque firma fiducia, pacificè atque vnanimiter viuant: omnesque difficultates, incommoda, bella, atque ſimultates ſuffocentur. Ad hæc omnia Cæſarem propenſiſſimum eſſe: nec arbitrari hæc vel Cæſareæ Capitulationi (vt vocant) nec Electorum vnioni aduerſari, aut infrugifera fore. Sed potius exiſtimare eadem iuri, æquitati, conſtitutionibus & traditionibus Imperij optimè conuenire, atq; ipſiſſimũ compendium eſſe, ad veram pacem ſtabiliendam. Porrò quod ſecundò petitam Colonienſis reſtitutionem, nouæque Electionis interdictum: Legatis in ſuperiori Suæ Maieſtatis reſponſione abundè explicatum eſſe, & adhuc ſe affirmare, quidquid de libera

Electio-

Electione & confirmatione Archiepiſcoporum, quidquid de Electoratus dignitate (ad quam Electi poſtea perueniunt, aut qua tanquam feudo à Sua Maieſtate donantur) compacta, Diœceſis Priuilegia, Imperij deciſiones, aurea Bulla & condiciones pacis Religioni datæ habent; & quidquid Suæ Maieſtatis iuris eſt & non eſt, id omne ſe ratum habere, nec eorum minimum apicem infringere aut violare velle nec poſſe. Sperare etiam ſeſe, neque Electores, neque eorum Legatos id Cæſari (qui non minus huius, quam illius Religionis ſocijs fauorem & auxilium ſuum defert, quique omnia priuilegia, omnes immunitates, conſuetudines, Conſtitutiones politicæ atque Eccleſiaſticæ, pacis condiciones in Imperio ſertas tectas conſeruare cupit & debet) improperaturos vitioúe daturos, nec id ipſum pro iniqua atque imprudenti executione habituros: ſed potius hoc Suæ Maieſtati de pace ineunda conſilium atq; ſtudium, pro viribus approbaturos, promoturosque, inſtigaturos prçterea Gebhardum, vt (quod iam à Parmenſi factitatum erat, id quod ex ſuarum literarum apographo ipſis Legatis exhibito manifeſtè conſtabat) omnia externa auxilia dimittat, atque Imperij finibus decedere iubeat, neq; in poſterum hoſtile quid moliri pergat.

Antiqua & laudabilis huius Colon. Eccleſiæ conſuetudo eſt, vt feria ſexta poſt tertiam Dominicam Paſchæ, Clerus vna cum Ampliſsimo Senatu magna cum veneratione caput S. Sylueſtri antiquę ciuitatis limites circungeſtet. Dum itaque huic ſupplicationi Senatus intereſſet, atque ad Eccleſiam SS. Apoſtolis dedicatam veniſſet, ſub ipſo Sacro allatus eſt nouus & peregrinus rumor. Militem ſcilicet veteranum è Marchionatu Brandenburgenſi, Petrum Ritza nomine, paſſim per vrbem ſpargere, Comitem Salentinum ab Iſenburg (qui tunc Coloniæ agebat) clam milites conſcripſiſſe: eos

eos in monaſteriorum penuarijs, ſecretioribusque locis occultari: primaq; occaſione oblata, vnà cum Eccleſiaſticorum Catholicorumq; ope, omnes alterius religionis iugulaturos. Bonnenses Truchſeſiani, vt huic famæ fidem adderent, nauem militibus atq; armis plenam Coloniam demiſerunt. Qui autem in naui erant ſe Salentino militare fingebant. Iamque ſceleratus hic miles eò famam hanc propagauerat, vt in omnibus totius Vrbis tribubus, hac de re muſſitaretur, multique curioſiores de fide Senatus dubitarent, & conuenticula in publicis tribuum ędibus cogerēt: reſq; ad tumultum tendere videretur. Senatus re cognita vigilantiſſimè huic malo obſtitit: primò prohibuit conuenticula, & compeſcuit eos qui hanc famam promulgabant. Mox auctorem rumoris huius inquirit. diuerſabatur is in ædibus ciuis cuiuſdam curioſi, vbi & ſuæ ſententiæ plures aderant. Magiſtri violentiarum (ſic enim in hac Republ vocantur, quibus reos apprehendendi atque in vincula conijciendi ius eſt) ad hoſpitium hoc venientes, militem hunc quæſiuerunt. Negabant qui in ædibus erant eum adeſſe, nec quæſitus inueniri potuit. Magiſtris violentiarum abire volentibus, quidam è lictoribus ex nutu aut conſpiratione domeſticorum animaduertit anguem in herba latitare. Dominiſque ſuis indicat ea quæ notarat. Iterum inquiſitio facta eſt, ventumque ad gallinarum caueam, in qua Præco iſte ſedebat. hic confeſtim pedibus eum prodentibus apprehenſus, & in carcerem ductus eſt. Poſtea tormentis ſubiectus, ſe huius famæ auctorem fatebatur: confinxiſſe autem eo ſcopo, vt Clerum redderet ciuibus ſuſpectum atque offenſum; tumultumque in Vrbe concitaret. Senatus verò vt ciues hac ſuſpicione liberaret, eiſque ſatisfaceret, monaſteria viſitauit, nihilque quod ad iſtum rumorem pertinebat, inuenit. Petrus verò poſtquam aliquamdium in vinculis detentus

tentus eſſet, tandem decollatus, & in quatuor partes diſſectus eſt, ipſę autem partes (vt proditoribus fieri ſolet) è quatuor portis ſuſpendebantur: capite haſtæ infixo & portæ Honoris impoſito.

Iconomachia in Recklinckhuſen.

Truchſeſiani poſtquam oppidum Recklinckhuſenſe iam in ſuam poteſtatē tranſtuliſſent, in ædes ſacras irruunt, eas miſeris modis deuaſtant, altaria ſubuertunt, Chriſti & ſanctorum imagines confringunt, ornamenta diripiunt: nihilque relictum fuit, quod non aut perdidit, aut polluit humana audacia: Catholicis non ſine lachrymis & ſuſpirijs intuentibus, hæreticis verò ridentibus, ſubſannantibus, & impios ſceleſtiſſimorum hominum animos incitantibus.

Gebhardus à ſuis admonetur.

Circa idem tempus Gebhardus (ſi verum ſit, quod quidam ad Imperatorem ſcripſit) à Matre atque alijs cognatis & agnatis, numero circiter octo vel nouem, literas parænetícas, admixtam obiurgationem habentes, ſingulorum manu ſubſignatas & ſigillis munitas, accepit. Quas cum legiſſet, admonitionibus, precibus & increpationibus illorum contemptis; Chriſtianum, inquit, opus incepi, quod vt perficiam Deus mihi erit adiutor, atq; ptotector: ad cuius gloriam promouendam non tantum opes atque honores, ſed vitam hanc etiam iam cum ſanguine profundam.

Paulò ante in finibus Lotharingiæ, atque Diœceſis Treuerenſis Francorum aliquot milia conſederunt: qui vt conſtans erat fama, Gebhardo in ſubſidium à Gallo mittebantur. ſed quia maximas prædas agebant, colonos cum pecore capiebant, agros late vaſtabant, à Lotharingiæ Duce cæſi fugatique ſunt. qui verò viui in manus illius venerunt, eos confeſtim ad ſuſpendium rapi præcepit.

Galli in Lotharingia diſſipantur.

Cardinalis verò Auſtriacus, cum à Caſimiro ſaluum conductum impetrare non poſſet, atque circumquaque itinera infeſtarentur, à Pontifice reuocatus eſt: illiuſq; loco Ioannes Franciſcus Epiſco-

pus

pus Vercellenſis & Comes, ad S. Cęſ. Maieſt. & vniuerſa Germanię loca, Sedis Apoſtolicę nuncius, cũ poteſtate legati de latere, Coloniam ablegatur: vt prę̨ter priuationis ſententiã, reliqua quæ in mãdatis habebat, quàm celerrimè expediret. Erat is ſenex, grauis, prudẽs, & modeſt⁹, facie liberali, corpore procero & gracili, in quo multa antiquæ pietatis remanebãt veſtigia, cuius familia ab omni huius ſeculi põpa prorſus aliena, plena erat integritatis, officij & religionis. Hic etſi graui valetudine affectus, vix corporis virib⁹ animũ ſequebatur; tamẽ zelo domus Dei, vicit incõmodũ naturæ, difficultatesque itineris & aëris procellas ſuperauit.

Vercellenſis Epiſcopi aduentus.

Mos eſt apud Colonienſes, vt in templo Metropolitano, quot annos is qui tunc Archiepiſcopus eſt, Diœceſin adminiſtrauit, tot baculi ſuſpendantur: quotannis nimirum vnus, vnde peregrinis cõſtet, quãdiu præſens Archiepiſcop. in ſua dignitate ſederit. Vnde verſiculus aureis literis ſubſcriptus.

April. 26.

Quot pendere vides baculos, tot Epiſcopus annos
Huic Agrippinæ præfuit Eccleſiæ.

Poſtquam igitur Sententia Priuationis in Archiepiſcopum Romæ lata, Coloniam tranſmiſſa eſt; omnes iſti baculi, vno tantum excepto, qui tẽpore interregni relinquitur, deiecti ſunt, vt omnibus manifeſtum fieret, ſe Archipiſcopo priuato, iam certum Diœceten non habere: ſed adminiſtrationem penes Capitulum eſſe. Paulò poſt Illuſtriſs. Fredericus Saxonię & Louvenburgię Dux, & Choriepiſcopus Coloniam venit, tertio poſt die, in ſuo concilio Capitulares (facta prius diligentiſſima ſententiæ Apoſtolicæ diſcuſſione, atque examinatione) concordibus ſuffragijs, diem modumque conſtituerunt; quo euocatis ſuis Collegis abſentibus, ſiue ij venirent, ſiue non, ad noui Archiepiſcopi electionem procederent, quod vt Cæſari tanquam gratum nuncium referret Iohannes Preinerus, antea, vt dixim⁹, reuocatus, Colonia ad aulam

Apri. 30. Conſultatur de nouo Archiepiſ opo eligendo.

Maij 4.

Digitized by Google

aulam reuerſus eſt. Iohannes Caſimirus bis iam à Cæſare admonitus, ad ſeſe purgandum tandem animum adiecit. Datiſque ad Imperatorem literis conquerebatur initio.

Caſimirus Cæſari ſe purgat.

Se ab æmulis ad Suam Maieſtatem immeritò delatum eſſe. Hinc Gebhardum defendebat, eumq; nihil omnium Auguſtanæ confeſſionis ſociorum iudicio, vel in Auream Bullam, vel in Imperij conſtitutiones, vel pacta prouinciæ deliquiſſe aiebat: ſed nonnullos illius rebelles atq; ſeditioſos Capitulares, vrbes, arces & pagos Prouinciæ Colonienſis ſpoliaſſe, ſuoq; Principi atq; Electori extorſiſſe, & quotidie adhuc alias extorquere: vaſtandiq; tam Diœceſin ipſam, quam vicinorum Principum prouincias, finem non eſſe: quæ omnia vt Cæſari manifeſtius conſtarent, Apologiam ſeu Apographum (vt ipſe intitulauerat) Gebhardi tranſmiſit, ad quod ſe ipſe referebat. Crimina verò ſibi intentata: qualia ſunt, quæ Imperator cõmemorauerat, de diribitorio propè Moguntiam aſſignato, de Rheno infeſtato, de veredarijs interceptis, & huiuſmodi alijs contra Imperij conſtitutiones commiſſis, grauiora ab hoſtibus ſuis ad Cæſaream Maieſt. perlata eſſe, quam pro rei veritate eſſent. Non enim ſe tunc temporis aut militem collegiſſe aut ſub ſignis habuiſſe: multò minus de diribitorio cogitaſſe, aut vllum damnum vicinis Principibus, cum quibus ſibi optimè conueniret, inferre voluiſſe. Fortaſſis ad Cæſarem relatum eſſe, ante paucas ſeptimanas, nonnullas Francorum copias in Prouinciam Colonienſem cogitaſſe, iamq; in itinere fuiſſe & (vt fama erat) expeditionem aliquam periclitari voluiſſe: eas partim ſuas, partim vicinorum limites commouiſſe. fortè quia viderunt Hiſpanorum petulantiam ſine vllo metu, diſſimulante Cæſare & Imperij Ordinibus, in Diœceſi Colonienſi haud grauatè tolerari, prorſus itaq; ſibi perſuaſum eſſe, huiuſmodi vel exauctoratorum aut tumultuariorum militum cateruas fortunam experiri voluiſſe: cum nec ſibi, nec alicui in Imperio Principi militarent. ſed fortè (vt tunc rumor ſpargebatur) à Parmenſi ſubmiſſæ erant. Ceterum detecta expeditione quam machinabantur, ad ſe nuncios miſiſſe, ſuamque opem obtuliſſe, qua ipſe ſe non egere dixerat. ideò

Francos

*Francos pedem retraxiſſe, partim diſſipatos, partim in Lotharingia ſuſpenſos eſſe. Verum quidem eſſe, & ſe & alios Rhenani fœderis Ordines ab Archiepiſcopo Colonienſi, Comite Nuenario, ciuitate Aquisgranenſi, atq; alijs Imperij membris ſolicitatos eſſe, vt ſaluis Imperij conſtitutionibus, opem ipſis & auxilium adferrent. quibus quidem ſe omnia debere profitebatur. Ceterum quia Imperator ſe vnà cum Electorum ope, controuerſiam inter Colonienſem Archiepiſcopum & ſuos Capitulares exortam, diſcuſſurum, compoſiturumq; promiſerat; militum collectioni ſe ſuperſediſſe, atq; patienter hanc pacificam tranſactionem expectaſſe; donec Capitularibus fœdifragæ iſtæ machinationes, effrænataq; violentia interdicerentur; atq; Electori ciuitates, arcesque extorſæ reſtituerentur. Verum poſt diuturnam moram, ſe tandem comperiſſe, iſtius tractationis promiſſionem ſeriam non fuiſſe: etiam S. Maieſt. (poſteaquam Pontifex Rom. ſua fragili atq; inefficaci ſententia Electorem Colon. excommunicare, atq; temerè officio, dignitateq; ſua ſpoliare auſus fuerit) eam tanquam non neceſſariam & fruſtra inſtituendam æſtimare: inſuper aduerſarios nouam Electionem inſtigare: ſibi autem Caſimiro, alijſq; Electoris amicis arma quæ nunquam ſumpſerunt, deponere, ſeriò mandaſſe. Deinde Cæſari perpendendum relinquit, quantam in Imperio diffidentiam, quantas tragœdias, & quam pernicioſos exitus hæc audacia datura ſit; ſi dormitantibus aut diſſimulantibus Ordinibus, cum Cæſare, externis, peregrinisq; magnatibus impunè Imperij Principes, etiam in ſummis honoribus atq; officijs conſtitutos ſauire, & ſedibus exturbare, liceat. Quantum ad Cæſaris Patruelem Cardinalem Auſtriacum, Patrui ſui Ferdinandi Archiducis filium attineret, quod ſcilicet illi commeatum negauerit, id ſe fateri, ait: ſperare tamen id Cæſarem audita cauſa in malam partem non interpretaturum: poſteaquam neque cum ipſo Archiduce Ferdinando, neque cum ſuis aliqua ſibi vmquam lis aut ſimultas interceſſerit, atque in alijs rebus omnem honorem libenter deferre cupiat. Ceterum cum ipſe atq; alij plurimi certiores facti fuerint; quam ob rem Cardinalis à Pontifice Coloniam legatus erat, & quos Epiſcopos, Presbyteros (*Pfaffen

 con-

Imperatores auſum fuiſſe, & ex ea iniuria maximas ſeditiones, funeſtiſſimaq; bella promanaſſe: tantum vt ſuum defenderet Primatum. Id antiquas hiſtorias abundè ſatis commemorare. Facturum hoc modo Cæſarem, non ſibi ſolum, ſed vniuerſo etiam Romano Imperio dulciſſimæ ſuæ patriæ rem non minus neceſſariam, quàm fructuoſam, & piam: Quinetiam, æternam pacem, hac vna methodo Cæſarem compoſiturum eſſe, aſſeuerabat. Hac tam prolixa epiſtola Cæſaris animum expugnare ſeſeque illi purgare nitebatur Caſimirus: At Imperator pro ſua prudentia, non ignorans quid ſuum officiũ poſtularet, & quid de Caſimiro cenſendum erat; in ſuo cõſtanter propoſito perſeuerauit, modumque & rationem inijt, quo ſtudia atq; conatus Caſimiri retardaret. Cum iam Capitulum cenſurã Pontificiam accepiſſet, de nouo Archiepiſcopo eligendo, conſultare cœpit. Cumq; de die electionis inter ipſos cõueniſſet, decretum eſt, conſilium ſuum ampliſs. Vrbis Senatui, antequã diem hunc promulgarent, ſignificare. Reuerendiſs. atq; Illuſtriſs. Epiſcopus Leodienſis, Erneſtus Bauariæ Dux, vtrumq; Conſulem, vtrumq; Quæſtorem, duos Conſulares, duos Doctores Syndicos, cum alijs quibuſdam præcipuis è Senatu, ad magnificum cõuiuium inuitauit: erat autem illud inſtructum in domo Iohannitarum, quę & à S. Cordula nomen habet, vbi tunc Epiſcopus diuerſabatur. Tempore prandij inuitati venientes, repererunt illic Capitulares Presbyteros penè omnes. Dux Erneſtus cum omnes præſentes eſſent, ipſe ſingulari cum eloquentia, quæ in mandatis à Capitulo habebat, prolocutus eſt. Erant autem hæc.

I. Capitulum cupere Vrbis Senatum certiorem fieri, quod iubente Pontifice Romano, & Imperatore aſſentiente, conſtituiſſet diem electionis, Iouem poſt Pentecoſten. Petere itaque Capitulum vt Senatus omnibus Comitibus, Baronibus, Nobilibus, alijſque Clientibus fiduciarijs, qui ad diem electionis vocari ſolent, vt nouum Ele-

ctũ obſeruent, præſtet à vi & arreſtis ſecuritatem.
II. Vt Senatus ipſo Electionis die tot ciues in armis eſſe iubeat, quot ad defenſionem Eligentium, hoc rerum ſtatu, neceſſarios eſſe exiſtimaret: cum & antiquo more præſidium ciuium, electionis tempore, in ſumma æde ſoleat haberi.
III. Vt Senatus ſuos ciues prohibeat, ne ſub electione in templo inſolentiores ſint, præſertim bombardarum eiaculationibus: id quod alias factum eſſe Princeps conquerebatur.

Vltimò, vt Senatus aliquot milites Capituli ſumptibus cõſcribere dignaretur, qui Senatui fidelitatis iuramento præſtito, vſq; ad factã electionẽ, quotidie Capitularibus conſulentibus, Conclaue cuſtodirẽt, & à vi (ſi opus eſſet) ipſos defenderent.

Conſules ceteriq; Senatores Illuſtriſſimo Principi, totiq; Collegio ſtatim beneuolè reſpondent. Orabat omnium nomine Clariſſimus Conſultiſſimusque D. Petrus Steinvvichius I. V. Doctor, & Senatus Syndicus, promiſerunt autem ſe eam rem ſequenti die ad Senatum relaturos, nec dubitare quin Senatus, in proximo Capituli conſeſſu, eſſet reſponſurus, atque in omnibus honeſtis licitisque petitionibus Capitulo gratificaturus. Placuit reſponſum hoc Principi & Collegis. mox accumbentes pranſi ſunt, & multa inter ſeſe familiariſſimè diſſeruerunt. Poſtridie Senatus audita relatione intellectisque ijs quæ à Capitularibus petebantur, eoſdem penè omnes qui poſtulatis interfuerant, ad domum Capitularem remiſit: oranteque eodem Doctore Steinvvichio, omnibus poſtulatis annuit: hoc etiam addito: Senatum ex lectiſſimis militibus ſuis, quos ante ad vrbis cuſtodiam conduxerat, duodecim quotidie miſſurum, qui conclaue obſeruarẽt: idq; Senatus, non Capituli ſumptibus, præſtito tamen officio, ſi quod honorariũ ipſis Capitulum donare velit, id Senatui non diſpliciturum: aduigilaturum inſuper Senatum, vt tempore electio-

electionis omnia commodè atq; ordinatè fiant: ciues ſclopetarios extra templũ locis ſolitis, ſtationes habituros: ipſum autē templum à cataphractarijs alijſq; armis inſtructis ciuibus obſeruatum iri.

Canonici verò Capitulares, nihil quod ad executionem iuſtæ ſuæ Sanctitatis ſententiæ pertineret, prętermiſerunt. quotidie conuentus habentes, atque ea in medium conſulentes, quæ ad nouam Electionem conducerent. Decimo quarto itaq; Maij citatione foribus Eccleſiæ Metropolitanæ affixa, omnes Capitulares, tanquam eos quibus ius eligendi competebat, euocārunt, vt ad 22. diem Maij præſto ſint, niſi ſuffragijs ſuis velint priuari: periculũ enim in mora eſſe. Diœceſin Archiepiſcopum non habere, aut Principem proprium, qui ſubditos contra Gebhardum iam amotum defendat.

Maij 14. Capitulum citat ſuos ad electionem.

Id ſtatim ad Gebhardum delatum eſt, qui vt hoc aduerſariorum propoſitum impediret, ſtylum in Pontificiam ſententiam vertit, ſcribitque ad obedientes ſuos, ſuæ (vt vocat) Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis, Capitulares: ante alios verò, ad ſuæ Diœceſis ſubditos, Comites, Nobiles, oppidorum Magiſtratus & plebeos.

Se ante paucos dies reſciuiſſe, quoſdam immorigeros atq; rebelles ſuos Capitulares, eorumq; anteſignanum, Chorieſcopum, Ducem Fredericum Saxoniæ, cum ſuis complicibus propoſuiſſe, virtute cuiuſdam ab ipſo, ipſiusq; ſocijs excogitatæ, atq; à Papa impetratæ ſententiæ, quam Priuationem intitularunt, ſuum Archiepiſcopum legitimè electum repudiare: aliumq; in eius locum ſufficere. Suos itaq; ſe admonere vt ponderent quam exitioſa res, non ſibi tantum, ſuæque Diœceſi: ſed vniuerſo quoq; Romano Imperio futura ſit, ſi Pontifici Romano impunè permittatur, ſine prauia litis conteſtatione, hæc inaudita, atq; in Imperio non ferenda violentia: vt nimirum ipſi liceat Electores, pro ſua voluptate, dignitatibus ſuis eijcere, alioſq; ſubſtituere: aut ſi ſuis aduerſarijs concedatur, inuitis præcipuis Capitularibus (quos hic præcipuos Capitulares vocat ignoro, cum Il-

Maij 15. Gebhardus Electionem nouam dehortatur.

luſtres Comites,Decanus,eius Vicarius , Choriepiſcopus , Scholaſticus,Diaconus,atq; adeò omnes Prælati cum omnibus Presbyteris in nouã electionem conſenſerint.) *Archiepiſcopum, ab omnipotenti ordinatum, Principẽ ſuum,remouere. Hortari etiam ſeſe,vt ij, quibus ſcribit,cauſas ob quas ipſe tam hoſtiliter oppugnaretur(cum tamẽ Cæſ. Maieſt. iudicio litem committere cupiat, cumq; à S. Maieſt. ipſa,contra hanc iniuriam conſolationem receperit,cuius Electores teſtimonium perhibere poſſe,* aiebat)*diligenter pro innata ſua humanitate, probitateq; cognoſcerent,atq; examinarent. Sed ſi hæc ſua admonitio locũ apud ipſos non habeat, ſi ipſi vt ceteri nouam electionem approbauerint,alium ſibi Principem conſtituerint,atq; legitimum ſuum Archiepiſcopum armis perſecuti fuerint,publicè proteſtari ſe* ait,*contrà inefficacẽ & inualidam hanc electionem. vſurũ etiam ſe ad iſtam temeritatem vindicandam à Deo atq; Natura conceſſis remedijs. Omnes autem calamitates,omnes difficultates atq; incommoda quæ ex iſta electione proficiſcerentur,in aduerſarios eorumq; tyrannicos*(vt ait) *conatus hac ſua proteſtatione detorquebat. Ceterum optimã ſibi ſpem affulgere* ſcribit,*ipſos tãquam fideles ſubditos,ſine matura deliberatione, & ſine praua Cæſaris atq; Electorum Euangelicorum ſententia, aduerſariorum ſtudia non approbaturos,imo potiùs eoſdem ob tam temerarium inceptũ reprehenſuros ſe verò apud ipſos fore eum,qui hactenus,legitimum ſcilicet à Deo conſtitutum Principem,cui obedientiam, honorem & auxilium deferrent, quem fideliter propugnarent,nunquam deſererent, nunquam perſequerentur. Hæc ſe & multo maiora ab illis, tanquam morigeris atq; fidelibus ſubditis expectare. dicebat.* Quarto poſt die,quò feſtum Pentecoſtes celebrabatur,Truchſeſius in Rudẽ,oppido VVeſtphaliæ,templa in præſentia quorũdam Comitum ſpoliari,ſeptendecimque calices,& alia nonnulla ornamenta ad ſe adferri præcepit,cui ſacrilegio dum milites occupãtur,ex improuiſo domus, in qua Truchſeſius diuerſabatur, conflagrauit: factoque in oppido tumultu, vehementer ipſe exterritus eſt. Cumque ibi aliquamdiu hæreret,Sacerdo-

cerdotum animos ſolicitauit, vt relicta Religione Catholica, vxores ducerent, quod etſi à nonnullis impetrauit, tamen D. Godefridum Fabricium ad hanc apoſtaſiam inducere non potuit: quem ob eam cauſam in exilium eiecit. Simili modo & poſtea Henricus Hoennic, à ſecretis eidem oppidulo, cum is Catholicam religionem eiurare nollet, profligatus eſt. Cum verò nonnulli rogarent, cur Catholicam Religionem deſererent? nihil aliud reſponſum eſt, quam Electorem Truchſeſium certò ſcire, ſuam religionem ſanctam eſſe & ſynceram: vnde vulgus nouam religionem Truchſeſicam appellauit. Iudicem quoque Rudenſem Iohannem Rammium Truchſeſius in vincula coniecit magnamq; pecuniæ ſummam ab illo poſtulauit. Deinde vbi Helmichius à Laer, Iohannes Hartmannus, & Chriſtophorus Hartmannus Conſules profligati agebant, inquiri iuſſit.

Tandem ad oppidum Gieſeken ſuos mittit, qui Conſulem VVernerum Schlaun & Iudicem apprehenderent & in carceres conijcerent: illi autem ſibi metuentes iam ante diſceſſerant. Omnium tamen horum facultates, ſub prætextu, quod in concordata, conſtitutiones & pacta patriæ deliquiſſent, fiſco iuſſit ſubſignari.

Electorum legati, poſtquam ea quæ in mandatis habebant, apud Cæſarem peregiſſent, ad ſuos Principes reuerſi, quidquid impetrauerant, retulerunt, Brandeburgenſis & Saxo Electores, Cæſari per literas hoc modo reſponderunt.

Saxo & Brãdeburgenſis Cæſari.

Placere quidem ſibi conuentum & colloquium à Sua Maieſtate propoſitum. Ceterum timere ſe ne Pontificis, propter excommunicationis ſententiam in Archiepiſcopum latam, iſtud colloquium ſit in poſterum interdictum. Veriſimile enim eſſe Pontificis nuncios executionem iſtius ſententiæ non in multos dies prorogaturos. Si itaq; Cæſari iſtud colloquium cordi fuiſſet, potuiſſe eum rationem iniſſe, vt hæc excommunicatio ſuſpenderetur, donec quid in hoc colloquio

Digitized by Google

impetrari potuerit, tentatum fuiſſet; aut conuentum ipſum tam diu iam propoſitum maturari potuiſſe. Se ceterosq́; Auguſtanæ Confeſſionis Socios, hunc conuentum hactenus expectaſſe, qui ſi ob prædictam excommunicationem, vel impediretur, vel abrogaretur, rem multis fore ſuſpectam. Non videri autem ſibi, ſi cum Archiepiſcopo Colonienſi agi non liceat, in communi & ſimplici colloquio aliquid ſingulare atq́; vtile ſtatui poſſe, ſed omninò ſe exiſtimare, in eo de executione ſententiæ Pontificiæ fore diſceptandum: cui diſputationi nullus Proteſtantium ſe miſcere velit, & ſiquid Catholici inter ſe decernerent, id funeſtum exitum habiturum. Deinde oſtendunt hanc excommunicationem Pontificis & ſibi & toti Imperio pernicioſam eſſe: ſæpè in antiquis hiſtorijs ſimilium exemplorum mentionem fieri, eaq́; grauiſſima bella & copioſas ſanguinum profuſiones ſemper excitaſſe. Idcirco veteres Germanos Pontifici Rom. hanc in Imp. poteſtatem indulgere noluiſſe: imò ne S. Maieſt. laudabilis recordationis parentem id facere voluiſſe: ne fortè illi feneſtra adaperiretur, conſuetam violentiam exercendi. Præterea Cæſari perpendendum eſſe, ſi Pontifici ius atq́; facultas in Electorũ Collegium impunè ſæuiendi admittatur, eiq́; quoties lubet, liceat Principem Electorem honore & dignitate ſua (alijs defenſione interdicta) ſpoliare, magnam illud inter Eccleſiaſticos atq́; Seculares Electores diffidentiam, magnum in Septumvirali collegio ſchiſma pariturum: imò iſtius fraternitatis interitum ipſum allaturum. Scire ſe quidem Sedem Romagnas olim in Germania Iurisdictiones habuiſſe, nec ignorare, quæ inter illam & Nationem hanc pacta atq́; fœdera fuerint, ſed à pace Religioni Auguſtæ Vindelicorum data, longè aliam rerum fuiſſe & adhuc eſſe faciem, habeat tamẽ (aiunt) *illa quamcumq́; velit cum Germanis cognationem; habeat inter illos ſua iura atq́; pacta, non ea tamen ſunt tãti æſtimanda, vt non potius ad communem Imperij ſalutem, omne conſilium atq́; auxilium ſit conferendum, fœdera atq́; iuramenta quibus Ordines omnes Imperio ſunt deuincti, omnia externa pacta atq́; peregrinas confœderationes ſuperare. Poſtquam itaq́; ſemel conſultum fuerit præſens diſſidiũ tollere, atq́; ſtabilem indicto conuentu pacem conſtituere, non*

inuenire

Digitized by Google

inuenire ſe cauſas, cur iſtud Pontificis excommunicatio debeat impedire, aut retardare. Non id à S. Maieſt. Maioribus obſeruatum; qui quod Imperio vtile fuit, etiam reclamante Pontifice, effectum dederunt. Si Pontifici auditum fuiſſet, nunquam (aiunt) *ad Religionis concordiam deuentum eſſet, eamq́ue quoq; etiamnum, ſi Pontifici in omnibus mos geratur, actutum interituram. Propoſitis igitur incommodis, quæ ſuo iudicio ſubſequerentur, ſi propter Pontificis ſententiam hactenus expectatum colloquium reuocetur, Imperatorem orant, vt primo quoq; tempore conuentum indicat, diem & locum conſtituat, Principes conuocet, omniaq́; agat, quæ ad controuerſiam Colonienſem, ex eaq́; dependentia mala ſupprimenda, cōducant: neq; ſe in his quæ Imperio fructuoſa atq; vtilia ſunt, exemplo maiorum ſuorum per Pontificis excommunicationem falli patiatur. Saltem ita nuper propoſitum conuentum inſtituat, ne quid nimium Pontifici admittatur, aut in gratiam ipſius, idem conuentus prorſus intermittatur. potius Imperij ſalus attendatur, honos etiam & conſcientia Auguſtanæ confeſſionis Sociorum ſalua permaneant: ipſiq́; ſine vllo opprobrio ceteris conuiuant. Denique vt id quam celerrimè fiat. Sibi enim ſatis exploratum eſſe, Capitulares nullam hoſtilibus ſuis machinationibus finem imponere, ſed quotidie magis magiſq́; in illis procedere, metuendū etiam eſſe, vt cum tanto in ſuum Archiepiſcopum odio ferantur, tamq́; ad eum remouendum prompti ſint, eos ſibi ipſis nullam moram imperaturos, vt quod in manibus eſt, perficiant: nec defuturos impulſores, qui illis occaſiones ſuppeditabunt.* Tandem querelam de externo milite in Imperium admiſſo, inſtituunt: *ſe quidē ex literis Principis Parmenſis intelligere, quod copias ſuas reuocare promittat: tamen ſibi conſtare eas nondū reuocatas eſſe. Principem inſuper ipſū cum maiori exercitu Traiectum verſus adrepere, vt alios præoccupet, atq; omnes vires ſuas per Diœceſin diffundat. Id ſi fiat, fore vt nonnulli Ordines Imperij quibus Germaniæ ſalus curæ eſt Patriam, ſuam contra huiuſmodi hoſtilē impreſſionem defendendam ſuſcipiat. Quot, quantas in Imperio turbas daturum ſit, S. Maieſt. perpendendum relinquebant. Sperantes interim Cæſarē, pro ſua ſingulari pru-*

 dentia

dentia periclitanti patriæ maturius opem allaturum, priuſquam vtrinq; animi exacerbari atque bellum incrudeſcere incipiat: aut vt minimum, pro viribus facturum, vt conuentus quam citiſſimè fiat: in quo omnia benignè atq; peramicè tranſigantur. Id Cæſari laudi, totique Imperio ſingulari commodo futurum. Mirum eſt autem Electores, tam in his, quam in alijs ſuis literis, Pontificẽ Rom. ob priuatum Archiepiſ. Colon. violentiæ inſimulare: cum nihil nouum: nihil ab officio ſuo alienum: nihil contra iura, ſiue politica, ſiue Eccleſiaſtica, nihil contra Patrum traditiones: nihil contra vel omnium gentium, quæ vnquam nomen Chriſto dedere, conſuetudines, in hac ſententia ferenda commiſerit. Quid magis rationi atq; æquitati conſentaneum, quam ſupremum in Eccleſia Iudicem (eum autẽ aut Papam Rom. eſſe, aut nullum eſſe fatendũ eſt, cum nulla Gens, nulla vnquam ætas, alium Iudicem cognouerit) virum Eccleſiaſticum, in cauſa Eccleſiaſtica iudicare, & Reum confitentem Eccleſiaſtica dignitate priuare? Quid magis inauditum, quàm ſeculares Principes, quibus politica adminiſtratio commendata eſt, virum Eccleſiaſticum in negotio fidei vel abſoluere vel condemnare? neſcio quid ſit ſacra profanis miſcere, ſi iſtud non ſit. Cui Chriſtus oues ſuas paſcendas dedit, eidem dedit & Lupos ab ouili arcendos: dedit autem hoc Petro, Pontifici, non Tiberio Cæſari, non Herodi regi: dedit Petri ſucceſſoribus viris Eccleſiaſticis, non Tiberij aut Herodis poſteritati, huius ſeculi Principibus. Paulus Spiritum S. Epiſcopos dicit conſtituiſſe regere Eccleſiam Dei, non autem Principes ſeculares. Ipſe Paulus Chorinthium excõmunicauit, non ab Ephoris aut è Græciæ Principibus ſententiam poſtulauit. Vt Epiſcopis Eccleſiæ cauſarum cognitio demandata eſt, ſic Epiſcoporum omnium, Romano Pontifici cuius rei certiſſima in Canonib. Concilijs, Patrum ſcriptis atque Hiſtorijs ſunt argumenta. Apoſtolos ſtatuiſſe difficiliores quæſtiones

Pontificia ſententiæ defenſio.

Actor. 2. 1. Cor. 5.

Digitized by Google

nes & Epiſcoporum vel maiorum iudicia, ad Sedem Apoſtolicam refererenda, locuples teſtis eſt ipſis penè Apoſtolis coéuus, Anacletus. Idem abundè teſtatur Synodus Alexandrina, quæ eodem ferè tempore, quo Colonienſis vel Agrippina celebrata eſt: & apertius adhuc concilij Niceni canon. 19. qui quidem nunc intercidit, tunc verò Romæ in Archiuis, cum cęteris integer aſſeruabatur, teſte Iulio in Reſcripto contra Orientales pro Athanaſio. Quin & ipſius Athanaſij cauſa ab eodē Iulio Rom. Pontifice, apud quē etiam è ſuis aduerſarijs falsò delatus erat, cognita eſt atq; iudicata. Idem per ſingulas ætates in vſu fuiſſe, probari non difficulter poſſet. Quid igitur inauditum, quid violentum admiſit Pontifex Romanus, ſi hæreditario ſuo iure, ab omni antiquitate conteſtato ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus approbatò in Gebhardum ſit vſus, quod ſalua conſcientia, officio & iurāmento non potuit præterire? Pontifex ſe intra limites ſui Fori continuit, & à Proteſtantibus conuitijs atque calumnijs exagitatur: Proteſtantes ſeſe in alienum forū ingerere nituntur, & volūt rectè facere videri. Allegant toties pacem Religioni Auguſtæ Vindelic. anno 1555. datam: tamen ea tam manifeſtè cōtra illos militat, vt perfrictæ ſit frontis, quiſquis illud negare audeat. Proteſtationes contra Eccleſiaſticorum exceptionem in hac pace factas eſſe dicunt: priuatæ iſtæ ſunt nō publicæ, neq; acceptę, ſed nec ipſi decreto inſertæ: quæ proteſtationes ſi quid generali concluſioni derogarent, iam illud dici poſſet, quod Illuſtriſs. duo Electores in præmiſſa epiſtola Pontifici impingunt: pacem nimirum Religionis eo modo nos nondum habituros. Sed Electorem à Pontifice ampliſſimo illo Collegio eiectum criminantur: Negat Pontifex (neque enim Electoratus in ſua ſententia facit mentionem) negat Cæſar in literis ſuis ſuperius commemoratis. Pontifex Archiepiſcopum, qui ad ſuum tribunal ſiſti de-

Epiſt. 1. ad omnes Epiſcop. &c. Anno 363.

Theodor. lib. 2. Eccle. hiſt. ca. 4.

debebat, condemnauit. An verò Gebhard' Archiepiſcopatu ſpoliatus, in clariſſimo illo Electorū Senatu retineri debeat, id Cęſari & alijs quibus id iudicium competit, diſceptandum relinquit: qui ex præſcripto Aureæ Bullæ, pactorum & confœderationum eiuſdem Collegij, id non difficulter poterunt determinare. Certum enim eſt Electoralem dignitatem huius Diœceſeos ſuper Archiepiſcopalem dignitatem eſſe fundatam, & neminem poſſe Electorem Colon. eſſe, niſi idem ſit, & Archiepiſcopus. Ius autem & naturalis ratio dictitat, quod fundamento deſtructo, reliqua corruant, iuxta illud vulgare dictum:

Collapſa ruunt ſubductis tecta columnis.

Huius rei omiſſis peregrinis exemplis domeſtica nonnulla adferemus, quibus arguitur Pontificem Archiepiſcopos Colon. ante & poſt Electoralis dignitatis acceſſionem priuaſſe, & ſedibus ſuis exturbaſſe. Anne circa annum Domini 871. Gunterus Archiepiſcopus Colonienſis vnà cum Thetgaudo Treuerenſi Archiepiſcopo à Nicolao Pontifice excommunicatus & ſede pulſus eſt, eò quod Lotharij Lotharingiæ Ducis, qui vxorem ſuam Tybergam repudiauerat, & Colonienſis ſororem Vaſtradam ſuperinduxerat, facinus approbaſſet?

Sentijt ne & hoc Adolphus Comes ab Altena Colon. Archiepiſcop. & Elector, quem Innocentius tertius per Syphridum Moguntinum & Cameracenſem anno 1205. in ipſa Eccleſia Metropolitana Ottone rege totoque Clero inſpectante, omnibus dignitatibus priuauit, & Capitulum nouum Archiepiſcop. eligere pręcepit: quod & factum eſt.

Theodoricus quoque Montenſis Comes, Archiepiſcopus & Elector Colonienſ. à ſummo Pontifice circa annum Domini 1214. anathematis fulmine percuſſus, toto vitæ tempore priuatus vixit.

Quid verò noſtra ætate Hermanno à VVeda acciderit, cum ſuperius dictū ſit, non eſt quod hîc denuò

nuò recenſeamus. Sũt quidem Archiepiſcopatus & Electoratus diſtinctæ dignitates, ſed inſeparabiles: ſi enim ſeparari potuiſſent, Adolphus Comes de Marca tempore Vrbani V. & Caroli IV. cum filiam Comitis Cliuenſis Margaretam vxorem duceret, atq; Archiepiſcopatum reſignaret, Electoratum ſibi reſeruaſſet. Idem fortaſſis & Illuſtris Comes Iſenburgicus feciſſet. Truchſeſius igitur Archiepiſcopatu priuatus, propter connexionem & cohærentiam, priuatus eſt & Electoratu: connexorum enim idem eſt iudicium, & connectio ſecundum Iurisconſultos operatur vt vnitas & vna ſententia eſſe ſentiatur: neque igitur opus erat noua ſententia, vt Truchſeſiani volebant, qua etiam Electoratu priuatus declararetur. Huc accedit quod Gebhardus nec electoratus inſignia, nec regalia vnquã ab Imperatore obtinuit. Vbi autem non eſt habitus, ibi nec priuatio locum habere poteſt. Quod autem Gebhardus in adminiſtratione Electoratus fuerit, id ex ſingulari diſpenſatione atque indulto Cęſaris illi fuit permiſſum. Sed longius quam propoſitum erat digreſſus ſum: Theologorum & Iuriſconſultorum eſt ita exactius diſputare. nos quid vtrinque actum ſit narramus. Poſtquam igitur priori libro Archiepiſcopi Colonienſis Gebhardi à fide atque ab Eccleſia Catholica defectionem expoſuimus, hoc verò Secundo Capituli ad eiuſdẽ Gebhard. præpoſtera conſilia, ſtudiaq; retardanda prudentiam atq; alacritatem proſecuti ſumus: ſatiſq; abunde declaratum eſt, quo tempore, quomodo & quibus de cauſis Gebhardus condemnatus, atq; Archiepiſcopatu exutus eſt: quantumque pro eo Electores, alijque Proteſtantium Principes laborârũt. Conſentaneum igitur arbitror hic librum terminare, & quæ Illuſtriſſimo Principe, Duce Erneſto Bauaro, Colonienſi Archiepiſcopo Electo & confirmato geſta ſunt, Tertio libro reſeruare.

Finis libri Secundi.

BELLI

regno Sultanorum Aegypti plebem à Mameluccis impunè diripi? quid miſerius, quam in interregno Pontificum Rom. omnia cædibus ac ſtupris miſceri? ad quem abuſum tollendum Conclauis vſus in magno Lugdunenſi Concilio eſt inſtitutus, vt in poſterum conclaui, niſi Pontifice creato, egredi nō poſſent Cardinales. Parium vel etiam maiorum periculorum metus Pontificem Roman. Gregorium XIII..& Rodolphum II. Imperatorem impulit, ad noui Archiepiſcopi Colonienſis Electionem maturandam. Prȩterea bellum ſuſceptum proſequendum erat neceſſariò: prȩterquam enim & quod denunciatum erat, & rebus repetitis gerebatur, ſalus ſubditorum atque firmamentum omnis benè conſtitutæ Reipub. ſancta ſcilicet religio periclitabatur. Dederat Gebhardus belli cauſas, non acceperat: Catholici arma defenſiua parabant, non offenſiua. Porrò & bellum hoc erat periculoſiſſimum, cum quia potiora Diœceſeos loca hoſtis occupabat: tum etiam quia plurimos fautores, amicos, ſocios, commilitones in ipſius Reipubl. venis atque viſceribus deliteſcentes habebat.

Sub Gregorio anno 1274.

Neceſſe igitur erat vt nouus Archiepiſcopus quam citiſſimè eligeretur: Non quod Reuerendi, illuſtres atque eximij Domini de Capitulo rebus malè præfuiſſent, ſed quia tempeſtas hæc omninò ſingulare dominium poſtulabat. Nulla enim ſancta Societas, nec fides regni eſt: exemplo ſunt Romulus & Remus gemelli, Romulus item & Tatius, Exemplo ſunt M. Craſſus, Iulius Cæſar & Cn. Pompeius Triumuiri: & poſtea Lepidus, Antonius & Auguſtus. Ferè enim fit vt politiæ & Ariſtocratiæ in Oligarchias, & Oligarchiȩ, tandem in tyrannides mutentur. Neque etiam tantum ambitio in cauſa eſt, cur omnis poteſtas, vt ait Lucanus, ſit conſortis impatiens, ſed & diuerſa iudicia, diuerſæq; affectiones: quod alius aliter Reip. conſulendum eſſe putat, quodq; à Collegis impeditur,

quo

quo minus officio fungi, ac periclitari Reipubl. ſuccurrere poſſe videatur.

Non igitur ſaluberrimum ſolum eſt (vt Tacitus ſcribit) ſed etiam neceſſarium in magnarum rerum adminiſtratione, Imperium penes vnum eſſe: & quidem tres Tribuni poteſtate Conſulari documento fuêre, vt Liuius tradidit, quam plurimum Imperium bello inutilis eſſet. Conſimiliter L. Paulus & Terentius Varro aduerſus Annibalem: Chriſtiani Principes aduerſus Turcarum Regem: Græcorum Duces aduerſus Philippum: nec ita pridem Germanorum proceres aduerſus Carolum quintum, magno ſuo damno experti ſunt, nihil à pluribus rectè imperari poſſe. Quare prudenter Græci & Romani, cum graue bellum, aut ſeditio ciuilis Rempubl. perturbaret, ad vnius Dictatoris aut Archi, aut Harmoſtæ imperium, veluti ad ſacram anchoram, confugiebant. Eadem & nunc in Diœceſi hac erat neceſſitas: quin & Canones electionem accelerandam vrgebant. Non latuere hæc Caſimirum, Iohannem Bipontinum, Nuenarium & Carolum Truchſeſium, qui cum viderent Capitulum neque admonitionibus, neque precibus, neque minis ab incœpto deterreri: ſed ad electionem inoffenſo pede procedere decreuiſſe, ad Colonienſes minaces literas ſcribunt, monentque ne tam præpoſteram electionem in Vrbe ſua fieri permitterent: Ipſi autem Cæſaris voluntatem atque mandatum potius amplectentes, Capitulum in ſuo iure impedire noluerunt, & grauiter omnibus ſcriptis ſeſe purgantes reſponderunt. Erant autem hoc tempore Capitulares Duces, Comites & Barones, Principes ſummę fidei atque auctoritatis complures, digni qui ad huius ſedis faſtigium aſſumerentur, ſi pax, ſi tranquillitas Reipubl. perturbata atq; conuulſa non fuiſſet. Nunc autem Republ. miſerandum in modum lacerata, quærendus erat Princeps, qui plurimum opibus atq; potentia polleret.

Inter

Digitized by Google

Inter hos Illuſtriſſimus Bauariæ Dux Erneſtus antecellebat. Genus, ætas, forma, auctoritas, fortuna, Religio, virtus; omnia in hunc Principem bona, cœleſti prouidentia, ceciderant. Si quis genus quæreret, paternum ipſi genus erat Bauaria, maternum Auſtria; Fortiſſimorum Ducum domicilia, Principum ſedes, Imperatorum ſeminaria, Catholicæ religionis hoſpitia, ſi cognationes affinitatesque, Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ dominatores, ſanguine atque affinitate illi contingebant: ſi amicitias, quæ ad conſeruanda atq; ſtabilienda Imperia plurimum conducunt, potentiſſimi totius orbis Chriſtiani reges & principes, tam eccleſiaſtici quam ſeculares, Boiorum familiam deoſculantur. Ea erat ætate, quæ ad conſilia & auxilia ferenda eſt aptiſſima. Ea totius corporis ſpecie heroïca, quæ Principem procul oſtentabat, quam improbi verebantur, amabant boni: ex qua quis animi bonitatem facilimè potuit ſpeculari. In hoc pulcherrimo domicilio recta fides, virgineus pudor, cœleſtis manſuetudo, inuicta conſtantis animi aduerſus voluptates omnes contumacia, indictum vitijs bellum, & ſumma ſemper petentis inuicti ſpiritus ſublimitas: in hoc fortitudo, iuſtitia, prudentia totusque virtutum chorus ſedem ſibi fixerant immobilem. Si denique fortunam quis ſpectaret. cum alij imperium ſibi cede ac ſanguine aſſerere, ferro tueri, periculo ac ſcelere ſoleat propagare: hic & in ampliſſima ditione natus erat, & dijs (vt aiunt) hominibusq; plaudentibus ad maiora aſſciſcebatur. Nam pręter ampliſſ. patrimonium ex electione Friſingenſis & Hildeshemenſis ei patebant epiſcopatus: ex legitimis ordinum ſuffragijs latiſſimis Eburonum finibus imperabat: adeò nihil in eius felicitate cruentum, nihil emptum erat cuiuſquam malo. Hæc omnium hominum ipſi animos conciliabant, hæc in eo omnes admirabantur, venerabantur, prædicabant. Ob hæc omnium

incolarum in Bauarum eligendum oculi, voces ac vota ferebantur.

Die itaque Electioni conſtituto, mane hora ſexta poſt preces matutinas, in choro Eccleſiæ Metropolitanæ, cum magna ſolennitate Sacrum fiebat: in quo Spiritus ſanctus, de more Apoſtolorum, inuocabatur, vt propitius futuræ Electioni adeſſe, & quem ipſe tam antiqua celebri & ſancta Sede dignum ſciret, in eum vota atq; ſuffragia cunctorum dirigere dignaretur. Intererant huic Sacro Capitulares omnes qui in Vrbe erãt. Interea ampliſs. vrbis Senatus, aliquot ciuium centurias in armis eſſe iubet (ea enim iam à multis ſeculis recepta eſt conſuetudo) vt, ne quis tumultus excitaretur, aduigilent. Peracto Sacro, Suffragatores ad conclaue (quod Domum Capitularem vocant) ſe conferunt. Præcedit Illuſtris Dominus Decanus Comes Schavvenburgius, ſequitur eius Vicarius Comes in Tengen: cum verò ad Fredericum Saxoniæ Ducem Choriepiſcopum deuentum eſſet, ſubridens ille, Leodienſium Epiſcop. Erneſtum Bauariæ Ducem (qui Prælatus in hac Eccleſia non erat) præcedere voluit: diuinans quodammodo eum paulò poſt Archiepiſcopum futurum: omneſque alios & loco & dignitate præceſſurum. at Princeps hic modeſtiſſimus, iſtum honorem, nõdum maturum, recuſauit. Duces, Comitesque alij, Canonici, Presbyteri (ad quos etiam pertinet ius eligendi) ſubſequebantur. Poſtquam ad locum ſuffragationis ventum eſt, pręmiſſis ijs quæ fieri conſueuerunt, ad Electionem ſeſe præparant: cumque iam vota colligerentur, deprehenſum eſt mirabili conſenſu atque omnium ſuffragijs, Illuſtriſſimum Principem Bauariæ Ducem, Friſingenſem & Leodienſem Epiſcopum, atque Hildesheimenſem Adminiſtratorem, nunc Archiepiſcopum etiam Colonienſem Electum. Felix certè Eccleſia, cui talis Præſul obtigit, felix Præſul cui talis obtigit Eccleſia. Quod ſi non modo hi

Electores tui,ſed & ipſa Roma, & Italia & Gallia, & ex Prouincijs viritim omnes in ſuffragium iſſent,ſi vniuerſum Chriſtianorum nomen, vno in loco de Archiepiſcopo Colonienſi deligendo Comitia habuiſſet, nulli magis quam tibi Erneſte Princeps Clement. tantæ rei pondus impoſiturum videretur. Olim cum Truchſeſius eligebatur, tu quidem eligi merebare, ſed neſciſſemus quantùm tibi deberent ſubditi,ſi tunc electus fuiſſes. Expectatum eſt diuina prouidentia tempus illud,in quo liquebit, non tam accepiſſe te beneficium, quam dediſſe.Sed Panegyricis hęc relinquamus,nos inſtitutam hiſtoriæ narrationem proſequamur.Dum electio fiebat, duo Conſules, duo Quæſtores, duo conſulares,totidemq;Doctores Syndici,& aliquot Senatores in templum Metropolitanum veniunt: chorumq; intrantes ſubſellia & locum in quo electio publicari ſolet,de more occupant. Cum verò electionem factam intellexiſſent antequam prodirent Electores, Secretarium in conclaue mittunt. is nouo Electo literas,concordata & pacta nonnulla inter Archiepiſcopos & Senatum continentes, ſubſignandas offert. Quod cum peractum erat, prodijt nouus Electus, & cum ſolenni pompa in chorum deducitur: Senatus obuiam illi procedit, honorificeque gratulatur. Inde ad chorum deductus,in ſummum altare eleuatur(is Eccleſiæ ritus eſt)& ſtatim chorus,cum ſuauiſſimo iubilo, Canticum Ambroſij atque Auguſtini,quod in precibus matutinis canitur,auſpicatur: atque ad finem alternis verſibus,Organo exceptis, proſequitur. quo abſoluto,Electorum ſenior,alta voce Electum coram populo nominat, atque declarat. Tandem ſplendido comitatu Archiepiſcopum ſuum ad aulam deducebant.Comites,Barones,& Nobiles Vaſalli Eccleſiæ præcedebant:medij Capitulares ibāt; Ampliſ.verò Senatus ſubſequebatur.Hinc inde lōgo ordine ciues in armis ſtabant,& quaſi obliti pa-

triæ laborum atq; difficultatũ, ſibi mutuo de tam Catholico, pio, atq; potenti Electo gratulabantur.

Inde ad prandium primores Eccleſiæ, alijque quàm plures accedebant, ſumma cum honorificentia, reuerentiaque Nouo Electo gratulaturi.

Dum hæc in aula fiunt, Nuncius Apoſtolicus Epiſcopus Vercellenſis citat Comitem Solmenſem, & Baronem à VVinnenberg Canonicos, vt ſe purgent. Citatio valuis templi Metropolitani affixa eſt, in hanc ſententiam.

Citatio Solmenſis & Winnenbergij.

I. Franciſcus Dei Apoſtolicæq; ſedis gratia, Epiſcopus Vercellenſis, & Comes, & ad S. Cæſaream Maieſt. & vniuerſa Germaniæ loca, ad quæ nos declinare contigerit, Nuncius Apoſtolicus, cum poteſtate legati à latere, &c. ex cauſis hæreſium, de quibus in actis & teſtium ad informationem receptorum dictis latius conſtat, inſtante fiſci procuratore, citamus, requirimus & monemus Hermannum Adolphum Comitem Solmenſem, & Iohannem Baronem à Winnenberg, vt intra ſpacium nouem dierum, quorum tres pro primo, tres pro ſecundo, & reliquos tres pro tertio & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus, coram nobis compareant, & quilibet ipſorum compareat, cauſam iuſtam (ſi quam habeant) dicturi & allegaturi, quare canonicatibus, præbendis, omnibusq; alijs Eccleſiaſticis beneficiciijs & dignitatibus, quæ & quas tam in ſummo templo Colonienſi, quam alibi habent, ſeu poſſident, priuari non debeant, decernentes citationem huiuſmodi in pleno Capitulo faciendam, & in ædis Cathedralis parte affigendam, ob non tutum ad eoſdem acceſſum, de quibus ſatis ſuperq; conſtat, perinde valere, ac ſi perſonaliter ibidem reperti, & ad prædicta citati, monitiq; eſſent. Datum Coloniæ apud S. Cunibertum 28. Maij, ad noui Calendarij præſcriptum anno 1583. Vercellenſis verò & Iulius Guidius eius Notarius ſubſcripſerunt.

Maij 24. Poſtridie rurſum totius Eccleſiæ Metropolitanæ Clerus, nouum Electum ex aula, ad ſolenne Sacrum ducunt; finitoque Sacro reducunt, Prætore (quem

vice

Vice Comitem vocant) cum faſcibus antiquorum more præcedente.

Reuerſus in aulam Princeps, inuenit iſtic Conſules, Quæſtores, Conſulares, Syndicos, & præcipuos aliquot Senatores, quos S. Celſitudo ad conuiuium vocari iuſſerat. Hi nomine Senatus, totiuſque Reipub. breui, ſed accurata oratione, per Clariſs. atq; eloquentiſsimum Doctor. Petrum Steinvvichium Principi de nouæ huius dignitatis acceſſione gratulati ſunt. Deinde habito amiciſſimo colloquio, de rebus quæ ad pacem & concordiam inter Archiepiſcopum & Senatum conſeruandam pertinebant, Princeps vnà cum Nuncijs Põtificijs, Legatis Cæſareæ Maieſtatis, Ducumque Bauariæ & Iuliæ, ipſoque Senatu pranſus eſt. Magnus eo die concurſus erat Satraparum, aliorumque vrbium atque arcium præfectorum, ad aulam venientium, vt nouum Archiepiſcopum ſalutarent, eique fidem ſuam cum iureiurando offerrent.

Tertio tandem ab electione die, veteri de more, Colonia deceſſit, & inſigni cum Comitatu ipſe paludatus, generoſo inſidens equo, Bruelam profectus eſt, vt ibi primò, deinde etiam in alijs ſuæ Diœceſeos oppidis inaugurare tur.

Dum hæc Coloniæ, & in vicinis locis aguntur, Truchſeſius iam per Pontificis ſententiam, & nouam electionem, irreuocablli atque indelebili infamiæ nota, ſuo Archiepiſcopatu ſpoliatus, dum

Flectere non potuit Superos, Acheronta mouebat.

In VVeſtphalicis enim ditionibus, omnia ſurſum, deorſumq; vertit, templorum ornamenta diripuit; Chriſti, Sanctorumq; imagines confregit, atque exuſſit: viuifica Eccleſiæ Sacramenta pedibus conculcauit: nec ſic quidem rabies ſatiari potuit, in Catholicos tandem ſæuire cœpit: omnia Eccleſiaſtica bona, etiam quorundam Secularium facultates, inter alios Licentiati D. Iohannis Auerdunckij, fiſco ſubſignauit. Ipſe quoque in VVerl

CXXV. militibus comitatus aduenit, ciuibusque præterquam quod præſidiario milite plurimum grauarentur, intolerabile tributum indixit. Salarijs etiam ſalis ſui decimas, præter communem indictionem extorſit, eo quod Catholici eſſent. Ante alios verò omnes Seniorem Hermannum Lilierum, & Gerardum Brandes conſules, cum Theodorico Liliero, quem paulò ante arcis præfectura ſpoliârat, miſeris modis diuexauit. Sed & plures alij viri pij, pacifici atq; Catholici digna atq indigna paſſi ſunt, quibus tamen carnificina atq; mors ipſa optatior erat, quam quod ab auita ſua Religione vnguẽ latum declinaſſent. Gebhardus autem vbi in arcem venit, præfecto Carthauſio, nuper in Lilieri locum ſurrogato, præmium fidelitatis reddidit: illo enim amoto, VVinnenbergio pręfecturam cum arcis cuſtodia demandauit. Id in ciuilibus diſcordijs non rarò fit, vt Principes ad periculoſas expeditiones plebeis vtantur. qui cum ſuperiores euaſerint, prouincia nacta, exiguo tempore honoribus cumulantur, quibus cum paululum gauiſi ſunt, repentè ſubſtitutis nobilioribus, exturbantur: in eo venaticorum canum fortunæ participes, qui pro laboribus, capta præda tantiſper fruuntur, dum eam ad dominos ſuos attulerint, poſtea ne minimam portionem ex ea percipientes. Ipſe autem Truchſeſius quotidie ad Engelbertum Rouendiſch virum hoſpitalem diuertebat: nec rarò (vt fama erat) cum eo prandebat, vt ſimulata hac comitate, auram populaeem captaret.

Similitudo.

Bernhardi Tutellij paſtoris in VVerl conſtantia.

Erat tunc temporis vir quidam in VVerl, morum grauitate & fidei conſtantia inſignis, nomine Bernhardus Tutel, Paſtor eiuſdem Eccleſiæ, is magna cum libertate in ſuis cõcionibus populum ad perſeuerantiam in fide Catholica exhortabatur: admonens oues ſuas, iam iam viſitationis tempus adueniſſe, lupos famelicos ouile circuire, cauerẽt ne aut metu, aut pollicitationibus, aut blanditijs, aut nouitatis

uitatis ſtudio, ouili excederent: ſed ſecurè ſub matris vberibus, ſuiq; paſtoris protectione permanerent. Non tantum in fine, ſed ſparſim per integras conciones, vbicunq; ſe occaſio offerret, in falſa hæreticorum dogmata inuehebatur, eaq; magna cum dexteritate refellebat. Cum verò Caſparus Matthæi Truchſeſiani Euangelij miniſter, multa blaſphema, multaque de adoratione, cultuque diuino imaginibus hactenus exhibito mendacia in Catholicos euomuiſſet, Tutellius, ipſo præſente atque audiente Caſparo, impudentiſſima iſta mendacia confutauit: Catholicos defendit: & populum admonuit, vt ex blandæ iſtius linguæ falſis perſuaſionibus lupum agnoſcerent. Ad reliqua veniam, ſi hoc vnum de eodem Tutellio addidero. Ipſo die Paſchæ cum Copius, vt antea diximus, poſt eum concionem ad populum haberet, auditores hortabatur, vt ea, quæ de Sacratiſſima Euchariſtia docuerat, alta mente reponerent, ſtatim enim finita ſua concione Lupum ſuggeſtum aſcenſurum, qui negaret in Euchariſtia veram carnem, verumque ſanguinem Chriſti præſentem eſſe: eum non audiant, multò minus credant: eius doctrinam non mirentur: eſſe enim iam tempus, quo Chriſtus prædixit fore, quod multi falſi Prophetæ venirent, qui incautam plebeculam ſeducerent, atque à vera fide ad falſas opiniones auocarent. Ob hæc & alia huiuſmodi multa, fidelis ille Paſtor ab aduerſarijs indigna tulit, tam in ſuggeſtu, quam in ædibus ſuis atque publicis plateis. Auditores etiam illius multis cõuitijs atq; ludibrijs à Truchſeſianis laceſſiti ſunt. Diebus Veneris alijſque temporibus, quibus carnium eſus in Eccleſia eſt interdictus, oſſa, carneſque in ſubſellijs, poſuerunt: vt ipſis vel ceremonias ſuas exprobrarent, aut huiuſmodi ſpectaculo motis ſenſibus, Catholicos ad violandum Eccleſiæ præceptum inuitarent. Conſtitutum etiam erat, vt audita hora octaua matuti-

na, confeſtim Paſtor Catholicus ſuæ concioni finem imponeret: & locum aduerſariorum Miniſtro daret, illi verò peruerſo ſuo zelo accenſi, non rarò ante octauam horam, vt concionatorem impedirent, campanarum ſtrepitu, aliaque petulantia Catholicum exercitium interruperunt.

Exercitium Catholicæ Religionis in Werl prohibetur.

Hanc Paſtoris Tutellij conſtantiam, non tulit Gebhardus; eique iuſſit, vt poſt ea ab omi Catholico exercitio abſtineret, velle enim Catholicos omni ſuæ religionis exercitio priuatos eſſe: idque contra mandatum paulò ante editum. Deinde ciues omnes in arcis pomerium conuocauit, eoſque nouo ſibi iureiurando deuinxit.

Poſtquam Catholici VVerlenſes hoc modo eſſent tractati, mox Truchſeſiani ſeſe ad iconomachiam accinxerunt: ad templa magno cum tumultu concurritur: fores clauduntur, ſimulachra omnia in terram præcipitantur, conculcantur, franguntur. præcipuè verò in Imaginem B. Mariæ quæ affabrè facta, in medio templi pendebat, ſæuitum eſt. Inde etiam altaria omnia prophanata & funditus euerſa ſunt.

Catholici verò ſuæ religionis exercitio prorſus ſpoliati, vnà cum Paſtore ſuo feſtis diebus in Burich, pago vicino ſolent conuenire: vt viuificum Chriſti Euangelium audirent. Truchſeſiani poſtquam id odorati ſunt, magno furore atque indignatione eò accurrunt, & ſpoliato templo, imaginibus contritis, ariſque euerſis, tandem in hierotheca Hoſtiam conſecratam inuenerunt, quam in terram effuſam (dictu horribilè) pedibus conculcarunt: inclamantes, Si Catholicorum Deus eſſet, ſeipſum nunc adiuuaret. Tam inſigni ſacrilegio etiam hac Eccleſia deformata, Paſtorem arripiunt, eumque ſtola aut caſula indutum, cum multis candelis cereis, & nolis contumelioſè in arcem VVerlenſem ad Gebhardum deducunt, qui ſe non exiguo lytro redimens dimiſſus eſt: cum mandato ſecundo,

do, ne in poſterum Catholicum exercitium admi-
niſtraret.

Conſul VVerlenſis capitur.

Paulò poſt Gebhardus alterum Conſulem, cognomento Godde, virum ſyncerum ac probè Catholicum, poſtquam is laboraret, vt virtute placiti Truchſeſiani de libertate vtriuſque religionis, Catholicum exercitium conſeruaret, in carcerem coniecit. Vt autem factum hoc ſpecioſo titulo prętenderet, & iure id fieri videretur: Subornatus eſt quidam proditor, qui in ſalinis foſſis ſeſe abdiderat, in quibus deprehenſus eſt, atq; in vincula coniectus: is cum in eculeo examinaretur, faſſus eſſe dicebatur, ſe à Frederico Duce Saxoniæ, eiuſque Legato, fiduciariam operam obtinente, ære conductum, vt oppido VVerlenſi quatuor locis ignem inijceret, qui illud depopularetur: eius rei ſe habuiſſe literas ad ſeniorem Conſulem Godde. Cum verò literas proferre iuberetur, dixit ſe eas in ſalinas foſſis proieciſſe, atque in fundo ſub cœno occultaſſe. Magiſtratus non exiguis ſuis ſumptibus per colliquias aquam è ſalinis elicuit: literas verò non inuenit, in fidiculas iterum extenſus Proditor, cum facti fides latius inquireretur, dixit: ille ſe literas deuoraſſe. Vocauit ad ſe in arcem Magiſtratum Truchſeſius, confeſſionemque omnem exponit: & Conſulem (vt antea dictum eſt) apprehenſum, quatuor ſeptimanas continuas in vinculis detinuit. Interea ſæpius multumque Catholici ciues pro ſuo Conſule intercedebant, oblatiſque libellis ſupplicibus, vt Gebhardus accepta cautione, illum dimitteret, orabant: nihil tamen tunc impetratum eſt. Incendiarius ille, poſtquam in fidiculis iam multa alia confeſſus eſſet, quibus ignominioſum mortis genus meritus erat, tandem ad ſupplicium raptus eſt. Iamque in cataſta ſeu pegmate in quo moreretur ſtans, fandi copiam poſtulat, promittens ſe ipſam veritatem prolaturum. Impetrato quod peteret, initio ſe peruerſo animo multa

Caluiniana praxis.

grauiſſima crimina commiſiſſe non inficiabatur, quibus mors, quam ante oculos præſentem videbat, meritò debebatur, orabat itaque populum, vt Deum omnipotentem pro miſeræ ipſius animæ ſalute deprecarentur. Quantum verò ad literas attineret, quæ toties ab eo iam poſtulatæ fuerant, ait ſe in conſpectu Dei, totiusque plebis, quæ ſupplicij ſpectatrix aſtabat teſtari, quod nunquam tales literas habuerat, quod neque Saxoni, neque eius Legato vnquam locutus fuerat, multò minus ad captum iam Conſulem ſibi legationem iſtam fuiſſe demandatum. Hæc ita eſſe, & in ea confeſſione ſe moriturum inquit: ſtatimque procumbens, capite plexus eſt. Conſul verò acerrimis Catholicorum, tum alijs in locis & temporibus, tum maximè in conuentu Arensbergenſi defenſor: poſtquam primum data cautione carceris incommoda euaſerat, domi ſuæ incluſus, diu coactus eſt deliteſcere, priuſquam plenam liberationem eſt conſecutus.

Conſul Werlenſis è vinculis dimittitur.

Hæc omnia quæ de electione noui Archiepiſcopi commemorauimus, ſtatim ad aures Ludouici Electoris Comitis Palatini allata ſunt; is vt ceteris vehementior, dentatas ad Imperatorem literas mittit, in quarum exordio, *Se cum animi perturbatione intellexiſſe* ait, *iniquam Papæ excommunicationem, tanti apud Suam Maieſtatē æſtimari, vt cauſa illius aecretum iam ante colloquium, conceptaq́; cauſæ Colonienſis diſcuſſio, irrita ſint futura: Cæſaremq́; tam indignam Romanam cenſuram ratam habere, & in Imperio ad ſuæ aliorumq́; Ordinū dignitatis, atq́; libertatis imminutionem, laudabiliumq́; & antiquarum Imperij conſtitutionum contemptum locum dare.* Deinde nunciat Cæſari, *Francos qui ad Gebhardo militandum aduenerant, pedem retraxiſſe* (fugatos, cęſos, ſuſpenſoſque eſſe non addit) *idq́; in gratiam Imperatoris factum, eò quod tranſactionem controuerſiæ Colonienſis promiſerat, queritur verò aduerſam partem poſt tot literas & legationes, Hiſpanum militem nondum dimittere. Se, ceterosq́; Electores & Ordines Auguſtanæ confeſſionis, appro-*

Iulij 6. Ludouici Electoris ad Cæſarem querela.

approbare non poſſe, quod ad Pontifici ſatisfaciendum, tam neceſſarius conuentus prorogetur: nec non & Principibus Imperij, quibus poſt Cæſarem patriæ ſalus incumbit, non exiguas ſuſpiciones allaturum, quod Pontifici tantum in Germanos permittatur. metuendum non immeritò ex eo eſſe, conditiones pacis Auguſtanæ, quæ ſemper Romano Pontifici aduerſæ fuerint (vt qui eiuſdem Confeſſionis ſociorum perpetuò ſanguinem ſitit) breui violatum iri. Ex congregatione; pari vtriusq; Religionis Principum numero conuocanda, nuper à Sua Maieſtat. propoſita, in poſterum nihil emolumenti expectandum eſſe: cum iam ab ipſa promiſſa ſex hebdomadæ effluxerint, atq; interea Pontifex ſuam excommunicationem inſtituerit, nouaq; electio facta fuerit. Mox iterum ad priora dilabitur, amplificatque indignum illud (ſi dijs placet) Pontificis facinus, *quod falcem ſuam in alienam meſſem miſerit & membrum clariſſimi Electorum collegij ſua dignitate ſpoliauerit. huic facinori & alia non minus inuiſa dicit acceſſiſſe, magis verò quod id æquis animis feratur, Capitulares nimirum numero paucos, totius Collegij nomine vſos, ceteris abſentibus, quibuſdam etiam non euocatis, non tantum ad Electionem progreſſos eſſe, ſed legitimum etiam Archiepiſcopum ſuum, aliosq; abſentes Capitulares, in tabella depictos, per viam proceſſus* (hoc vtitur prouerbio) *in Rhenum effudiſſe, quod in Imperio inauditū eſſe ait. Nouum quoq; Electū confeſtim adminiſtrationē ſuſcepiſſe; 400. comitatus equitibus Bruelam veniſſe: paulò poſt oppidi Bonnenſis deditionem poſtulaſſe, dumq; hæc negatur, Parmenſem auxilia ad obſidionem auſpicãdam deferre. Sed Truchſeſium ceterosq; Capitulares et adhærentes, non ſupinos fore; ipſos quoq; ſubſidio amicorum ſuorum, honorem atq; exiſtimationem ſuam defenſuros; imò iam pro illis militem conſcribi.* Porrò difficultates enumerat, *& incommoda, quæ in Imperio exurgerent, ſi Pontificis excommunicationem Capitulum ope Hiſpanorum exequi præſumat.* Addit *ſibi dolere, rem tam nefariam Sua Maieſt. tempore introductum iri. Pontificem verò Romæ tanquam ex altiſſima ſpecula cædes ac ſanguinem Germanorum, non tantum libenter conſpecturum, ſed etiam quanto ipſis peiora acciderint,*

tanto

Digitized by Google

tanto ipſum maiora lætitiæ ſigna daturum, tantoq; alacrius Te Deum præcenturum. id quod in ſanguineo Pariſiorum balneo factum eſſe, adiungit. Poſtremò Cæſarem precatur, *vt Pontificis ſtudio reſiſtat, ne quam Germanos ſuæ libertatis iacturam facere, aut ob Religionem Auguſtanam in conſcientijs, vel honoribus aliquod contrahere damnum contingat; ne deniq; Germania ceteris nationibus fabula fiat, atq; miſeriæ ſpectaculum conſtituatur.*

Hæc ſumma eſt eorum quæ Elector Palatinus ad Cæſarem ſcripſit; cuius cum ego manibus luctari nolo, hoc vnum tamē inter cetera miror, eius Celſ. dicere, Electionem à Capitularibus, numero exiguis factam; cum ex 16. Ducibus & Comitibus ad quos electio ſpectabat ſeptem abfuerint, tres tantummodo palam in electione non conſenſerint, Octo verò Presbyteros & adfuiſſe conſtet, & Bauaro ad Archiepiſcopatum eſſe ſuffragatos.

Iunij 9. Poſtridie quam Palatinus prædictas literas ad Cæſarem adferri curauerat, eius frater Caſimirus Iohannem Bernardum à VValbrun, magiſtrum equitum conſtituit, eique mille optimè armatos equites attribuit, quibus amoto Archiepiſcopo Gebhardo ſuppetias adferret, pacta eiuſdem Gebhardi, chirographum etiam, quibus Caſimiro Diœceſin oppignorauerat, cuius ante mentionem fecimus, aliaque omnia ad hanc equitum collectionem neceſſaria, ad eundem de VValbrun deſtinauit, omnemque diligentiam adhibuit, vt quam celerrimè pedites equiteſque cogere, & in Diœceſin Colonienſem ducere, aduerſarioſque ignorantes, quam magna belli Comes ſit acceleratio, adhuc imparatos, præuertere atque opprimere poſſet.

Iunij 10. Archiepiſc. Erneſtus Noueſij inauguratur. Nouus verò Electus, Illuſtriſſimus Bauariæ Dux, expeditis ijs quæ in ſuperiori Diœceſi agenda erant: Noueſium profectus eſt, vt illic inaugureraretur. Erant hic ciues nonnulli factioſi, qui audientes Electum venturum, inaugurationi obſtrepere

ſtrepere cœperunt. Senatus verò & melior ciuium pars, dum varijs inductionibus eis perſuadent, neceſſariam atq; vtilem hanc inaugurationem fore, parumque proficerent, tandem poſtridie in forum venire iuſſi ſunt, quotquot à Senatus decreto diſſentirent. aderat hora ſtatuta, veniunt numero admodum pauci, qui in curiam vocati accedere non audebant, ſed dilapſi ſunt quidam domos ſuas, nonnulli Coloniam, aliaſque in vrbes & loca vicina abierunt, ibidem aliquamdiu latitantes. Senatus verò ceterique ciues Bauarum magna cum ſolennitate exceperunt, eiq; fidelitatis iuramentum præſtiterunt. Venit & Noueſium tunc temporis Illuſtriſsimus Gulielmus, Iuliæ, Cliuiæ & Montium Dux, &c. ſuæ vxoris è ſorore nepotem ſalutaturus: eique adeptam dignitatem gratulaturus. Litem quoque quæ cum oppido de Rheni alluuione habebat, in gratiam iſtius ſolennitatis tunc etiam reſoluiſſe, & de iure ſuo conceſſiſſe dicebatur.

Iunij 11. ſtylo nouo.

Epiſcopus Vercellenſis elapſis iam nouem diebus, Solmenſi atque VVinnenburgio vt interea ſeſe purgarent conceſſis: cum iudicio non ſiſterentur, beneficijs ſuis Eccleſiaſticis ſubſequenti ſententia valuis templi affixa, vtrumque Comitem priuauit.

Iunij 14. ſtylo nouo. Solmenſis & VVinnēbergius priuantur.

I. Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Vercellenſis & Comes, atq; ad Cæſaream Maieſtatem, ac vniuerſæ Germaniæ loca, ad quæ nos declinare contigerit, Nuncius Apoſtoſtolicus, cum poteſtate Legati à latere. Chriſti nomine inuocato, pro tribunali ſedentes, atq; vnum Deum præ oculis habentes, in cauſa & cauſis coram nobis pendentibus inter Hieronymum Verdurum Brixienſis Diœceſis Clericum promotorem, fiſciq; procuratorem ex vna, & Hermannum Adolphum Comitem Solmenſem & Ioannem Baronem à VVinnenberg, qui Canonicorum perſonas in Eccleſia Metropolitana Colonienſi ſuſtinebant delatos & inquiſitos, ex altera: de & ſuper Hæreſibus notoriis & ſuſceptis Gebhardi Truchſeſij olim Archiepiſcopi Colonienſis,

nunc

nunc autem depoſiti partibus & patrocinio: nec non perpetua, cum primarijs hæreticis conſuetudine, & conſiliariorum communicatione, de quibus in actis &c. Dictos Hermannum Adolphum Comitem Solmenſem, & Ioannem Baronem à Winnenberg, ex ijs quæ contra ipſos, in actis deducta probataq; ſunt euidentius, vti hæreticos notorios & excommunicatos, Gebhardiq; Truchſeſij fautores, & aſſeclas apertiſſimos, nec non alijs hæreticis conſuetudine diuturna & conſilijs coniunctiſſimos, non modo Canonicatibus & & Præbendis: verum etiam omnibus alijs beneficijs, officijs, & dignitatibus, iuribusq; ac titulis Eccleſiaſticis quibuscunq;, quæ vbiuis, quomodolibet habuerunt, vel poſſiderunt, ipſo iure priuatos fuiſſe & eſſe declarauimus, & quatenus opus ſit, de nouo delaramus.

Quocirca & hanc noſtram priuationis ſententiam, ad eos ad quos Canonicatus, Præbendas, Beneficia vel eiuſmodi conferre, vel ad illa eligere, præſentareue iure ſpectat, conferendi, eligendi vel præſentandi ius legitimè deuolutum eſſe, itidem decernimus & declaramus, & ita declaranda dicimus, decernimus, & diffinitiuè pronunciamus, omni meliori modo. Ita dicimus & pronunciamus, I. Franciſcus Vercellenſis Nuntius Apoſtolicus.

Appoſita eſt huic priuationi, die eodem 14. ſecundum Gregorianum, quarto verò ſecundum noſtrum Calendarium, & alia ſchedula, eiuſdem Epiſcopi, qua Georgium à Seyn Præpoſitum Eccleſiæ Metropolitanæ SS. Apoſtolorum & D. Andreæ in iudicium accerſiuit, cuius apographum etiam ſubnectere placuit. eſt autem tale.

14. Iunij. Citatur Præpoſitus Comes à Witgēſtein.

Ioannes Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vercellenſis & Comes, atq; ad Sacram Maieſtat. & vniuerſa Germaniæ loca, ad quæ nos declinare contigerit, Nuntius Apoſtolicus cum poteſtate legati de latere, &c.

Ex cauſis hæreſis, de quibus in actis, & teſtium, ad informationem receptorum, dictis, latius continetur, inſtante promotore, & fiſci procuratore, citamus, requirimus & monemus Georgium à Seyn, Comitem à Witgenſtein, ſummiq; templi Colonienſis Præpoſitum, vt ſub conuicti & confeſſi crimi-

criminis & excommunicationis, ipſo facto ſubeundis pœnis, intra ſpacium nouem dierum immediatè ſequentium, quorum tres pro primo, tres pro ſecundo, & reliquos tres pro tertio & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus, coram nobis perſonaliter compareat, ad ſubÿciendum ſe examini & de fide reſponſurus: alioquin dicto termino elapſo, ad dictarum pœnarum declarationem, prout iuris fuerit, procedemus: prædicta eius abſentia & contumacia non obſtante, decernentes ex iuſtis cauſis, animum noſtrum mouentibus, Citationem huiusmodi per affixionem ad valuas Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis & dimiſſionem exempli præſentium in ſolita ipſius habitatione & Præpoſituræ domo factam, perinde valere ac ſi perſonaliter repertus, citatus, & monitus fuiſſet. Datum Coloniæ Agrippinæ apud S. Cunibertum die 14. Iunÿ, iuxta noui & emendati Calendarÿ calculum 1583. Iulius Guidius publ. Apoſtolicæ auctoritate Notarius ſubſcripſit.

Quæ citatio cum ad manus Præpoſiti perlata eſſet, iamq; ipſe legiſſet, ac relegiſſet, arrepto calamo ſic reſponderi iubet.

Nos Georgius à Seyn, Comes à Witgenſtein, Dominus in Homburch, & Præpoſitus Colonienſis, præſentibus noſtris literis notum facimus, ante paucos dies illegitimam Citationem à I. Franciſco Epiſcopo Vercellenſi, Apoſtolico nuncio editam, ad manus noſtras perlatam eſſe, in qua hæreſeos inſimulamur, ob eamq; ſpacio nouem dierum in iudicium accerſimur, vt coram eius tribunale in Vrbe Colonienſi compareamus, fideiq; noſtræ cauſam dicamus. Quanquam autem dictus Nuntius Apoſtolicus in cauſa Religionis de nobis inquiſitionem agere, atq; iure ſuo procedere exiſtimet, tamen veriſſimum eſt, nec coram Deo, nec coram mundo, vnquam deprehendetur, nos vlli in verbo Dei condemnatæ hæreſi adhærere: ſed aperta mente fatemur, nos Symbolum Apoſtolicum veram atq; ſaluiuificam fidem æſtimare, atq; omne illud quod huic non leuiter aduerſatur, pro errore, proq; hæreſi (vbi pertinaciter fit) habere, ideoq; aduerſarios ſæpe noſtram confeſſieonm falsò ſuggillaſſe. Sed ſi idcirco nos calumnientur, quod non in omnibus Sedi Romanæ aſſenſum præbeamus, *Comitis à Witgẽſtein inuectiua in Pontificẽ & eius nuncium.*

Digitized by Google

beamus; fatemur quidem, & illud abſq; omni ſimulatione, vbicunq; Sedes Romana docet ea, quæ cum Symbolo Apoſtolico pugnant, qualia ſunt hodie multa, in quibus Papa non Dei verbum, ſed potius proprium ſequitur: Verboq; Dei humanas traditiones præfert: fatemur inquam, in huiuſmodi nos à Sede Romana diſſentire, & diuino Verbo potius, quam humanis traditionibus obedire teneri. Cum itaque Papa in his articulis ipſe hæreticus ſit, iudex in hac cauſa eſſe non poteſt: neq; eius Nuntio fas eſt nobis aliquam litem intentare, præſertim cum iſtius cauſæ cognitio, ad generale vel prouinciale & liberum concilium pertineat, ad quod nos vocari cupimus. Cui etiam ſi neceſſe ſit ad purgandum nosipſos ab omni condemnata hæreſi promptos exhibebimus. Cum itaq; Papa facultatem de Auguſtana verbo Dei ſuffulta confeſſione, iudicandi non habeat, nosq; eam profiteamur, fruſtra Nuncius Pontificius in nos actionem inſtituit. Præterea & actio ipſa elumbis eſt, atq; nullius momenti, vel ob hanc cauſam, quod ius & auctoritatem, quam in nos habet, neq; publico, neq; priuato ſcripto exhibuerit: ſed nec eam nobis inſinuauerit. Huc accedit, quod ad locum non tutum vocemur, ad quem accedere non obligamur: cum toti mundo conſtet, omnia circumquaq; loca atq; itinera, à militibus obſeſſa eſſe, atq; à præmiatoribus ita infeſtari, vt ſine periculo vitæ, ad vrbem Colonienſem nobis non pateat acceſſus.

Tandem proteſtamur & appellamus quoq; de tam infirmo atq; inuſitato proceſſu, & omnibus quæ ex eo prouenire poſſent, ad meliorem iuris formam & locum conuenientem, iuxta præſcriptum diuini mandati, iuris ſcripti atq; conſtitutionum Imperij. Quod ſi interea contra nos de facto procedatur, æſtimamus illud pro illegitimo atq; violento, cui obedire nec decretum nobis eſt, nec tenemur. ſecundò proteſtantes, quod id ipſum harum literarum publica affixione, hic in ciuitate Colonienſi, vbi Præpoſitum templi Metropolitani agimus, omnibus hominibus ſignificatum voluimus. ne quid præpoſterum de nobis aut credant, aut ſuſpicentur. Cæſareæ deniq; Maieſtati, Electoribus, cæteriſq; Imperij Ordinibus in omni obedientia nos commendamus. In horum omnium fideiq;

dem præſentes literas ſigillo noſtro muniuimus. Data Iunij die 10. Stylo veteri, Anno ſupra milleſimum quingenteſimum octuageſimo tertio.

Senatus Colonienſis Illuſtriſſimo Duci Bipontino, ſe (communicato negotio cum Cæſare & Ordinibus Catholicis) per literas reſponſurum, nuper promiſerat. Volens itaque nunc fidem liberare, & promiſſo ſuo ſatisfacere, his literis illi reſpondit.

Beneuolum, paratumq́; noſtrum obſequium, in ijs quæ noſtræ facultatis ſunt, offerimus tibi Illuſtriſſime Princeps, & obſeruandiſſime Domine, Non dubitamus quin Tua Celſit. meminerit, quid ei, ceterisq́; Electorum Legatis, atq; Illuſtribus Comitibus ad legationem 30. Decembris anni 82. nobis propoſitam, die 2. Ianuarij ſequentis anni 83. reſponſum & quouſq; negotium 4. Ianuarij anni eiuſdem productum, quibusque in terminis relictum ſit, quaq́; reſponſione accepta Tua Celſ. Legati atq́; Comites reliqui hinc diſceſſerint. Nimirum quia Tua Celſ. & qui illi aderant, reliqui omnes in propoſitione veſtra liberè eſſetis confeſſi, cauſam Legationis veſtræ arduam eſſe, eamq; & maturam deliberationem poſtulare; qualem & tunc temporis nos eam quoq; æſtimabamus: Cumq; in negotio Religionis per Imperium, nationemq́; Germanicam, laudabiliter hactenus obſeruatum eſſet; Socios eiuſdem Religionis, ſua inter ſe conſilia communicare: Id quod à Tua Celſ. tuaq; Religionis Socijs, factum eſſe, tam ex oratione in iſta legatione habita, quam ex ſcripto è Comitijs Auguſtanis miſſo aliquo modo conſtaret: Hinc nos velle, præſentem iſtam cauſam, tum Romani Cæſaris Maieſtate, clementiſſimo Domino noſtro, communi & ſupremo capite, alijsq; Ordinibus Catholicæ Religionis communicare: vt horum omnium iudicium atq; ſententiam (id quod non exiguum temporis ſpatium requirebat) habentes, poſtea cum conſilio eorum, qui noſtro iudicio ad hanc rem neceſſarij, atq; vtiles nobis eſſe poſſent, ad principale legationis iſtius argumentum accommodatam & abſolutam reſponſionem Tuæ Celſit. tranſmittere poſſemus.

Poſtquam ergo hæc iſto tempore ſic erant determinata, nos nulla interpoſita mora poſtulatorum Tuæ Celſ. aliorum-

que Legatorum & Comitum, qui aderant, redditi item ad ea reſponſi noſtri, Replicationis quoq; veſtræ & noſtræ Duplicationis apographa, Cæſareæ Maieſt. clementiſſimo Domino noſtro, Ordinibusq; Catholicis miſimus; petitumq; conſilium atq; Ordinum Catholicorum ſententiam ſucceſſiuè recepimus.

Optatum illud, nobisq; communicatum conſilium, optimè, ſecundum cauſæ neceſſitatem, & maturè ponderauimus; cognouimusq; Romani Cæſaris Maieſtatem, & alios Catholicos Ordines, Tuæ Celſit. tuorumq; argumenta ſuaſoria ſolidè refutaſſe. Quam confutationem verbotenus hic repetere ſuperſedimus, ne fortè nouæ diſputationis, literarumq; vltrò citròq; mittendarum infrugiferam daremus occaſionem.

Quantum ad concordiam & pacem de Religione factam; Sua Cæſarea Maieſtas & Catholici Ordines perſpicuè declarant, hanc aliasq; Imperiales ciuitates, immediata eſſe membra, atque Ordines Sacri Imperij, Religionis quoq; atq; profanæ pacis, non minus, quam alios Superiores atque inferiores Ordines, eſſe participes atque capaces: ideoque nobis Cæſaris declarationem neceſſariam non fuiſſe, ſed ab Imperatore, Electoribus, Principibus, alijsq; quibusvis hæc pro certis atque indubitatis ſemper habita fuiſſe. Ceterùm ex eo conſequens non eſſe, nos aliúmve Ordinem Catholicorum ad petitionem ciuium, aliam Religionem admittere debere: multò verò minus ad conuenarum vel aduenarum, qui huc confluxerunt poſtulata, ſed potius huius contrarium ſequi: nos ſcilicet vt Magiſtratum in Vrbe noſtra, quidquid Pax religioni data ciuitatibus permittit, nõ minus licitè exerceri poſſe, quam alij Superiores aut Inferiores Ordines, quod eadem Pax concedit, in ſuis ditionibus aut territorijs vſurpant. Nihil huc etiam facere imaginationem differentiæ, inter electum, & natum ſeu hæreditarium Magiſtratum, quam imprimere nobis voluiſtis. Sed huiusmodi differentiam, tam cum textu & litera, quàm cum ſenſu Pacis, in cauſa Religionis facta, ex diametro pugnare.

Caueri enim pace illa, vt in quibus Vrbibus Imperialibus hactenus vtraq; Religio vſurpata fuit, in ijs & vtraq; in poſterum vſurpetur, nec vna ab altera explodatur.

Ceterum

Ceterum quod nos, aut aliæ ciuitates Imperij, in noſtra ſancta Catholica Religione, fideq; conſtanter perſeuerantes, aliam Religionem acceptare vel admittere teneamur: id neminem ex condicionibus illius Pacis poſſe conuincere vel demonſtrare.

Cum itaque tam validis, atq; irrefragabilibus argumentis obfirmati ſimus, ideoque nunc minimè dubitemus, Maiores noſtros, qui poſt Religionis concordiam hanc Rempublicam defenderunt, non minus quam nos exiſſe, conditiones iſtius cõcordiæ genuinè & ſincerè intellexiſſe, eas nimirum nos non vrgere, ad nouam Religionem aſſumendam, aut permittendam, etiam hoc multò minus nunc, quam ante hoc expedire, eò quod hoc infideli atq; maligno tempore, tam inauditarum ſeditioſarumq; machinationum feraci, ſub boni prætextu, tam multi noui, tam multi in Imperij conſtitutionibus expreſsè interdicti, & merito fugiendi errores pullulent: & quia, vt exemplis (prô dolor) nimis multis experti ſumus, vbi tales errores irrepunt, eorum auctores nec quieſcant, nec ferientur: priuſquam antiqua Catholica Religio ſuffocetur & extirpetur, ex quo nihil ſequitur, quam fatalis calamitas, pernicies, deſolatio, atq; interitus Rerumpublicarum.

Hanc ob cauſam cum conſilio & deliberatione omnium Senatorum, & 44. tribunorum plebis, quod maius conſilium vocatur, & perſonam corpusq; totius huius liberæ, atq; Imperialis Reipublicæ refert, decreuimus; adiutorio gratiaq; diuinæ in vijs atq; veſtigijs laudabilium, feliciſq; memoriæ Patrum noſtrorum perſeuerare: nullamq; nouitatem aduerſus illam admittere.

Omninò autem exiſtimamus, qui huic Religioni aduerſantur, & nobiſcum eſſe creduntur (ſi qui tamen ſint, qui amore Religionis & conſcientiarum libertate, non autem potius vt diſcordiam, ſchiſma, ſeditionem atq; alterationem conſtent; ſeſe in Magiſtratum atque publica officia ingerant, & præcipuè, vt veram & Chriſtianam religionem ſupprimant, illud faciunt) eos iuſtam querelarum cauſam non habituros: Præſertim cum illis latiſſima via in religionis concordia ſtrata ſit: nempe vt hinc, ſaluis eorum & honore

& bonis aliò migrent. Quæ via per nos, non tantum omnibus patet, verum etiam eos qui aliqua miſericordia digni ſunt, ſumma cum commiſeratione, omniq; diſcretione tantiſper ſuſtinemus. Adeò vt nemo iuſtè de nobis conqueri poſſit, id quod omnibus his in partibus ſatis eſt manifeſtum.

Hæc Illuſtriſſime Princeps, iuxta promiſſionem in vltimo diſceſſu Tuæ Celſ. datam, diutius celare noluimus. Tuam interim Celſitudinem (cuius in alijs rebus voluntati & beneplacito libenter obſequimur) Deus Optimus Maximus in Illuſtriſſima & pacifica adminiſtratione diu ſaluam atq; incolumem conſeruet. Datum 15. Iunij, &c.

Iunij 21. Poſt dies vndecim Alenconiæ Dux Franciſcus, in quo Truchſeſianis ſpes omnis ſita erat, cum vltro citroque, diu multumque inter ipſum & Ordines de reconciliatione diſceptatum fruſtra eſſet, Belgicas Prouincias deſeruit. De hoc Alenconio Michael Aytzingerus familiaris meus illud Iohannis Lichtenbergeri cap.17. interpretatur: Leo carebit auxilio & decipietur à Lilio; & illud eiuſdem capite 3. Videat ipſa Eccleſia Occidentalis, ne ſit ſibi baculus arundineus, potentia Gallicana, in qua confidit, cui ſi quis innititur, perforat manus ſuas. Eius diſceſſus multorum ſpem plurimum debilitauit: Catholicorum verò animos, in vtraque Germania rurſus excitauit.

Attendorn. Circa idem tempus Gebhardus in Attendorn, oppidum VVeſtphaliæ cum 50. equitibus intromitti poſtulauit. quod poſtquam ei permitteretur, iamque portas occuparet, ſubitò ex latebris 350. equites, & 200. pedites erumpunt, & oppidum in ſuam poteſtatem transferunt. De choreis nocturnis cum Agnete in huius oppidi polyandrio octo Aeruſcatoribus, qui montes ſuffodiunt, canentibus, inſtitutis, multa circumferuntur. Inde cum ſummam pecuniæ, cui ſoluendæ ciues impares erant, exegiſſet; votiq; compos non fieret; diſpoſitis per ciuium ędes pręſidiarijs, incolas miſeris modis diuexauit. Poſtea milites foribus templi effractis,

illud

illud, omnibus diſiectis, fractis, contritis & prophanatis, depopulati ſunt: in qua expeditione quā impiè quidam magnæ auctoritatis venerabili Eucharistiæ Sacramento ſit abuſus, multi meminerunt. Tandem relicto hoc oppido cum 400. equitibus in Bilſtein, arcem munitam, abijt, ſed paulò poſt in Attendorn reuerſus, Paſtorem, aliosque Sacerdotes nonnullos in ſua præſentia aſſumere vxores coegit, vt ipſe Archiepiſcopus vxoratus vxoratum haberet & Clerum: Vulpem imitatus, qui vt eſt in apologis, amiſſa per infortunium cauda, ceteris etiam ad ſuas caudas, tanquam inutilia & deformia membra deponendas, perſuadere conabatur. Quo peracto equum iterum conſcendit, & in Bilſtein profectus eſt. Nonnullos autem quos ad matrimonia hoc modo coegerat, poſtea bonis adhuc omnibus ſpoliauit.

Truchſeſiani verò in Attendorn relicti, templum celeberrimi Xenodochij quod oppido ad fluuium Begge appellatum, adiacet, irruentes: omnia confregerunt, & ornamenta aurea, argenteaq; rapuerunt. Caſparus quoque Matthæi Verbi Miniſter, huic actioni intererat, pretioſum altare proprijs (vt fama erat) manibus fregit, multaque ornamenta in muliebrem mundum, vxori & prolibus conuertit.

Non diu poſt ijſdem furijs exagitati in Meſchede, VVendickhuſen, alijſque quàm plurimis pagis & monaſterijs ſuam inſolentiam exercuerunt, vbique ſui ſacrilegij ſigna relinquentes. Cumque nunc in templa, imagines, organa, aras, aliamque Eccleſiaſticam ſuppellectilem ſatis inſanitum eſſet, & furioſa iſta libido exatiari videretur, quod reliquum erat in Nobiles, alioſque plebeos ſeculares, ſed Catholicos euomuerunt: quorum villas, ædes, caſtella vaſtarunt, diruerunt & incenderunt. quantum fuerit illorum in Catholicos odium, teſtantur ruinæ caſtelli VVaterlappe, quod Furſten- *Meſchede. Wendickhuſen.*

Digitized by Google

bergeri erat, Satrapę in Bilſtein: & caſtelli in Fruchten, aliorumq; nobilium ædes magnificentiſſimæ.

Proteſtationem ſuam Præpoſitus, quam paulò ante poſuimus, per Adolphum à Stein, & Ioannem Avenium Epiſcopo Vercellenſi exhiberi curauit. Vercellenſis autem nihil iſta Proteſtatione motus, non ignorans, quid iuris Pontifex in Eccleſiaſticas perſonas, ac beati Petri Patrimonium haberet, vbi nouem dies effluxiſſent, Georgium à Seyn excommunicatum, & omnibus Eccleſiaſticis ſuis bonis ſpoliatum, hac publica & foribus templi agglutinata ſententia declarauit.

Iohannes Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vercellenſis, & Comes: atq; ad Sacram Cæſaream Maieſtatem & vniuerſa Germaniæ loca, ad quæ nos declinare contigerit, Sanctiſſimi Domini noſtri D. Gregorij Papæ XIII. & eiuſdem Sedis Apoſtolicæ Nuncius, cum poteſtate Legati de latere. Chriſti nomine inuocato pro tribunali ſedentes, atq; vnum Deum præ oculis habentes. In cauſa & cauſis coram nobis pendentibus inter Hieronymum Verdurum Brixenſis Diœceſis Clericum promotorem, Fiſciq; Procuratorem ex vna, & Georgium à Seyn Comitem à Witgenſtein, qui Metropolitanæ Eccleſiæ, Sanct:q; Gereonis, & SS. Apoſtolorum Præpoſituras Coloniæ, nec non in Metropolitanæ Eccleſiæ Treuirenſi, atq; in Cathedrali Argentoratenſi Canonicatus & præbendas, atq; in Treuirenſi Diœceſi Paſtoriam ſeu perſonatum, aliaque fortaſſe alibi beneficia Eccleſiaſtica obtinebat, delatum & inquiſitum ex altera, de & ſuper notoria hæreſi, Caluinianæ præſertim ſectæ, & ſuſceptis Gebhardi Truchſeſij olim Archiepiſcopi Colonienſis, nunc autem depoſiti, partibus & patrocinio, nec non frequenti cum hæreticis conſuetudine & conſiliorum communicatione, tum verò de & ſuper ſcripto propriâ eius manu obſignato, nobiſq; per certos procuratores Adolphum de Steinen & Iohannem Avenium reddito, ac iudicialiter præſentato, atq; ab ijſdem procuratoribus informare cognito, in quo non modo ſe noſtræ antiquæ & Catholicæ Religionis,

Ec-

Eccleſiaq; Romana ſimul & Colonienſis deſertorem declarat atque profitetur: verum etiam audacter atque impudenter nimis ſummum Romanum Pontificem, verum Chriſti in terris Vicarium, legitimumq; Petri ſucceſſorem, cuius benignitate pleraque ex ijs, quæ hactenus poſſedit, beneficia iamdudum obtinuit, cum perpetua ingratiſſimi animi teſtificatione, & apertiſſima rebellionis & perfidiæ nota, inaudito contumeliæ genere, contra omnem etiam Proteſtantium conſuetudinem afficere, atq; hæreticum appellare non eſt veritus: & alias prout in actis latius continetur, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, per hanc noſtram, quam in ſcriptis facimus, diffinitiuam & declaratoriam ſententiam dicimus & declarando pronunciamus, dictum Georgium à Sayn Comitem à Witgenſtein hæreticum notorium atq; excommunicatum.

Solus iam Thomas Baro Krechingius, inter Canonicos, qui partes Gebhardi ſequebantur, priuandus reſtabat. cuius ego mutationem ſæpius ſum admiratus, poſteaquam in adoleſcentia ſua anno 72. (quo vnà cum Illuſtri, Generoſo atque optimo Comite Iohanne Salmenſi & Rifferſcheitio; nunc Decano ad S. Gereonem Colonienſem, Louanij in ædibus D. Verharij, in quibus & ego tunc etiam agebam, literis operam dabat) tam piè, tamque Catholicè vitam ſuam inſtituerit, quam qui maximè: adeò vt plerique eum Catholicæ Religionis columen futurum arbitrarentur. Is autem nunc motus affinitate, qua Gebhardum attingere ſe exiſtimauit, eius partes ſecutus eſt. ob quam cauſam Vercellenſis Epiſcopus ei quoque diem dixit; & poſtquam non compareret, ſimili qua ceteros ſententia condemnauit.

Non latebat Imperatorem, Caſimirum iam in colligendo equitatu & peditatu occupatum eſſe:

Literas igitur ad illum cum mandatis mittit. *Iubetque vt ſine vlla prorogatione ab incœpto non tantum Imperij conſtitutionibus, ſed & proprio ſuo, ipſius ſcripto*

Digitized by Google

repugnante ſeſe abſtineat: equites, peditesq́; quos ſub ſignis habebat, ſtatim exauctoret, atq́; dimittat, ne vel diſſidia, vel bella in Imperio recrudeſcant. Cui mandato ſi Caſimirus parere nollet, Imperiumq́; ſeditionibus concutere non vereretur, Suam Maieſt. ijs remedijs vſuram, quæ & ſecundum Imperij ſtatuta licita, & ad exiſtimationis auctoritatisq́; ſuæ conſeruationem conducibilia, neceſſariaq́; eſſent futura.

Huic Cæſaris mandato reſpondet Caſimirus:

Caſimirus Cæſari.

Meminiſſe quidem ſe omnium, tam quæ Cæſar, quam quæ ipſe ſcripſerat: ſe ante poſtremas Cæſaris literas nondum militem in armis habuiſſe, falsò ad Suam Maieſt. delatum eſſe. Sed præter alios Electores & Ordines Imperij ab Archiepiſcopo ſæpè multumq́; rogatum, vt ſuppetias ferret. Conuentum autem à Sua Maieſtate Electoribus propoſitum, expectare voluiſſe, prius quam armis aliquid tentaret. Ceterum hoc conuentu ſuſpenſo, Pontificem inualido & in Imperio non ferendo proceſſu; Capitularesq́; rebelles (vt vocat) & fœdifragos ſua violenta machinatione, militumque externorum in Imperium intromiſſione, quotidiè peiora moliri: idq́; contra patriæ & Religionis pacta, & in ignominiam, contemptum & præiudicium Suæ Maieſtat. atq́; totius Imperij Roman, eiuſq́; honoris, authoritatis atq́; exiſtimationis. Eam ob cauſam Electores non deſtitiſſe frequentiſſime interpellare, atque inuocare, vt Imperij conſtitutionem in mentem reuocaret, ijsq́; ſatisfaceret. Se itaq́; imploratum auxilium Electori Colonienſi denegare, nec potuiſſe, nec debuiſſe, ſed eum in finem equites & pedites ſe conſcripturum promiſiſſe, ne debito ſubſidio Colonienſis deſtitueretur. Exiſtimare iccirco nihil hoc ipſo aut in conſtitutiones Imperij, aut in ſuæ Maieſtatis auctoritatem peccatum eſſe: eam enim in hoc conſiſtere, ſi impediatur ne membrum aliquod Imperij, idq́; non infimum, ope externorum Principum, contra pacta & concordata Nationis, & Religionis pacem, inaudita cauſa opprimatur; boniſq́; & dignitatibus ſpolietur. Eo ipſo tempore quo ſcriptum Cæſareum Spiræ acceperat quoſdam Gallos ſclopetarios in Rheni ripa conſediſſe, eos flumine ſecundo ſecum duxiſſe, & ad hanc expeditionem faciendam

ſibi

ſibi ſtipendio deuinxiſſe, non diffitebatur: ait tamen eos maiori ex parte Lotharingos, ac proinde Imperij incolas. Sed etſi externos milites appellare illos quis velit, Cæſari expendendum eſſe, aduerſam partem, Hiſpanos, Italos, Albanoſq; in Imperium recipiendo, huic malo initium, & Caſimiro exemplum dediſſe. quod enim vni conceditur, alteri concedi debere arguit. Nec minus id malum Cæſareis conſiliarijs, qui Coloniæ commorantur, imputandum eſſe: eos enim ad hanc violentiam, ex eaq; ſibi ſecutam nouam electionem aduerſarios incitaſſe, animumq; addidiſſe, ea ſpe atq; promiſſione, Cæſarem his rebus offenſum non iri. Si qua itaque difficultates, incommoda & bella ex hoc negotio promanauerint, eorum non ſe afflicto atq; iniuriam paſſo ſubſidium ferentem, ſed aduerſarios iniurioſos & violentos horum authores, æſtimari debere, Cæſaris itaq; eſſe, ſi modo ſuam, totiusque Imperij eminentiam, auctoritatem atq; exiſtimationem: pacem quoq;, concordiam atque fiduciam (vt par eſt) conſeruare cupiat, fœdifragos violentoſq; in Colonienſem Electorem, alioſq; Imperij Ordines inſtitutos conatus abolere: Cognato ſuo Erneſto, Duci Bauariæ & Leodienſium Epiſcopo, vt Electori Colonienſi oppida & arces, ipſi vel fraude vel armata manu ereptas, reſtituat, mandare: Pontifici Romano in Imperio eam autoritatem, vt Principes & Electores creet, aut creatos pro ſua libidine priuet, & quam arrogat ſibi poteſtatem & primatum in Germania, nequaquam permittere: ſed ea, exemplo maiorum ſuorum reliquorum Cæſarum, aliorumq; Principum impugnare, tempeſtiueq; tollere. Denique & hoc Cæſaris eſſe, operam vt det, quò omnibus Imperij membris ius ſuum multis hactenus denegatum, reſtituatur. Hæc ſi Imperator fecerit, promittit ei Caſimirus diuinum fauorem ac benedictionem, auctoritatis incrementum, atq; omnium Ordinum obedientiam. Sin Pontifici parere malit, & poſtea res ex animi ſententia non ſuccedant, id nulli alteri, ſed Pontifici & ſibi ipſi imputandum eſſe. Denique Cæſarem hoc ſibi perſuaſum habere poſſe, Germanos Electores & Principes, hoc indignum & intolerabile iugum ſibi imponi non paſſuros: ſed illud à ceruicibus ſuis excuſſuros, ſeſeque defenſuros eſſe.

Frequens hoc tempore Coloniæ, conſtansque fama erat, de ingenti exercitu, quo cum Caſimirus Gebhardo militatum aduenieba: ea multos è plebeis Catholicos vehementer conſternatos, contra qui Gebhardi partes ſequebantur petulantiores reddidit.

Optimates verò quibus vtriuſque & Caſimiri & Truchſeſij vires erant ſatis exploratæ, nihil ſibi metuendum eſſe ſtatuebant. Nuntij quoque Apoſtolici in exequendis ijs, quæ in mandatis habebant, fortiter & audacter procedebant. Ipſis etiam Petri & Pauli Apoſtolorum natalitijs in primario templo D. Petro conſecrato Epiſcopus Vercellenſis magna cum ſolennitate ſummum Sacrum celebrauit: quo finito, ad ædes Doctoris Hermanni VVinckelij eiuſdem templi Canonici & Presbyteri, viri non minus pij quam eruditi diuertit, atque ibidem pranſus eſt.

Iunij. 29.

Thomas Baro in Kriechingen circa idem tempus, cum condemnaretur, in colligendis aliquot Gaſconum copijs occupabatur: ijs Tribunum præfecerat Doctorem Peutherichum, & tandem magnis itineribus cum illis Bonnam aduenit. Quas poſtridie primam expeditionem ductore Peutherricho tentaturus, Vnckelium miſit.

Iulij. 20. Vnckelium oppugnatur à Truchſeſianis.

Eſt autem Vnckelium municipium in ſuperiori Diœceſi, vltra Rhenum, ab Ortu & Meridie montes, ab Occaſu & Aquilone Rhenum habens. Huius incolæ vicinis pagis & Lintzio finitimo oppido confœderati erant, vt paribus viribus, parique fortuna Truchſeſianis reſiſterent. Cum itaque certis Nuncijs intellexiſſent, hoſtem aduentare, ad confœderatos ſcribunt opem implorantes, Lintzenſes confeſtim auxiliares copias mittunt. Erpelenſes verò prælium detrectabant, nec ſubſidia decernebant.

Aderat iam hoſtis, aciem inſtruit, oppugnationem tentat. Vnckeliani reſiſtunt fortiter: gerras, præ-

prætenturas, aliaſque ſuas munitiones acriter defendunt, & in hoſtem pilas frequentiſſimas iaculantur. Illi videntes multos ex ſuis ſterni, nec ſpem vllam promiſſæ victoriæ ſupereſſe, pedem retraxere. Qui verò in pago erant, fugam animaduertentes, eruptione facta, eos inſecuti ſunt, & centenos aliquot trucidârunt, ceteri ſuis deſideratis, ductore etiam in ſiniſtro pede ſauciato, metu & vulneribus ſemineces, Bonnam reuerſi ſunt.

Potiti hac victoria Vnckeliani & Lintzenſes infidelitatem Erpelenſium vindicare ſtatuerunt: excurrentesque ſimul agros populati ſunt, atque incolas grauiter mulctarunt.

Georgius verò Comes à VVirgenſtein, Præpoſitus hactenus Collegij Cathedralis Colonienſis, &c. vbi ſe condemnatum, omnibuſque ſuis Eccleſiaſticis dignitatibus & fructibus, quæ in multa aureorum millia annis ſingulis excreſcebant, exutum cognouiſſet: iterum Proteſtationem prolixam admodum, aſſeribus agglutinatam, maioribus clauis templi foribus compaginari iuſſit. *Iulij.22.* In huius priori parte Pontificem Romanum variè calumniabatur, multiſque conuitijs proſcindebat: in ſecunda ſe Pontificis iugo ſubiectum non eſſe: omnes igitur eius Bullas, Sententias, cenſuras & excommunicationes nihili facere, nec eum ius in Auguſtanæ Confeſſionis Socios habere, oſtendere conabatur: in tertia verò parte, ex prędictis cauſis, alijſque pluribus (quas ſuo tempore latius ſe expoſiturum promittebat) proteſtatur coram omnibus, Pontificis ſententiam ſe inualidam, nulliuſque momenti exiſtimare, nil etiam eorum, quæ à Nuntio Pontificio acta erant, ratum habere, ſed omnia ſuſque deque ferre. Hæc Proteſtatio poſteaquam à multis lecta atque ſpreta, ab alijs planè faſtidita, atque illuſa eſſet, tandem circa meridiem à nonnullis eſt ſublata.

Dum

Dum hæc Coloniæ aguntur, Comes Hermannus Adolphus Solmenſis, gubernator territorij Reckelinckhuſenſis, Ordines conuocat: quo in conuentu 6000. florenos aureos ſibi ab oppido Dorſtenſi & patriæ nobilitate popoſcit. Ceterum cum nihil aliud quam querelæ & populi extremæ calamitates in medium proferrerentur, initio nihil ab illis potuit impetrare. Sed cum vehementius inſtaret, tandem eò nobilitatem adegit, vt indictionem quinque milium thalerorum illi permiſerint.

Ceterum Dorſtenſes in hanc indictionem conſentire noluerunt. ſed Capituli partes fideliter ſecuti, (etiamſi è ſuo Senatu eſſent, qui Truchſeſio plurimum ſtudere videbantur) ſeſe à ſeditioſis ſuis vicinis ſepararunt.

Eodem die Epiſcopus Vercellenſis, Cæſaris Legatus Curtius, cum Minutio Cardinali Madrutio à ſecretis, Bruelam proficiſcuntur. Minutius inde Romam pergit, & Curtius ad Cæſarem proficiſcitur. Vercellenſis verò in negotio ſibi demandato progreſſus eſt, atque in Simoniacos, Concubinarioſq; Canonicos & Sacerdotes ſtylum vertit, anathematis eos fulmine percuſſit, opibusq; Eccleſiaſticis priuatos declarauit. Senſit hoc inter alios Doct. Iacobus Middendorpius eò quod in Simoniæ crimen inciderat, in quem lata eſt quoque priuationis ſententia.

Middendorpius verò ſe iniuſtè accuſatum, damnatumque conquerens, tanquam ab eo qui aut malè inſtructus erat, aut cauſam non ſatis cognouerat, Sedem Apoſtolicam appellauit. Romæ itaque negotium agitatum diſcuſſumque cum eſſet, ab excommunicatione abſolutionem obtinuit: duabus verò præbendis priuatus remanſit. quarum altera in templo Metropolitano Nobilitate generis, eruditione atq; I. V. D. titulo inſigni D. Ioanni Bruheſio Decano Eccleſiæ Metropolitanæ Vltraiectenſis, Regi Hiſpan. à conſilijs, Domino meo chariſſimo à

Sede

Sede Apoſt.eſt data. Alteram ad S.Gereonem Doct. Henricus Fabricius impetrauit. Multum Nuntius, vt faciem Eccleſiæ nonnihil reformaret, laborauit. videbat enim diſciplinam Eccleſiaſticam Prælatorum ſocordia ferè concidiſſe, quæ ſi vnquam, certò nunc temporis erat neceſſaria, ne duplici malo Eccleſiæ attererentur, diſciplinæ ſcilicet defectu, & celeri ſimultate, de quibus optimè vaticinatus eſt is, qui D.Gereonis Colon.foribus, aureis literis olim inſcribi iuſſit, hos, non tam concinnos, quam ſenſu vberes verſus.

Dum diſciplina ceſſat, regnatque ſimultas.
Deficit Eccleſiæ virtus, pariterque facultas.

Ex oppoſito, & in conſpectu Vrbis Agrippinenſis, in orientali Rheni ripa pagus, aut potius municipium eſt perantiquum & celebre, olim Diuitenſe munimentum, vt ex vetuſta lapidea inſcriptione ibidem inuenta conſtat, appellatum: quod poſtea corrupto nomine Tuitium vocari cœpit. Erexit hoc olim Conſtantinus Max. Imp. Conſtantij filius, poſtquam Rhenum lapideo ponte ſtrauerat, in vſum militum qui illic in tutelam Galliarum collocabantur. A quo præſidij loco milites Diuitenſes cognominati ſunt. Horum Diuitenſium meminit in ſuis hiſtorijs Ammianus Marcellinus. Anno deinde poſt 540. aut circiter. S. Herebertus Archiepiſcopus Colonienſem Eccleſiam adminiſtrabat. Habebat is fratrem Comitem Rotenburgenſem, qui in magna annonæ difficultate Hattonis Moguntini exemplum imitatus, ingentem mendicorum multitudinem in horreum conuocatam, incendio deleuerat. Cuius ſceleris poſtea pœnitentia ductus, Romam profectus eſt: ibique ab ipſo Pontifice abſolutus, iuſſus eſt in mulctam & ſatisfactionem tanti flagitij Monaſterium conſtruere. Reuerſus ad fratrem ſuum Herebertum, cum quid ſibi iniunctum erat expoſuiſſet, communi vtriuſque conſenſu in Diuitenſi munimento inſigne Mona-

Ammian. Marcel. lib. 27.

Hatto Archiepiſ. Mogunt.

Abbatia Tuitienſis fundatio.

ſterium

ſterium ædificarunt, ampliſſimè liberaliſſimèque dotàrunt, & monachis Ordinis Benedictini habitandum dederunt, Ottone III. Imperatore inſtitutum hoc approbante. Templum erat valdè magnificum, ex viuo lapide factum, plumbo tectum, altum & rotundum: Erat in hoc templo multæ præclaræ SS. Reliquiæ, erat ipſius S. Hereberti corpus, & caſula, in qua ipſe Sanctus aliquot ſecula ſepultus humi fuerat inuolutus, integra adhuc & nulla parte corrupta, cuius forma erat rotũda, lata, nuſquam aperta: niſi quod tria foramina habebat capiti & brachijs deſeruientia, erat hic eius pecten & ſcipio ſeu bacillus cui ſenex innitebatur, erat cingulum S. Vrſulæ, & alia nonnulla quæ admirandã antiquitatem, ætatiſq; illius ſimplicitatem repræſentabãt. Multi inſignes viri in hoc monaſterio floruerunt: inter alios verò Rupertus, natione Germanus, Philoſophus, Orator, Poeta, Aſtronomus & Theologus clariſſimus, qui plurima poſteritati ſuæ eruditionis & pietatis monumenta reliquit, è D. Laurentij Leodienſis monaſterio, circa annũ Domini 1124. huc euocatus. Nouus itaq; Archiepiſcopus non ignorans quantum ſua & Reip. intererat, cauere ne id monaſterium ab hoſtibus occuparetur, de milite eò mittendo conſilium iniuit, qui monaſterium cuſtodirent. Ea fama poſtquã ad Bonnenſes delata eſt, metuentes ne fortè commeatus, qui hac ipſis aduehebatur, ab iſto præſidio interciperetur. Primum literas Tuitienſibus miſerunt, quibus eis minitabantur, quod ſi à Bauaro præſidium reciperent, ſe eos ferro & igni perſecuturos. Abbas his literis conſternatus, Monachos ſuos, reliquias, ornamenta, & pretioſiorem quamque ſupplectilem Coloniam tranſportauit. Idem & incolæ ceteri per oportunitatem fecerunt. Paulò poſt Archiepiſ. Erneſtus Centurionem quendam, virũ fortiſſimum & diſciplinæ militaris peritiſſimũ, Florẽtinũ patria, nomine Ranucinũ, cum 250. circiter militibus

militibus Tuitiũ miſit: vt Abbatiã & municipium tueretur. Ranucinus vt ſuo officio non deeſſet, leues quaſdam munitiones cœpit extruere, quo facilius monaſterium, alioquin apertum, defendere poſſet. Ea fama ſtatim Coloniam perlata eſt, increſcensq; paulatim, eò peruenit, vt iam paſſim per vrbem crederetur præſidium Tuitenſe maximos aggeres, ſolidiſſimaſq; munitiones extruere, quibus etiam Colonienſes tandem coerceri atq; compeſci poſſent. Id cum Senatus intellexiſſet, clariſs. generiſq; nobilitate ſplendidũ virum Ioannẽ Hardenradium, qui hoc anno ſumma cum laude Vrbis conſulatum gerebat, cum alijs nõnullis Tuitiũ miſit: qui quid Capitaneus ille moliretur perluſtrarent, eiq; interdicerent, ne quas munitiones ſtrueret, ex quibus vrbs Colonienſis aliquod detrimentũ accipere poſſet. Senatus enim dicit, ſe antiquiſſimas quaſdam pactiones olim cum Archiepiſcopis & Comitibus tunc, nunc verò Ducibus Montenſibus initas habere, quibus cauetur ne quod Tuitij ſiue in munimento, ſiue extra illud, in eius prætura propugnaculum, ſepimentum, caſtrum aut prętentura fiat, ex quibus Colonien. poſſent infeſtari. Nec ipſum municipium vllo muro claudi, ſed ſepimento tantum ſpineo vel ligneo muniri poſſe. Qui verò à Senatu miſſi erãt, Tuitium veniẽtes, omnia ſecus inuenêre, quam vulgi fama ferebatur. Capitaneus enim nihil tentauerat ædificare, ſed tantum murus monaſterij diuerſis locis perforare, leuia quędam munimenta ex vaſis vinarijs, terraq; iniecta moliri. Cumq; ille ex Senatoribus cauſam aduentus didiciſſet, vltrò pollicebatur, ſe nihil citra Senatus voluntatem exſtructurum. Bonnẽſes verò, vt iſtam Rheni ripam ab hoſtis infeſtatione liberarẽt, intempeſta nocte copias aliquod Tuitium mittunt, quæ pagum & monaſterium incenderent. Illæ cum aduenissent, incolas quidem dormientes, ſed præſidiarios excubantes inuenerũt, iniecto itaque *Auguſt. 6.*

que igne in populariũ ædes, eę maiori ex parte conflagrarunt. Bauariani verò fortiter ſtationes ſuas defendentes, hoſtem à cœnobio repulerunt, temerarios verò atque eos qui audacius aſſiliebant, longiusque excurrebant, trucidarunt: donec hoſtes re infecta multisque è ſuis deſideratis Bonnam tandem redirent. Non procul à Monaſterio Aquilonem verſus, inſigne erat ædificium cum vineto, quod non ita pridem ad Hermannum Adolphum Comitem Solmenſem hęreditate venerat, illud vel quia cœnobio nimis erat vicinum, vel quia ira in Comitem iam æſtuabant, excurrentes præſidiarij, ſtatim à Bonnenſium diſceſſu igne depopulati ſunt. Bonnenſes non deſiſtendum ab oppugnatione Tuitienſi arbitrati, ſexto poſt die magno cum exercitu equitum atque peditum, aduectis etiam maioribus tormentis, mane die Dominico, ſecundo Tuitium venerunt, dum itaque tormenta è naui extrahuntur, exercitus relicta ſufficienti cuſtodia, Mullemum (municipium in Rheni ripa infra Tuitium) contendit. Paulò poſt meridiem curata probè cuticula, Mullemo reuerſi Truchſeſiani Bonnenſes, bellicas machinas, ceteraque ad oppugnationem neceſſaria expediuerunt, diuiſisque copijs, vna pars vinetum Solmenſis occupat, eaque trans Rhenum excurrens, cœpit eos qui templum parochiale inter flumen & cœnobium ſitum, eique adiectum vinetum tuebantur, laceſſere. Alij meridiem verſus incolarum domos quas incendium non deleuerat, altas quidem, & ad hanc oppugnationem peropportunas inuadunt, ex eorumque feneſtris, in eos qui Monaſterium defendebant iaculabantur. Reliqua belli moles ab ortu tentabatur, vbi prætenturas, garraſque ex vaſis vinarijs, iniecta terra oppletis arboribuſque, & alijs materijs excitauerant præſidiarij: Nam ab hac parte exiguus tantum murus erat, hortum cœnobij ambiens, cetera patebant. In has nouas munitiones, maiora tormenta dirigeban-

Tuitium expugnatur.

bantur: quibus aliquoties exploſis, datoque ſigno, primus vndique aſſultus factus eſt, præſidiarij fortiter ſeſe opponunt, hoſtemque non paucis proſtratis repellunt. Iterum tormentis illis grandioribus vallum & prætenturam conuellunt, donec aperiri cœperunt. Canitur ſecundum claſsicum: ad manus venitur: hinc inde fortiter pugnatur: ſuperiores iterum præſidiarij euadunt, niſi quod hoſtes viciniora paulatim loca occuparent. Tandem ſub veſperem diſturbatis iam munitionibus, cum ſtationes quas extra monaſterium habebant Bauariani deſerere, & intrò ſe recipere cogerentur, hoſtes accurrentes ad ipſum periſtylium, illud primum incendunt, & ex eo cœnaculum ſeu refectorium (vt vocant) flammam corripit. Ex iſtis igitur locis milites ſeſe proripientes, in templum monaſterij confluebant, & quam fortiſſimè illud in ipſo fumo & flamma defendebant, donec præ fumi denſitate ardorisque vehementia amplius ſeſe tueri non potuerunt. Hoſtes itaque impreſsionem facientes, manus cum præſidiarijs conferunt, qui tam acriter dimicarunt, vt quem quiſque locum pugnando obtinuit, eum ipſum honeſtè cadendo exangui cadauere contexerit, ita vt pleriq; omnes, aut incendio abſumpti, aut hoſtium manu ſublati ſint, ceteri vnà cum Capitaneo viui in hoſtium poteſtatem venêre.

Paulò poſt inſigne & perantiquum illud templum, vnà cum Parochiali adiuncto polyandro tantum intermedio prorſus quoque conflagrauit, quod miſerandum ſpectaculum multis pijs, qui intuebantur (eramus autem ſpectatores qui in vrbe erant penè omnes) vberrimas lachrymas excuſſit. Durauit hoc incendium in multam vſque noctem. Tota autem ciuitas Colon. tanto flammarum ſplendore colluxit, vt pleriq; ciues arreptis libris media nocte tenuiſſimos characteres commodè legere potuerint. Truchſeſiani manè omnibus

Digitized by Google

conuaſatis Bonnam cum captiuis,& ſuorum cadaueribus,quorum erat non contemnendus,numerus reuerſi ſunt,hac victoria plurimum elati: qua tamen potiti non fuiſſent, ſi Bauarus exercitum flumen traducere potuiſſet, quod quidem, vt ſuis opem ferret, duce Salentino, qui vſque ad portas Colonienſium cum exercitu peruenerat, fruſtra tentabat;nauium copia deſtitutus.

Poſt terribile hoc incendium,ingens illa & ſolidiſſima,ex viuis & quadratis lapidibus conſtructa monaſterij moles,adhuc illæſa permanſit,ex qua ſi ab hoſtibus terra iniecta oppleta fuiſſet, diſpoſitis in vertice tormentis,plurimum ædificijs Colonienſium damni inferri potuiſſet. Senatus igitur Truchſeſianorum inſolentiam metuens, Abbatem ſolicitauit,vt rudera illa vaſtamq; murorũ molem disijceret, ſoloq; adæquaret: obtulit ei viciſſim ſaluum conductum,vt tutò cum ſuis in vrbe habitaret: Abbas deliberaturũ ſe promittit,atq; Ordinarium ſuum conſulturum, qui (intercedentibus ſummæ auctoritatis magnatibus) præſentibus etiam Conſulibus, Quæſtoribus, Syndico D. Steinvvichio,auctoritatem ſuam interpoſuit,atque Abbati vt ruinas iſtas demoliretur, in Colloquia apud Carmelitás habito, per Salentinum ab Iſenburg Legatum ſuum,facultatem dedit. Conducti itaque ab Abbate ſunt 600. cementarij, quibus Senatus,vt operam ſuam Abbati collocarent,permiſerat. hi ſumma cum celeritate hoc opus aggreſſi ſunt. Initio palis robuſtiſſimis ſuppoſitis,quibus tota fabrica inniteretur,muros ad ipſa fundamẽta circumquaq; ferè perforárũt, ſolueruntq;:adeò vt tota moles palis ſubnixa pẽderet.Inde ſubiecto palis igne,eos exurunt,quibus ruentibus tota moles ingenti cum fragore,nullã iam ſoliditatem habẽs collapſa, penitusque ſolo eſt complanata: & quod multos in admirationem rapuit,tãti laboris opus, ſeptem dierum ſpacio iſti cementarij abſoluerunt

Expe-

Expectatus diu Truchſeſianis tandem aduenit *Auguſt. 21.*
Iohannes Caſimirus: qui omnium qui iſtius factionis erant, animos vehementer exhilarauit. ſperabant enim, imò certiſſimè ſibi pollicebantur, iam iam Bauarum Diœceſi expellendum: Gebhardum nō tantum in priſtinam poſſeſſionē reſtituendum, ſed ad maiora etiam euehendum. Belgæ quoque neſcio quid commodi aduentu Caſimiri expectabant. non deerant qui non obſcurè aſſeuerabāt, Caſimirum, domito Bauaro, in Belgicū copias ſuas ducturum; Parmēſiq; Principe pulſo, ſtabilem ibidem pacem conſtiturum, inde Italiam petiturum, ibique Romanum Pontificem ſede ſua eiecturum. Hęc & ſimilia iactabantur ab iſtis hominibus, qui quod optant, facilè credunt. Et fortè potuiſſet aliquid Caſimirus, ſi armatos milites, ſi triarios, ſi veteranos adduxiſſet, & ſi in ipſo aduentus ſui limine aliquid egregium tentaſſet. Hoſtium (enim repentinus aduentus, magis aliquantò conturbat, magiſque nos terret, quam cum iam aſſueti ſumus) ſed inermem & tumultuarium militem ſub ſignis habebat, agebatque omnia cunctanter.

Caſimirus primo die cum Bonnam veniſſet, ſcripſit Ampliſſimo Vrbis Colonienſis Senatui admodum familiares literas: quibus ipſi ſignificabat, ſe ſolennem legationem Coloniam miſſurum, quæ grauiſſimas res cum Senatu communicaret. Petebat itaque pro Legato, eiuſque comitatu ſaluum conductum, & vt Senatus eidem hoſpitium aliquod deſignaret, in quo velit eum diuerſari. Senatus ad hæc: ſibi non diſplicere vt Legatio mittatur; ſaluum conductum Legato cum ſuis promittit, hac tamen conditione, vt Legatio non conſtet inuſitato comitatu: & vt modeſtè, ciuiliterque Legatus cum ſuis, in obeunda hac legatione, ſeſe gerat. Hoſpitium verò Senatum non deſignare, ſed Legati hoc arbitrio permittere, vt ipſe ſibi quodcunque velit, eligat. Senatus legationem hanc quotidiè ex-

Digitized by Google

pectabat: putabat enim primo quoque die venturam, ſed in 7. vſque Septemb. differebatur. Truchſeſiani quia in armis exiguam, aut non ſufficientem ſpem collocabant, neque enim Caſimiri aduentu multum profici animaduertebant, duplici gladio tam ſpiritali, quam materiali, bellum aggrediendum, populumq; ſchiſmaticis cōcionibus concitandum exiſtimarunt. Erat tunc temporis in Vrbe Iudæus quidam natione, profeſſione verò Chriſtianus, nomine Stephanus, Iohannis Iſaaci Grammatici filius, is quorundam commendatione ac promotione multis erat Eccleſiaſticis beneficijs donatus, inter alia paſtoratu S. Mariæ, quæ ab Indulgentijs nomen habet. Concionabatur valde populariter & à pluribus cum voluptate quadam audiebatur: ſed à multo tempore Catholicis erat, tanquam contaminatæ fidei, ſuſpectus. quanquam ita rectè ageret, vt quod palam criminarentur non haberent. Paſtore hoc ad ſuum inſtitutum perficiendum Truchſeſianos vti decreuiſſe, non obſcuris argumentis nonnulli arbitrantur, ipſaque de qua poſtea dicturi ſumus concio ſatis arguit. Ad hunc itaque Stephanum Gebhardus ipſe literas ſcripſit, & Præpoſito Comiti à VVitgenſtein transmittendas dedit, quæ quales fuerint, videre nobis non contigit: earum verò quibus tanquam ſegeſtrijs illæ inuolutæ erant, quæque à Præpoſito erant conſcriptæ, hæc eſt ſumma.

Stephanus Iſaacus Iudæus.

Comes à VVitgenſtein Stephano Iſaaco.

Sic vides mi Stephane quam propè abſumus, à triſti illa vaſtatione, quam dudum præſagiuit animus. Si veras tantorum malorum cauſas indagare libet, non ad homines, in quibus plurima reperias, quæ meritò reprehendi, queant: ſed ad ſupremum orbis Moderatorem oculos conuertere oportet: apud quem remedium inuenire promptum foret, ſi modò paternè vocantem ſequi, ſerioq; monenti auſcultare vellemus. Quæ de re, quæ ſæpè inter nos diſceptata fuerunt, credo te adhuc meminiſſe. At quæris, forſan, quid ſpei ſuperſit, An nullus ſit reconciliandi locus? Id verò ab illis ſciſcitari debes,

bes, qui anſam hiſce motibus præbuerunt, pars enim offenſa, conditiones accipere, non offerre ſolet. Age ergò, pro noſtra amicitia dic liberè: quomodo ſint affecti, quæ conſilia captent, Primarius veſter, ceteriſq; Clerus, ij præſertim, qui flabella incendunt huius incendij, nempe Ieſuitica cohors. Scire etiam velim, quid ad hæc Senatus veſter, quid populus, poſteaquam è propinquo flammam cernere, fumosq; olfacere poſſunt? An nondum facti pœnitere incipit? Nullâne afflictorum commiſeratione tanguntur? Verum, ingenuè tibi fateor: niſi quam primum ardentiſſimo huic paroxiſmo medicina commoda adhibeatur, nullam apparere ſalutis ſpem: adeò exacerbantur eorum animi, quorum præcipuè intereſt. De Electore noſtro, id tibi affirmare poſſum maiori nunc eſſe & fortiori animo, in omnem fortunam parato, quam vnquam. Quæ vires, quæ ſint præſidia, metuo ne citius experiantur multi, magno ſuo malo, quàm illis expediat, ac pro Chriſtiana charitate ſit optandum. Laudat vehementer fidem in te & candorem, iuſſitq; ad teſtandam ſuam beneuolentiam literas his incluſas ad te mitti: Quod ſi ergo, ad ea, quæ de ſtatu veſtro ſupra poſui, plenè perſcriberes, num id abſq; tuo periculo fieri, tutoq; tranſmitti poſſet. Si putes inſcriptioni periculum ſubeſſe: rogo, vt aliam rationem, aut characteres oſtendas, quibus ſecreta occultari queant, &c.

Interea conſilium conferunt Caſimirus & Gebhardus de armis conquirendis: inopia etenim maior erat, quam vt pecuniam repræſentare poſſent. Tandem viſum eſt ſcribere Coloniam, ad mercatores, quos ſperabant partim ſpe queſtus, partim religionis amore, pro armis fideiuſſuros: nec ſpe ſua fruſtrati ſunt. Inuenerunt enim Coloniæ qui bona fide ferreos thoraces, loricas, galeas, præpilatas haſtas & id genus armorum vndique redemerunt, & exercitui Tuitium vocato tradiderunt.

Germanis per Imperium lex eſt, ſeu conſtitutio, vt ſi quis Principum aut Nobilium enorme aliquod delictum cõmiſerit, aut Imperio parere nolit, is ab Imperatore condemnatus proſcribatur: quæ proſcriptio apud illos die Acht appellatur.

ſententiæ verò promulgatæ executio, cuidam è viciniorıbus Principibus demandatur.

Sic Guilielmus Grombachius à Ferdinando & Maximiliano proſcriptus eſt, qui contemnens Cæſaris ſententiam, ab Auguſto Saxoniæ Electore, cui executio commiſſa erat, Gotha occupata, fortiſſimoque caſtro Grimmenſteinio expugnato, captus & 28. April. Anno 1567. iuſto ſupplicio mulctatus eſt. Rodolphus itaq; Rom. Imperator videns Caſimirum mandatis ſuis parere nolle, datis Viennæ literis ſimili proſcriptione tam ipſi, quam ceteris omnibus Comitibus, Baronibus, alijsque qui Gebhardi partes ſequebantur, niſi confeſtim mandatis obediant, minitatur, & primum Caſimiro hunc in modum ſcribit.

Quanquam, ait, cum primum nobis artes, machinationes & apparatus bellici, cum in Imperio, tum maximè in tractu Rhenano, & Diœceſi Colonienſi exorta atq; adornata innotuiſſent: confeſtim vobis alijſque Tribunis militum, Præfectis equitum, & Capitaneis eiuſdem alijſq; conſiliarijs cuiuſcunq; nominis, dignitatis, qualitatis, aut condicionis eſſent; literis miſſis, adiecta non contemnenda pœna mandauerimus, omnem illā belli faciem auferre, omneſque collectas copias exauctorare: iuxta præſcriptum literarum noſtrarum, quas 14. April. miſimus. Tamen nobis à multis afflictis Ordinibus, magnis cum querelis, non incredibiliter relatum eſt, quod his omnibus contemptis, etiam Sua Maieſtate, omnibusque Imperij deciſionibus & ſtatutis (in quibus apertè cauetur, ne quis cuiuſcunque Ordinis aut dignitatis ſit, pro ſua ipſius libidine milites cogat, alicui Ordini Imperij, aut illius ſubditis bellum, iniuriam, vel vim inferat; multò minus aliorum ſe negocijs ingerat, aut externum militem in Imperij limites transferat) ſpretis, vobis placuiſſe alterius nihilq; ad vos pertinens negotium ſuſcipere, & non requiſito noſtro conſenſu,

ſu, non exiguum numerum equitum peditumque non in Germania tantum, ſed & aliorum externorum Principum Prouincijs conflare, eoſque non ſine ſummo multorum innocentium obſeruantiſſimorumque Ordinum, & illorum ſubditorum detrimento, in & per Imperium, vſque in Diœceſin Colonienſem tranſportare. Qui non tantum in Diœceſi, ſed & in itinere, quacunque tranſierint (cum ſtipendia non ſoluantur) omnem petulantiam exercuerunt, & exercebunt in poſterum, abactionibus, prædis, incendijs & depopulationibus omnia circumquaque deformaturi, liberam quoq; nauigationem Rheni, & vias Imperiales ita infeſtabunt, vt nemo negociari, nemo quæ ſua ſunt poterit tueri, aut conſeruare. Quæ omnia cum contra noſtræ totiuſq; Sacri Imperij pacta & conſtitutiones, ſacram quoque & profanam pacem militent. Cumque ex officio nobis incumbat hæc impedire: Mandamus vobis, idque ex noſtra auctoritate, per fidem & iuramentum, quo tam nobis, quam Imperio eſtis deuincti, & ſub pœna noſtri, & Sacri Imperij Banni, proſcriptionis definitiuæ. Adhæc & ſub mulcta amiſſionis omnium Regalium, Feudorum, Immunitatum & Gratiarum quæ beneficio aut noſtro, aut Imperij obtinetis, ſtatim percepto hoc mandato, ſine vlla prorogatione conſcriptum militem ſacramento abſoluatis, ſigna militaria ponatis, per decurias, ſine vicinorum Principum incommodo, exercitum dimittatis, nec in poſterum externum militem in Imperij fines, aut introducatis, aut introducendos conſcribatis. denique poſthac inobedientes non ſitis, niſi prædictam mulctam incidere volueritis. Datum Viennæ, Auguſti vltimo.

Eodem die Cæſarea Maieſtas ſimile mandatum miſit ad Marchionem Badenſem Iacobum, Adolphum Nuenarium, Ioannem Naſſouium, Hermannum Adolphũ Solmenſem, Ioannem à VViedt Co-

mites: Thomam à Kreichingen, Carolum Truchſeſium Barones: Fredericum à VVern, & Bernardum à VValbrun Magiſtrum equitum ſub Caſimiro, aliosque omnes qui Truchſeſio militabant, ijſdem illis interpoſitis pœnis imperans, vt omnem ſuum equitatum, peditatumque (quem in armis habebant) confeſtim atq; incunctanter exauctorarent: niſi & proſcriptione Imperij & amiſſione omnium regalium, feudorumque ſuorum vellent mulctari. Archiepiſcopus Colonienſis Erneſtus ſciens, non in curribus aut equis, ſed in nomine Dōmini ſperandum eſſe, Dauidis, Aſæ, Ezechiæ, Machabæorũ, aliorumq; Sanctiſsimorum Principum & Regum exemplum imitatus, per Diœceſin ſupplicationes, orationes tribus diebus Dominicis decreuit, & tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus ſubditis iuſſit, ter in ſeptimana ieiunare, Eleemoſynas (quibus facultas eſſet) largiri, peccata omnia Sacerdoti confiteri, & Sacroſanctam Euchariſtiam percipere.

Preces per Diœceſin inſtituta.

Orationem quoque piam & ſupplicem, pro concione recitandam, & ad Deum ab vtriuſque ſexus fidelibus crebrò in iſtius belli periculis fundendam, compoſuit: quam hoc etiam loco inſerere voluimus, vt huius tam eximij Principis pietas magis innoteſcat: eſt autem hæc.

Oratio pia iuſſu Archiepiſcopi Colonienſ. compoſita.

OMnipotens & Miſericors Deus, creator & moderator cœli & terræ, quem nihil latet eorum, quæ nobis miſeris Chriſtianis in hac lachymarum valle eueniunt: qui etſi iuſtè propter peccata & iniquitates populi tui iraſceris, & permiſſione horrendi furoris & perſecutionis impiorum grauiter tentari, contriſtari, & ad tempus lædi pateris: Nibilominus tamen pro paterna tua pietate & prouidentia, in æquiſſima ira multoties promiſſæ miſericordiæ citò ſoles recordari, ſimul ac populus & filij tui, ô benigniſſime Pater, cordibus contritis ante thronum gratiæ tuæ ſe humiliant, & ſpiritu tribulato firmaq; fiducia per Ieſum Chriſtum dilectiſſimum filium tuum, ſuum verò fidelem ſaluatorem & redemptorem, tanquam propitiationem pro peccatis ſuis, & per

per quem ſolum tibi placuit reconciliare & reſtituere, quod perditum atq; dirutum fuerat, pro gratia & remiſſione grauiſſimi debiti miſerè gemunt & obteſtantur, ſeque auxilio gratiæ tuæ ad omnem emendationem ac obedientiam promptos offerunt, firmiter confidentes, te eſſe Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, qui non vult mortem peccatorum, ſed magis vt conuertantur & viuant, clamasque per filium tuum dilectiſſimum: Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis & ego vos reficiam. Reſpice propterea, ô clementiſſime Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus, vnus verus Deus, & æternum bonum. O vnicum Chriſtianiſmi tui afflictiſſimi perfugium; Reſpice, te obteſtamur, oculis tuæ infinitæ miſericordiæ, hunc puſillum Catholicum gregem, quem multis hactenus in periculis conſeruaſti. Illumina tenebras cordium noſtrorum in omnium hominum ordinibus, vt vnanimes communiq; doloris ſenſu peccata, & iniquitates noſtras, tanquam cauſam omnis miſeriæ & calamitatis, humiliter agnoſcamus, vera cordis contritione confiteamur & dignis pœnitentiæ fructibus caſtigantes, per Sacramenta gratiæ tuæ, Inſtrumenta in ſanguine Ieſu agni innocentiſſimi pro nobis cæſi eluamus, & expiemus, noſq; tibi ô fideliſſime & fortiſſime liberator, oblationem S. viuam, bene placentem & perfectam offeramus ac conſecremus quæ tibi in conſpectu & æſtimatione precioſiſſimi ſanguinis, paſſionis & mortis filij tui ſic accepta ſit, vt coram te in gratiam ſuſcepti, & forti brachio tuo, quo ſæpius populum tuum è manibus inimicorum tuorum fortiter eruiſti, contra inimicorum noſtrorum iram & rabidum furorem defenſi atq; protecti maneamus. Reſpice de ſummo Maieſt. tuæ throno: ô Domine exercituum, in iram & inſolentiam Aduerſariorum noſtrorum, & vide, quàm temerè veritatem & illuſtrationem tuam, in impuris & abominanda hypocriſi contaminatis cordibus, machinationibus ſuis iactitent, Sacramenta profanent, verbum tuum adulterent, theſaurum ſanctiſſimæ carnis & ſanguinis tui quem fidelibus tuis, ſingulare præſidium & ſolatium teſtamento legaſti, negent, & propulſent, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, ſponſam tuam, & ſaluificam religionem conuitijs proſcin-

dant, calumnientur, & mendacibus criminationibus inſectentur: Nobiſq; ideò quod ab accepta fideliter à Patribus Religione, quam apud nos tot Sanctorum Martyrum corporibus fundaſti, & conteſtatus es, recedere, & nos in Societatem impij & iniqui ſtudij & conatus illorum adiungere nolimus, omnis generis clades, per ſeditiones, rapinas, cædes & incendia minentur & inferre conentur. O Domine & fortis Saluator, qui odiſti & citò præcipitas turgidos & inflatos Spiritus, & nequaquam aſpernaris humiles pauperum tuorum preces, & obſecrationes, conuerte ad te corda eorum, vt agnoſcant impios ſuos conatus, & deſerant. Imple facies eorum ignominia, vt nomen tuum, quod per excæcationem & ſubuerſionem cordium ſuorum in nobis Catholicis perſequuntur, quærant & inueniant. Infatua & in nihilum conuerte eorum conſilia, confunde eorum ſtudia, vt in veritate experiantur, te populi tui, qui ſe ad te conuertit, iuxta promiſſiones tuas obliuiſci, & hoſtibus eorum parcere nequaquam velle. Largire quæſumus Eccleſiaſtico Magiſtratui nuper recens electo Archiepiſcopo, & Sereniſſimo Electori, Clementiſſimo Domino noſtro Duci Erneſto, ad communem pacem huius Prouinciæ, & S. Romani Imperij conciliandam, fœlicem ſucceſſum & victoriam contra inimicos tuos & ſuos. Da illi & alijs Magiſtratibus, & huius ciuitatis Moderatoribus, & Senatui lætitiam ſalutaris tui, & confirma eos ſpiritu principali veræ ſapientiæ & fortitudinis, per quem in omnibus conſtituant & promoueant, quod ad tuum beneplacitum & communem pacem & vtilitatẽ profuerit. Da etiam ciuibus noſtris & inquilinis ad conſeruationem & defenſionem peruetuſtæ & venerandæ fidei, in te cor imperterritum & inuictum, Magiſtratibus ſuis obedientiſſimum, inter ſe mutuo pacis & concordiæ ſtudioſiſſimum, miſeris & afflictis foris conſolationem & patientiam, nobis & ſingulis nouum ſpiritum cum firmo propoſito & bona volũtate in omnem obedientiam & pietatem paratiſſima, quo in præſentis belli periculis fideliſſimum auxilium ad gloriam nominis tui, re ipſa experientes, & à timore Inimicorum noſtrorum liberati, in ſanctitate & iuſtitia te laudemus, tibi gratias agamus, atq; debitum obſequium præſtemus. Exaudi

Digitized by Google

di ergò ò ſpes & conſolatio afflictorum, hos gemitus & preces noſtras, per Ieſum Chriſtum Dominum & Redemptorem, perq; interceſſionem glorioſiſſimæ ſuæ matris, atq; omnium Sanctorum, eorum præcipuè, quorum precioſa morte & fortitudine hanc Prouinciam & Ciuitatem benè hactenus ornatam & communitam eſſe voluiſti, qui tecum in perpetua pace, ad quam omnes poſt vitæ huius ærumnas aſpiramus, viuunt & regnant. Amen.

Gebhardus Truchſeſius, Caſimirus & alij nonnulli huius belli Anteſignani, tunc temporis agebant in arce Lulsdorff, in Ducatu Montenſi, vbi & Monachi nonnulli illis ignorantibus latitabant, ex monaſterio Montis veteris, quod non ita pridem Truchſeſiani ſpoliauerant, monachis inde in captiuitatem abductis & nunc perſoluto lytro dimiſſis. Eſt hoc monaſterium perantiquum & ſepulchris Ducum Montenſium celebrè, ad Duum fluuium circiter annum 1126. ab Adolpho primo Comite de Altena ædificatum: qui illud è caſtro ſuo in monaſterium Ciſtercienſis ordinis in gratiam Gerardi fratris ſui commutauit. ſed neq; veneranda antiquitas, neq; fundatoris reuerentia, neq; tot Ducum monumenta ſacrilegos illos deterruit, quo minus obuia quæq; compilarent: adeò vt ne binis argenteis lampadibus, quæ pendebant ſupra Ducum ſepulchra, pepercerint, digni quibus illud Semiramidis apud Plutarchum exprobraretur: Niſi ſceleratus fuiſſes, mortuorum ſepulchra non violaſſes. Dum maior pars exercitus Caſimiriani circũ arcem Lulsdorfiam ad vlteriorẽ Rheni ripam caſtrametaretur: Archiepiſ. Erneſti copiæ ſtatiua in Sechten, pago vltra Bonam habebat. Miſit autẽ Bauarus aliquot equites & pedites in pagũ VVeſſelingenſẽ in citeriori Rheni ripa ex oppoſito Lulsdorff ſitũ. Hi polyandrio, vnà cum templo aggeri incluſo, muriſque perforatis, & maioribus aliquot tormentis aduectis, Caſimirianis plurimũ negocij faceſſebãt, & ne Rhenum traijcerent, perque Diœceſin palari poſ-

ri poſſent, prohibebant, ſed ad Gebhardum redeamus.

Quamdiu in hac arce Lulsdorfenſi morabatur, rarò ſobrius viſus eſt. Conſurgebat manè ad ſectandam ebrietatem, potandumque vſque ad veſperam, vt vino æſtuaret, quod ideo nonnulli illum facere arbitrabantur, ne animum aduocans, atque in ſe rediens cauteriatæ conſcientiæ ſtimulos ſentiret. Sunt enim improbitati ſuæ aſſiduæ atque domeſticæ conſcientiarum furiæ, quæ dies noctesque pœnas ab his, in cuius animo verſantur, repetunt. nunquam eos ſinunt quieſcere, nunquam reſpirare. Huic tamen malo luxus & ebrietas aliquid adferunt remedij, dum mens, ratio, ſenſusque omnes ſede & ſtatu ſuo dimoti, nulla vel peracti vel futuri mali recordatione angantur: nulla boni aut honeſti delectatione moueantur, ſed caput craſſis vaporibus ac fumis obtuſum, animique vires multo obtuſiores circumferunt. In hac ſenſuum perturbatione extrema tentare volens Gebhardus, inuectiuas, aculeataſque literas ad Senatum & plebem Colonienſem ſcripſit, quas ab alio latinitati donatas, totidem verbis hic appoſuimus.

Eſaiæ 5.

Nos Gebhardus, &c. Conſulibus, Senatui, atq; Ciuibus, ciuiumq; tribubus, noſtram gratiam, omniaq; fœlicia denunciamus & vobis ſignificamus; Exiſtimare nos, nondum vobis excidiſſe, quæ ad ſingulas Tribus ſuperiore hyeme ſcripſimus, poſtquam animaduertiſſemus, aduerſarios noſtros varijs excogitatis & ementitis perſuaſionibus, apud vos famã noſtram lædere ac denigrare voluiſſe (qui illorum noſtræ gubernationis tempore, perpetuus mos fuit, & in quo etiamnum more perſiſtunt, ac quem pro præcipuis armis habent) Meminiſſe vos etiam, quàm nos beneuolè & clementer omnia vobis obtulerimus, neq; aliud vlla ratione recordari poſſumus, quàm clementi huic noſtræ oblationi, nos per omnia ſincerè, & vt Principem decet, ſatisfeciſſe. Quod ſi, quo abfuimus tempore, noſtri contra aliquid deſignarint, non ingratum ſolum hoc nobis futurum eſſet, ſed ſi de eo admoneamur,

Digitized by Google

neamur, conuenienter huic rei conſulere volumus. Contra autem verum eſt, aduerſum nos atq́; noſtros, eos qui Coloniæ agunt, hoſtes ſe planè & per omnia oſtendiſſe. Vnde maxima illa damna, & graue præiudicium nobis ortum eſt, ideoq́; ad præſentem hanc, quæ ante oculos eſt, magnam expeditionem inſtituendam, & militarem apparatum comparandum ſumus coacti. Nam quam multipliciter fex hominum, inter vos commorantes Sacrifici, cum ipſorum Domino, Abominatione in vrbe Roma, non Dei ſed Diaboli vicario, conſcientiarum Tyranno, & qui animas occidit, latrone (quem nihilominus ipſi ſanctitatem Papalem appellare audent) contra nos animulum, ac bilem ſuam exſatiarint: vobis, qui præſentes oculis veſtris ſpectaſtis, quàm nobis notius eſt, & miſeri, heu, per veſtram viciniam cum extremo ſuo exterminio & damno experiuntur ruſtici.

Atq́; miſerandum, dolendumq́; eſt, maiori cum ſtudio defenſionem ſuſcipi, multoq́; maiorem rationem haberi libidinis, luxus atq́; ocij, horum qui neq́; Deo neq́; mundo vtiles ſunt, impurorum ſacrificorum: quàm temporalis omnis, & æternæ fœlicitatis, imò quàm vxorum atq́; liberorum, vel quicquid in hoc mundo eſt chariſſimum.

Quanto tempore Hiſpanicus grex oculum in Vrbem iſtam coniecerit, nondum Iſenburgico noſtri Aduerſarij ſupremo belli Duci excidit, & præcipuè quid Albanus illi in obſidione ad Montes Hannoniæ obtulerit, quæ fuêre hæc (prout planè atq́; verè ſumus edocti) ipſiſſima verba: Eſſe illum nunc de Colonia Epiſcopum, ſibi autem ſi obtemperare vellet, futurum vt in Colonia Epiſcopus eſſet. Inde & opinari debemus, cum paulò ante ſuam reſignationem ob ſalinarum menſuram cum ciuitate in controuerſiam veniſſet, & Rheni nauigationem interclufiſſet, Cæſarisvverdæ *ſuperiori in aulæ hypocauſto, magna corona circumſtante, cum tres menſæ conuiuantium eſſent, hæc illi verba excidiſſe: ante non moriturum, quam vſq́; ad talos per Colonienſium ſanguinem permearet.*

Cum nos cum Senatu Colonienſi ex intempeſtiuè inſtituto Sagittariorum exercitio, in quaſdam ſimultates incidiſſemus, inopinatusq́; ille, & quaſi cæcus ad arma concurſus

fuiſſet

fuiſſet conſecutus, ſtatim poſt ab Hiſpanis nobis oblatum eſt, ſi vindictam cogitaremus, omnibus, ſiue quantum habebant, copiys, auxilio adfuturos, eouſq; etiam, dum in ipſa vrbe arcem excitaſſemus, eamq; nobis ſirmaſſemus. Cum igitur magna eſt Sacrificorum & immoderata improbitas atq; ſcelus, etiam ob id, quod intra muros vehementer æſtuantes atq; incenſi fuerint, diligenter & cautè attendendum eſt, ne Iſenburgij, quod commemorauimus propoſitum, ſucceſſum conſequatur.

Poſtquam autem nobis indicatum eſt, quid de Ciuibus paſſim polliceri nobis, & quid ſperare debebamus, & imprimis miſeres Chriſtianos nimis in cõſcientiys affligi, ex Chriſtiana charitate, & quod gerimus munere, præcedentes omnes iniurias, ludibria, damna (in quibus nõnullos apud vos habitantes numero paucos ſuſpectos habemus) obliuione ſepeliemus, & lapidem in æternũ ſuperponemus ad mediaq; inuenienda operam dabimus, quæ (Deo ſit gratia) inuentu difficilia non erunt: vt neq; Sacrificulis illis, neq; Iſenburgio, neq; etiam Hiſpanico gregi hoc propoſitum & hi conatus ſuccedant, vtq; vos cum vxoribus atq; liberis, omniq; poſteritate, cum rectè ad vos vſq; deductis libertatibus, in quiete atq; pace, vt hucvſq;, ſine vllis moleſtijs aut oneribus permanere poſſitis. Demùm vos beneuolè & paternè præmonitos quàm maximè volumus, vt hanc noſtram ex fido corde (nouit hoc Deus) profluentem admonitionem ad animum reuocetis, neq; vos per Sacrificos & impiam ipſis adhærentium cateruam, qui non niſi priuata commoda ſectantur, amplius excæcari patiamini. Id vobis ex animo optamus, & fideli, optimoq; Deo commendamus. Dictata in noſtro cubiculo in arce Lulſdorff, 4. Septemb. Anno 83.

Harum literarum duo exemplaria ſcripſit, tabellarioque mandauit, vt alterum ſeniori Conſuli traderet, alterum verò in forum (vbi maximum ciuium videret numerum) proijceret, quo in manus ciuium perueniret: vt ſi qui forte rerum nouarum ſtudioſiores eſſent, hoc modo ad tumultum excitandum concitarentur: ſed ciues nihil his literis permoti, in fide & officio permanſerunt.

Diximus

Dximus paullo ante promulgata proſcriptionis ſententia vſitatum eſſe, vt executio eiuſdem vni aut pluribus è vicinioribus Principibus demandetur. Cæſar itaq; cum Caſimirum & alios Gebhardi complices, niſi obſecundarent, proſcripſiſſet: ne qua mora interponeretur, Inferiorum Germaniæ magnæ limitum Archiſtrategis, per literas ſignificat, quid Caſimiro & ceteris Centurionibus, Tribunis, Chiliarchis, Equitum Magiſtris, Legatis & Ducibus ſub pœna proſcriptionis imperauerat: & quid ſuam Maieſt. ad hoc commouerat. Deinde omnibus vicinioribus belli Præfectis, pro ſua auctoritate & Imperij conſtitutionum iure mandat; vt niſi prædicti illi imperata faciant: ſed vel Eccleſiaſticis, vel Secularibus in Diœceſi aut vrbe Colon. bellum moueri pergant, ab afflicta Diœceſi aut vrbe inuocati, illis non modò confeſtim opem ferant: ſed & ſi neceſſe ſit, hoſtiumq; vires potẽtiores ſeſe opponant, quàm vt ſibi ſufficere poſſint, alios plures vicinos belli Præfectos, numero ſufficienti euocent, coniunctiſq; viribus id exequantur, quod in Imperij Comitijs hactenus erat decretum, monet tandem Cæſar ne in hac re cunctanter agant. Hoc modo ipſos officium facturos, ſuæque Maieſtati gratificaturos, ſubiungit.

Non ſufficiebat Gebhardo & Caſimiro tam dentatas literas miſiſſe Coloniam, aliũ adhuc arietem admouent, ſi forte vel iſto Magiſtratus animum expugnare poſſent, propriam enim Caſimirus legationem ad Colonienſes decreuit: eam Comiti à Thonavv dedit: ſciebat enim quantum ſua omniumque in Imperio Proteſtantium intererat, ſi hanc vrbem (vt quæ primam in comitijs ſuffragationem habet) vel perſuaſionibus in naſſam ſuam pertrahere, vel aſtu inuadere, vel aperto Marte occupare poſſent. Sed vigilantiſſimus, prudentiſſimusque Senatus, non ſolum videns quid ageretur: verum etiam prouidens quid futurum eſſet, totumq;

Reip.

Digitized by Google

Reip. corpus curare volens, non partem aliquam tueri, & reliquas deſerere, nec blanditijs deliniri, nec promiſſionibus corrũpi, nec minis deterreri, nec laboribus aut moleſtijs frangi potuit: quo minus officium faceret, Catholicam Religionem tueretur, & Rempub. propugnaret.

Legatus itaque cum in locum vbi audiretur veniſſet, ſuam legationem exorſus eſt, atque initio Ampliſſimi Vrbis Colonienſis Senatui ſalutem nomine ſui Principis precabatur, optabatque ei diuturnum, felix & tranquillum Imperium. Inde non dubitare ſe, *ait*, quin Magiſtratus meminiſſe poſſet, omnium quæ in hoc tumultu bellico vtrinque acta erant. Electorem ſcilicet Gebhardum veri nunc Euangelij lumine illuſtratum eſſe: & cum cuique id liberum ſit, ſuis Prouincis idem Euangelium communicare voluiſſe. Ceterum Capitulum ante Cæſaris atque Imperij declarationem, nondum cauſa cognita, ſuo Electori & Principi caſtra, pagos & oppida extorquere auſum fuiſſe: nec erubuiſſe Pontificem Romanum & Epiſcopum Vercellenſem tam Electorem ipſum, quam alios nonnullos ſummę Eccleſiæ Prælatos & Canonicos, ſuis dignitatibus, officijs & præbendis ſpoliare. Hæc omnia Duci Caſimiro diſplicere, & nimis violenta videri. Præſertim cum Capitulares externas Hiſpanorum copias in Imperium vocauerint, atque hoc ipſo in conſtitutiones eiuſdem Imperij pacem publicam & concordata patrię grauiter deliquerint. Horum cauſam nullam Archiepiſcopum dediſſe: ſed tantum libertatem religionis & conſcientiarum quæſiuiſſe: neſcire itaque eum quo titulo, vel prætextu ſua dignitate & adminiſtratione priuari poſſit. Has ob cauſas Suam Celſit. conſilio cum alijs Electoribus communicato, armata manu ſuam dignitatem, ademptamque legitima electione adminiſtrationem, tueri ſtatuiſſe: maluiſſe quidem his moleſtijs & ſumptibus ſuperſediſſe,

ſed

ſed quis horum incómmodorum auctor ſit, Senatum non ignorare: Archiepiſcopumq; optare huic malo nunquam anſam datam eſſe. Interea Suæ, Caſimiri ſcilicet, Celſit. ſignificatum eſſe, Reuerendiſsimum & Illuſtriſsimum Principem & Dominum, D. Erneſtum, Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, Leodienſium Epiſcopum, Friſingenſium, & Hildeshemenſium Adminiſtratorem &c. clementem Principem & Dominum ſuum, literis & nuncijs ſparſiſſe; Ducem Caſimirum, non aliam ob cauſam, ſeſe huic bello immiſcuiſſe; quam vt in Vrbe Colonienſi ſeditionem & tumultum moueret.

Ceterum eius Celſit. ſcire, quibus iuramentis & Cæſari & toti Imperio ſit obligatus. Neſcire autem illum ſibi vnquam male cum hac Vrbe conueniſſe, aut Suæ Celſit. vnquam à Magiſtratu cauſam maleuolentiæ eſſe oblatam. Orare itaq; illum Magiſtratum, vt huiuſmodi calumnijs fidem non habeat, cum nihil tale vnquam ei in mentem venerit: ſed optimè ſemper in hanc Remp. fuerit affectus. Nihil tamen Suæ Celſit. vnquam iucundius fuiſſe, quem vt laudabilis hæc, & libera Imperij ciuitas, ſuis perpetuò conſtet priuilegijs, & libertate gaudeat. Id in poſtremis Comitijs Auguſtanis declaratum eſſe, in quibus fideliſſimè Suam Celſit. pro Vrbe Colonienſi alijſque ciuitatibus Imperij decertaſſe, *Legatus affirmabat*.

Scire ſuam Celſ. duabus de cauſis, ſe ab aduerſarijs diffamari: quarum prima eſt, vt nomen eius exoſum fiat: ſecunda verò, vt hac fama ciues conſternatos reddant, adeò vt ſibi metuentes, opem illorum implorent, ipſique hac via Vrbe potiantur, & ſibi eam ſubijcere poſſint. Orare itaq; Suam Celſit. vt Magiſtratus diligentiſſimè aduigilet, & ab hoſtium machinationibus, inſidijſque prudenter ſibi caueat. Vt autem omnibus cognitum eſſet, quam ob cauſam Sua Celſit. huic ſe bello implicuiſſet;

omnes iamdudum cauſas & rationes publico libello, eius mandato, diuulgatas eſſe. cuius libelli exemplar Magiſtratui Legatus tradidit.

Porrò quantumuis Dux Caſimirus ſciat, Magiſtratum optimè de S. Celſ. ſentire: metuiſſe tamen, ne fortè tot aduerſariorum calumnijs, vel tandem in ſiniſtram ſuſpicionem apud Magiſtratum venire poſſet. Petere denique Suam Celſitudinem, vt quo loco ipſa apud Senatum ſit, quamque exiſtimationem in Senatorum collegio habeat, breuiter & benignè declaret.

Atque ea ſunt, quæ Comes de Thonavv deputatis à Senatu nomine Caſimiri propoſuit. Senatus re ad ſe relata, habito conſilio Duci Iohanni Caſimiro per Doctorem Steinvvichium reſpondit: & quidem initio eius Celſitudini, pro amica ſalutatione, & magna eius in Senatum beneuolentia, ſummas egit gratias: eique viciſſim felicem, Chriſtianam & tranquillam adminiſtrationem, ſynceram doctrinam, & beatam proſperitatem precatus eſt. Deinde ad cetera veniens,

Scire quidem Senatum (ait) plurima quæ ab exordio tumultus huius Diœceſis Colonienſis acciderint, non tamen omnia: ſed nunquam antea, & ne nunc quidem ſe huic negotio immiſcere aut implicare voluiſſe, eò quod Magiſtratus hic, ſeparatum à Diœceſi membrum Imperij ſit. Iſtorum itaque tumultuum cognitionem ad Cæſaream Maieſtat. & alios Principes, non ad Magiſtratum Colonienſem, ſingulare Imperij membrum, pertinere. Ceterum quia Sua Celſitudo conqueratur, ſibi à calumniatoribus impingi, quod Vrbi huic malè velit, & ſeditionibus exagitare machinaretur: & quia declaret beneuolentiſſimum ſuum animum erga hanc Rempublicam, ideoque viciſſim quid Sua Celſitudo à Magiſtratu expectare debeat, & quo loco Ducem habeat, ſcire deſideret; reſpondere Senatum: Licet nullam vnquam ſiniſtram

de

de Sua Celſitudine ſuſpicionem conceperit, nec vllum maleuolentiæ ſignum vnquam ſenſerit, tamen Senatum ob variè à varijs ſuperioris atque inferioris ordinis perſonis iampridem præmonitum, non potuiſſe ratione officij & iurisjurandi, quo ciuibus totique Reipubl. tenetur obſtrictus, has admonitiones contemnere: ſed potius diligenter in omnem euentum aduigilare debuiſſe. Nihilominus quod Sua Celſ. animum ſuum erga hanc Rempubl. tam candidè aperuerit, gratum Magiſtratui fuiſſe: & gratias ei quam maximas agere, ſimul & promittere, hanc eius beneuolentiam apud Senatum in perpetua memoria permanſuram. Ante omnia verò gratiſſimum Senatui eſſe, quod Dux Caſimirus profiteatur, Senatum nunquam demeritum eſſe, cur aliquid aduerſus hanc Rempubl. moliretur. Ideoque ad petitionem eius velle viciſſim Senatum candidè & apertè mentem ſuã erga Ducem declarare: faterique ſe eandem de Sua Celſit. exiſtimationem habere, quam de Principe Sacri Romani Imperij, Vrbs & membrum eiuſdem habere debet. Rogans interim Suam Celſitudinem ne quid poſthac de Colon. Republica minus dextrè ſuſpicaretur, etiamſi militibus ſe muniat. Id enim vſitatum eſſe apud omnes Imperij ciuitates, vt cum in vicinis circumquaque locis exercitus conſpiciantur, ſeſe muniant: vt Imperatori, ipſique Imperio ſaluæ maneant.

Ceterum cum poſtea Senatus intelligeret ex legati Replicatione, eum perperam reſponſum intellexiſſe, id coram dixit: ſimul & promiſit, ſeſe ei Senatus mentem & voluntatem reſponſione ſua comprehenſam, ſcripto traditurum: quod & confeſtim fecit.

Dum Legatus Caſimirianus Coloniæ Principis ſui cauſam orat, Illuſtriſſimus Iuliacenſis Dux, per literas, miſſamque legationem petit à Caſimiro, vt ſuis prouincijs & ditionibus cum copijs omni-

bus excedat, exercitus enim ipſius terram Montenſem, ea quæ in planicie eſt, abactionibus, aliarumque rerum rapinis miſerè depopulabatur. Montanam verò, eò quod vias aſperas, anguſtas atq; difficiles habebat, tum etiam quia ruſtici armis eas obſidebant, latiusq; excurrentes paſſim trucidabant, laceſſere non audebat.

Moguntinus Conuentus. Interea Moguntiæ conuentus indicitur: in quò variè laboratum eſt, ſi fortè pax conſtitui, & negotium Colonienſe, cum amicitia & tranquillitate tranſigi potuiſſet. nihil autem effectum eſt.

Belgæ cum intellexiſſent Caſimirum cum exercitu ſuo iam in Diœceſin veniſſe, legationes ad eum mittunt: opem deferunt, equitatum mittunt, pecuniam cölligunt, omnia faciunt, quò tantum Colonienſibus & Regiæ Maieſtati (cui hoc bellum vehementer cordi erat) negocij faceſſerent, vt ipſi minus à Regijs moleſtarentur. Sed dum illi in vtramque aurem dormiunt, & Regem pluribus intentum, & agmina eius diuiſa de ipſis aut parum cogitare, aut non magnoperè ſaltem officere poſſe arbitrantur, magnis Parmenſis victorijs potitus

Septemb. 11. eſt. Nam poſt captam Endouiam, Duinkerkam, Nieuportum, Dixmudam, VVinoxbergam, Aloſtum, Axellam, aliasque multas & inſignes Flandriæ ciuitates: etiam Verdugius Friſiæ Præfectus, militari audacia & callido ſtratagemate Zutphaniam, Gelriæ munitum & ſpacioſum oppidum Regi Hiſpaniarum recuperanit. vbi non contemnendam pecuniæ ſummam (vt tunc fama erat) inuenit: quam Gelri Caſimiro miſſuri dicebantur. Plurimum ea res Truchſeſianis obfuit: nam Gelri, à quibus tanquam vicinioribus, in omnem euentum ſemper paratiſſimum ſibi ſubſidium pollicebantur, nunc hoſtem in gremio ſuo fouentes, ſibi ſuiſque aduigilare cogebantur.

Caſimirús itaque accepta legatione Ducis Iuliacenſis, partim vt ei pareret, partim vt aliquid com-

Digitized by Google

commemoratu dignum cum tanto exercitu agere videretur, Vnckelium in terra Colonienſi ſitum, ſupra Bonnam in vlteriori ripa, collectis viribus totoq; exercitu expugnare voluit. Putabat enim quod municipio illo potitus, bellum facilius proſequi poſſet, dum ex eo excurſionibus factis, Lintzium & Andernacũ, totamq; ſuperiorem Diœceſin in ſuam poteſtatem paulatim redigeret. Quod ſi ei feliciter ſucceſſiſſet, omnis vndequaq; commeatus exercitui ſuppeditari, & nuſquam intercipi potuiſſet. Sed erat in itinere pagus quidam nomine Kõnigswinter & Caſtrum Drachenfelſz/ in quibus præſidia Salentinus habebat: hæc itaq; loca prius erant expugnanda, ne hoſtem à tergo relinqueret. Relicta itaq; arce Lulsdorfenſi caſtra mouit verſus Kõnigswinter/ admotisq; totis viribus pagum obſedit. Eſt autem pagus hic, quaſi ex oppoſito Bonnenſi oppido, in vlteriori Rheni ripa, quem Truchſeſij nomine prius occupauerat Centurio quidam Francus nomine Buijus: is imprudenti conſilio poſtea reuocatus, pagum incendit, & igne conflagratum deſeruit.

Poſtea verò Salentinus Iſenburgius, eum iterum munierat, & præſidio impoſito, contra hoſtium violentiam tuebatur. Caſimirus itaque belli fortunam experiri volens, cum ſtrenuè oppugnaret hunc locum, turpiter repulſus eſt, reſtauratis viribus ſecundò & tertiò eandem fortunam tentauit: ſed cum ſuos paſſim ſterni cerneret, iamq; fortiſſimos quoſq; deſideraret, receptui canere iuſſit, ingloriuſq; hac pugna exceſſit, Nec minorem ſtragem Funckius, cuius cuſtodię arx Drakenfeltia demandata erat, in caſtra Caſimiriana edidit: ita vt Vnckelium cum exercitu Caſimirus commodè venire non potuerit.

Huc accedebat quod Iſenburgius, in orientali Rheni ripa, vltra Bonnam, omnia tam arctè intercipiebat itinera, vt Caſimiro commeatus interclu-

deretur. latius autem palari cum exercitu, partim propter Ruſticos, partim propter altiſſimos vndique montes imminentes tutum non erat. Hac difficultate circumuentus Palatinus, cum Rhenum traijcere non poſſet (tentauerat id antea circa vicũ VVeſſelingenſem, ſed à Bauarianis fortiter reprimebatur) copias omnes è montanis Tuitium ex improuiſo circa veſperem tranſportauit, quod non ſine cauſa omen infauſtum eſſe, Proteſtantes interpretabantur. Huic malo accedebant literæ proſcriptionis à Cæſare miſſæ, quæ tunc etiam recens erant allatæ.

Eodem quoque tempore Cæſarea Maieſtas Carolo Truchſeſio Bonnenſium, & Adolpho Comiti Nuenario Berckenſium Præfectis, in hanc ſententiam ſcribit.

Quanquam prudenter in noſtris, inquit, *& Sacri Rom. Imperij deciſionibus cautum eſt, & interdictum, ne quis cuiuscunq; ſtatus aut conditionis ſit, alium Imperij clientem vi obruat, violenter impugnet, aut quocunq; alio impetuoſo, illegitimoq; modo opprimat, vel vt hæc ab alijs fiant, opem aut conſilium conferat, vel etiam aliorum negotijs ſeſe ingerat. Tum etiam ne quis ſine Cæſaris expreſſo conſenſu, neq; in Imperio, neq; extra illud exercitum conſciat: in, & per aliorum prouincias ducat, aut ibidem delectum habeat, vel caſtra metatur. Tamen iampridem nobis fides facta eſt, vos in controuerſiam, nuper inter Archiepiſcopum nunc priuatum, & Collegium eius, nouumq; nuper Electum exortam, intromiſſos; cum alijs nonnullis magnas copias, tam externas, quàm indigenas, pro veſtra libidine conflare. easq; cum multorum Ordinum, eorumq; ſubditorũ damno, in Diœceſin Colonienſ. transferre. Præterea cimelia, prouincia, Archiepiſcopalemq; theſaurum & ſuppellectilem, vnà cum Archiuo hoſtiliter diripuiſſe: literas, diplomata, inſtrumenta & ſigilla in eò reperta, aliò violenter tranſportaſſe. Ad hæc duas Electoris arces Horenburgum & Berckam cum oppido & telonio: vrbes quoq; & arces Ordingenſem, Reckelinckhuſenſem, & Weſterholtium armata manu occupaſſe, in eaq;*

Gallica,

Gallica, Scotica & Anglicana præſidia deduxiſſe. Idem & in vrbe Bonnenſi, arcibus Poppelsdorffio & Godesberch: monaſteriis quoq; Wilichio & Rindorfio feciſſe: easq; vrbes, arces, & munitiones Nouo Electo & Capitulo Colonienſi ſubtraxiſſe, & adhuc violenter detinere. Quæ omnia cum Imperij conſtitutionibus aduerſentur, nobis ex officio noſtro incumbit, horum rationem habere.

Vobis itaq; ex auctoritate noſtra Cæſarea, per iuramentum, quo nobis & Romano Imperio obſtricti eſtis, ſub pœna quoq; proſcriptionis, amiſſionisq; omnium feudorum, priuilegiorum & gratiarum quæ noſtra, aut Imperij liberalitate vobis conceſſa ſunt, mandamus & volumus, vt è veſtigio prædictas ciuitates, arces, monaſteria, cimelia, ſuppellectilia, aurum, argentum: literas quoq; diplomata, inſtrumenta & ſigilla dilecto cognato noſtro Electori recens electo, Archiepiſcopo Colonienſi, reſtituatis, idq; eis octiduum, poſtquam hoc noſtrum mandatum acceperitis, ſine vlla conditione & exceptione. Nec ciuitates tantum & arces, ſed apparatum bellicum, ſtellaturam, munimenta, omnemq; ſuppellectilem, cum damni facti penſitatione, *reddatis. Nouoq; Archiepiſcopo Colonienſi, in hac ſua poſſeſſione in poſterum moleſti non ſitis, & mandatc hoc noſtro per omnia pareatis, niſi & indignationem noſtram, & in proſcriptionis pœnam incurrere velitis. Datum Viennæ 17. Septemb.*

Caſimirus Tuitium (vt diximus) penuria reuerſus eſt: Confluxit eo Gebhardus, Iacobus Marchio Badenſis, Comes Nuenarius, Solmenſis, Ferdinandus Truchſeſius Gebhardi frater, & Kreichingius.

Equites & currus in ipſo municipio agebant; pedites verò ad meridiem, in ipſa Rheni ripa Vrbi Colon. oppoſita, caſtra metabantur. Volabant expanſa ſigna omnia noctes atq; dies, & omnia circūquaq; ignibus collucebant. Caſimirus verò, Truchſeſius, alijque Comites & Barones magnifica habebant tentoria in fluminis ripa, non procul à ruinis monaſterij vrbis Colonienſis fixa, in quibus ipſi agebant, ita vt ambulantibus in ripa citeriori, & ex ædibus, turribuſque proſpicientibus ciuibus per-

petuò eſſent in conſpectu, quique flumen traijciebant, ſtatim ad illorum tentoria venirent.

Eodem veſpere cum Caſimirus Tuitium venit, ſcripſit Senatui Colon. ſe cum exercitu Tuitij eſſe, cauſam autem cur iſtuc venerit ſe poſtero die Senatui ſignificaturum. Interim petere, ne ſibi ſuiſq; commeatus ex Vrbe, is quem pecunia redimere poſſent, negetur. Erat enim exercitus eius valde famelicus atque ex labore itineris, commeatuſque ſumma penuria penè enectus. Altero itaq; die eundem miſit, quem antea, Legatum, cum duobus nobilibus & debito comitatu. is ad colloquium admiſſus, expoſuit Senatui: Fuiſſe quidem Ducem Iohannem Caſimirum nuper in ea ſententia, quod ſuperiorem Diœceſin, pulſis hoſtibus, Gebhardo reſtitueret. Ceterum certis iam nuncijs intellexiſſe, Regias copias duce Verdugio in VVeſtphaliam iter inſtituere: ibiq; aliquid moliri decreuiſſe. Propterea ne quid ibi detrimenti pateretur Gebhardus, conſilium atque inſtitutum ſuum Ducem mutaſſe: relictaque ſuperiori Diœceſi, primum in VVeſtphalia Regios intercipere, cædere, atq; fugare decreuiſſe: inde inſtitutum proſequi velle. Interim modeſtè quoq; fatebantur Legati, ſe aliquod damnum in ſuperiori parte paſſos eſſe. Tandem petere, aiunt, Ducem ne Senatus exercitui commeatum, quē parata pecunia ſoluere poſſent, neget. Reſpōdit Senatus parcè & modeſtè: Se non negaturum exercitui commeatum, ſed in promiſſis, quæ ad primam legationem dederat manſurum: breuiterque repetitum eſt, quid in iſta legatione reſpōſum erat. Addidit Senatus: Vrbem ſuam ſpatioſam & populoſam eſſe, multa ipſam conſumere, multis opus habere: præterea exercitum Bauari eadem petere quæ Caſimirus: nec huic commeatum negari poſſe. Qua re tandem futurū eſſet, vt omnibus ſatisfieri non poſſet. Senatum igitur facturum pro rei qualitate, ſed nolle vltra ſuam commoditatem vrgeri.

Pla-

Digitized by Google

Placuit reſponſum Legatis: interim ciuiliter ſubijciunt, Caſimirum & Gebhardum à Senatu flagitare ein Fürſchub (vt ipſi loquebantur) idque in fauorem exercitus, præſertim Gallicani, cuius Tuitij delectum habere vellent.

Senatus primùm ſimulauit ſe nomenclaturam illam non intelligere: quod cum Legati animaduerterent, ſeipſos interpretati ſunt: Petimus, inquiunt, exercitui aliquid commeatus gratis ſuppeditari, vinique, panis, & cereuiſiæ honorarium aliquod donari. Id enim Principes alij, quorum fines tranſiuimus ſponte & liberaliter fecerunt. Reſpondit Senatus humaniter & prudenter: ſe id facere non poſſe: hoc rerum ſtatu, quo vtriuſque partis exercitus circa Vrbem ſit, nec poſſe, nec expedire, illis gratificari: quidquid autem præſenti pecunia mercari poſſent, ipſis non denegari.

Accepto hoc reſponſo Legati ad Caſimirum reuerſi ſunt. Gebhardus vt apud ciues Colonienſes, quorum ibi magnus erat concurſus, gratiam iniret popularem: Tuitij in pomerio vel xiſto quodam ante Monaſterium, in conſpectu Vrbis ſito conciones quotidie inſtituit, multaque ſimulatæ beneuolentiæ ſigna ciuibus exhibuit. Dum Tuitij agunt Caſimiriani, magnus initio erat in Vrbe militum ingredientium atq; egredientium concurſus, quæ res multis non exiguam iniecit ſuſpicionem, nec deerant inter illos qui palam profiteba tur, ex præda ſpolijſque Vrbis ſibi ſtipendia promitti. Sed ea erat ſemper Senatus vigilantia, ne quis inſidijs locus eſſe poſſet. Omnia enim ad Vrbis defenſionem habebat parata: noctes atque dies excubias agere, & ſtationes per omnia loca, non tantum ciuibus, ſed & militibus, quos iuſto numero ad hanc rē paulò ante conduxerat, habere pręcepit: nec poſtea intromittebantur, niſi qui commeatum petebant, ijque numero certo, & à Magiſtratu conſtituto.

Ceterum Caſimirus ſe à Gebhardo deceptum

Digitized by Google

videns, eò quod pactam fidem non redderet, ſyngrapho non ſatisfaceret, oppignoratis oppidis & caſtris non cederet (neq; enim oppidum vllum Caſimiri pręſidium admittere voluit) ſtipendia quoq; deficerent, & annonæ magna eſſet inopia: de his omnibus cum Gebhardo grauiter cõtendiſſe fertur.

Quartò, poſtquam Tuitium veniſſet, die, cum Gebhardo, ceteriſque Comitibus & Baronibus, quam potuit maximè ſolenni, & tumida pompa exercitum Tuitio Mulhemum transfert: Præmiſit omnes equitum turmas, idque per diuerſas vias, diſtinctiſque copijs, vt campus omnis plenus equitibus videretur Colonienſibus, qui in turribus ac feneſtris hanc pompam eminus videbant. Erant autem equites (vt quidam aſſerunt) numero circiter 6000. illos currus ſeptingenti ſubſequebantur, nigro panno obducti; quos ad ſpolia & prędas iſtud hominus genus ſolet habere paratos. Truchſeſius, Caſimirus, Comites & Barones cum aulico ſuo comitatu, generoſiſſimis equis inſidẽtes, medij ſtabant inter equites & pedites, & cum quadam voluptate tantas equitum copias ſpectabãt prætereuntes. Mox à Ducibus iuſſum eſt, vt ordine pedites ſequerentur, ſeſeq; etiam prętergrederentur. Sed pedites immorigeri Ducum mandatum contemnebant, ſeſeq; diu mouere nolebant. Duces varijs rationibus, precibus ac minis illos incitantes, & vt ſequerentur admonentes, cum diu tergiuerſati erant (putabant enim ſe ſtipendia Coloniæ percepturos) tãdem perſuaſi, arma corripiunt atq; equites medio itinere ſubſiſtentes, longo agmine, erectiſq; vexillis ſequebantur. Tandem Tubicines atque Aeneatores Claſſica canunt, Ducesq; exercitus tergum vnà cum ſuo comitatu, cohortibus prætorijs & auguſtalibus quadrigis claudebant.

Colonienſes arbitrabantur eos in VVeſtphaliam caſtra ducturos: ſed ſtatim poſitis ſignis Mullemi ſubſtiterunt, atque dies continuos vndecim hæſe-

ſubſti-

runt, poculis ſtrenuè certantes, & vicinos pagos villaſq; miſerè depopulantes, vaſtantes, atq; incẽdentes. Interea dum hic cõmorantur. Comes quidã de Pyrmont vitę ſuę fabula peregit, cuius exequiarum iuſta (dictu incredibile eſt,) quam incondita, quam tumultuaria & ridicula fuere. Gleba in os mortui iniecta, quidam intenta voce Pſalmũ Germanicum auſpicatur, ſubſequitur alius deducta, mox ingerit ſe tertius ſuffulca & rauca: donec priorem verſum abſoluerant. Tubicines in altari ſtantes, excipiunt verſum ſecundum, tanto cum clangore, vt poſtes atque area rupturi viderentur. atq; ita alternatim epicedia decantant. Tam inſulſo, inconcinno & turbido clamore & clangore, animam vſq; ad cœlum inſequentes, vt ſi in re ſeria nugari liceat, ipſum cœli ianitorem deterrere, atque ad obſerandas cœli ianuas concitare potuiſſent. Tandem Nenijs abſolutis, Miniſter Caſimiri orationem funebrem recitauit. Inferijs hoc modo peractis, mox à tumulo ad popinam; ab epicedijs, ad diras & carmina fecennina: ab obſequio mortuorum, ad carnificinã viuorum: ab animarũ denique comitatu, ad pecudum abactiones properatur.

Exequiæ Proteſtantium militares.

Dum Mullemi moram trahunt, Alpenſis Nuenarius pabulatum, frumentatumque excurrens, pagum Slebus ſpoliat: ſpoliatumque vnà cum inſigni cuiuſdam nobilis ædificio, flammis abſumit. Coloni contra ſi quos milites paucos palantes inuenirent, ſine vlla miſericordia trucidabant.

Rumore iam pridem in Belgio diuulgatum erat, Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem Philippum, Principem noſtrum clementiſſimum, inſulas Azoras in fine propemodum longitudinis; latitudinis verò triceſimo gradu ſitas, quarum nomina ſunt Terçera, Faiola, Gratioſa, S. Georgij &c. Antonianis, qui eas inuaſerant cæſis aut captis 27. Iulij feliciter recuperaſſe, iamq; in omnibus eius regnis altũ ſilẽtium, & ſtabilẽ pacem eſſe, Belgio excepto,

defectum pecuniæ: vt quibus iam ſex menſium ſtipendia debebantur: velle autem cum nouo Electo de Vrbis deditione certa pecuniæ ſumma tranſigere.

Magna itaque celeritate cum toto exercitu Bonnam contendit, milites pacaturus, qui cum nō alia re, quā pecunia pacari vellent, coactus eſt eis menſtruum perſoluere; additis magnificis promiſſionibus: adfore breui ingentem theſaurum, ex quo & aliorum duorum menſium ſtipendia eſſent percepturi. Hoc modo retardata eſt expeditio, quam verſus VVeſtphaliam facere decreuerat.

Deferueſcente paulatim ſeditione, mutataque ſententia, Lintzium obſidere volebat Caſimirus: ſed cum ab exploratoribus didiciſſet, oppidum hoc à Nobili quodam Brabantino, Linden cognomento, viro artis militaris peritiſſimo defendi, eumque decem Gallorum peditum ſigna, & aliquot equites ſub ſe habere, motis caſtris arcem Archiepiſc. Aldevvede oppugnare ſtatuit, qua capta, exiſtimabat ſe Lintzenſes haud difficulter in ordinem coacturum. Milites eius ad hanc expeditionem prompti erant. Prædæ enim inhiabant, quam opimam fore ſibi promittebant, ex eo, quod vicini ruſtici omne ſuum peculium huc, tanquam ad locum tutiorem comportauerant. *Octob. 1.*

Archiepiſcopus verò metuens, ne ſui periclitarentur, alia adhuc ſedecim peditum ſigna & equitum cohortes quatuor, flumen traijcere, & hoſtem inſequi iuſſit: vt aut ſuis opem ferrent, aut cum hoſte (ſi oportunum eſſet) confligerent. Erant verò in caſtrenſi concilio viri diſciplina militari, & multarum rerum vſu exercitatiſſimi, qui nummariam difficultatem, annonam militarem ſupra modum compreſſam, hyemis propinquitatem, locorum in quibus hyemare poſſent, incommoditatē (quibus omnibus hoſtium caſtra coarctabantur) ponderantes, ſuaſerunt non eſſe dimicandum, ne

ſumma

ſumma ſalus periclitaretur: eo enim loco res Caſimiri eſſe, vt ſi ei cunctando tantum, negata pugnandi copia, reſiſteretur; fore vt breui fame & frigore domitus, magna cum ignominia campo cedere, & in ſua reuerti compelleretur. Bauariani itaque traiecto flumine Caſimirum magna cum celeritate inſecuti ſunt, & exercitus tergum laceſſiuerunt: tandem acriter ferra præliatum eſt: qua oportunitate & arcem Aldevvede ab obſidione liberarunt, & maiori præſidio munierunt. Multi in hoc conflictu è nobilitate, qui Caſimiro militabant, cecidêre: Capti quoque nonnulli: inter alios Capitaneus quidam Gallus, parum etiam abfuit, quin potiora ſua tormenta, hoſtis hic amiſiſſet. Tādem cum milites iam menſes aliquot Caſimiro militaſſent, nec ſtipendia vlla accepiſſent, muſſitare cœperunt initio: deinde etiā tumultuari, pecuniā poſtulantes. Caſimirus vanis pollicitationibus eos lactans, Engeriam verſus exercitum ducit, ibique caſtra figit. Territorium autem illud partim Treuirenſis, partim Colonienſ. iuris eſt. Bauariani vlterius illū ſecuti non ſunt. Tutum itaq; hunc receptū nactus Caſimirus, aliquādiu à bello feriat⁹ eſt.

Poſt triduum Gebhardo per literas ſignificat, equites ſuos ſtipendium exigere, & vbi hiberna conſtituenda eſſent, quærere; petit itaque vt quàm citiſſimè quid illis reſponderi velit conſulat: conſiliumque perſcribat. Ceterum poſtridie venit in caſtra Caſimiriana legatus Cæſareus, quem Germani Heroldum vocant, nomine Poinſot, natione Burgundus. Is Caſimiro in Remerskirchen reperto, Cæſaris mandatum exponit: erat autem illud definitiua ſententia, qua Dux ipſe, niſi confeſtim depoſitis armis in ſua reuerteretur, ſine vlla appellatione proſcribebatur. Simile mandatum ad reliquos, Iacobum ſcilicet Marchionem Badenſem, Henri- à Stein, Ioannem Bernardum à VValbrun, & Fredericum Bern perferebat. Dum hæc in ſuperiori

Diœceſi

Diœceſi geruntur, Capitaneus Huntſclar/ qui tunc Coloniā Traianam, vulgò Keyſerswerrt/ tuebatur, intempeſta nocte eruptione facta, & milite ſuo per pontem Catvvicenſem traducto, circa horam tertiam matutinam, in pago Bottorp, aliquot turmas equitum Truchſeſianoram adorſus ſtrauit, & in fugam conuertit: ex qua pugna, præter alia opima ſpolia, octoginta equos generoſiſſimos reduxit. Hoſtes qui fuga elapſi erant, iterum collecti, Bonnam ſeſe conferebant.

Poſtquam Reuerendiſſimi atque Illuſtriſſimi duo Electores, VVolffgangus Moguntinenſis, & Ioannes Treuirenſis, Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Colon. Archiepiſ. Erneſtum in diem 23. Sept Francofurtum ad Comitia euocauerant, vt dictum eſt: legati quos ſupra commemorauimus, eò cum mandatis à Colon. mittuntur. Inuenerunt illic legatos quinq; Electorum, qui in primo conuentu, nomine Truchſeſij Bauarianis hæc propoſuerunt. *Conuentus Francofordienſis acta*

Omnibus manifeſtum eſſe, Truchſeſium per vnanimem electionem ad Archiepiſcopatum Colonienſem perueniſſe, electioniſque ſuæ confirmationem obtinuiſſe. & ad Collegium Electorum aſſumptum eſſe: quin & aliquot annorum ſpacio pacificam & tranquillam poſſeſſionē, & Adminiſtrationem Diœceſeos habuiſſe. Eum licet à Catholica religione ad confeſſionem Auguſtanam tranſierit, Eccleſiaſticum tamen ordinem vel Archiepiſcopalem dignitatem non deſeruiſſe, nec deſerere velle. Capitulum his omnibus poſtpoſitis ad nouam Electionem conueniſſe, & Erneſtum Bauariæ Ducem Epiſcopū Leodienſem, modernum Archiepiſcopū & Electorem Colonienſem elegiſſe. Ex eo ſubſecutum, quod Truchſeſius à ſua poſſeſſione & adminiſtratione exturbatus, oppida, caſtra & munimenta nonnulla, vi armata occupauerit, idque contra Imperij ſacram & prophanam pacem. Aequum igitur eſſe, vt Truchſeſius in antiquam ſuam poſſeſſionem reſti- *Octob. 10.*

reſtituatur. Quod ſi fiat Truchſeſium ſe Electorum & Romani Imperatoris legatorum tribunali ſiſtere, eorumque iudicium & ſententiam in omni obedientia audire & acceptare velle. Eſſe hoc à parte Truchſeſij ſolum & vnicum fundamentum, cui præſens hæc diſputatio debeat inniti: ſi quid ad vtilitatem publicam velint in hoc conuentu definiri.

Legati Electoris Colonienſis Bauari, poſtquam hanc propoſitionem audiuiſſent, ſequenti die in hunc modum reſponderunt. Se ab Illuſtriſſimo ſuo Principe in mandatis accepiſſe, ne cum Truchſeſio diſputationem inirent: nihil enim eum iuris in Archiepiſcopatum Colon. habere, iuſtiſſimè ſecundum Imperij conſtitutiones, Eccleſiaſticæ quoque & politicæ pacis definitiones, proſcriptum eſſe: ſed ad hunc conuentum miſſos eſſe, vt quam meritò quamque legitimè Archiepiſcopatu ſuo exutus ſit Truchſeſius, & quam iuſtò titulo illi ſurrogatus Bauarus, eundem Archiepiſcopatum poſſideat, Electoribus demonſtrarent. quod quàm dilucidè fecerunt, ex eorum actis & ſcriptis cuiuis ſit manifeſtum.

Initio enim ſe de vnanimi (vt ipſe iactat) Truchſeſij electione nihil hic recenſere velle aiebant, poſſe tamen, vbi de ea agitur, peroportunè tritum illud prouerbium ſubijci, Non poſſe bono terminari fine, quæ malo inchoata ſunt principio. Inde ad rem propius accedentes legati, ex natura electionis, confirmationis, & aſſumptionis in Collegium Electorum, oſtendebant; Gebhardum iuſtè dignitate & adminiſtratione ſua ſpoliatum eſſe. Eſſe enim & electionem & confirmationem & hanc aſſumptionem Archiepiſcoporum Colonienſium non puram & ſimplicem (vt fingit Gebhardus) ſed ſingulas earum ſuas habere conditiones: quæ quandiu ab Electo non violantur, iure is à ſuis ſubditis amoueri non poteſt, ſecus autem poſtquam viola-

violauerit. Et quoad Electionem : Morem huius Diœceſeos eſſe perantiquum, vt antequam ad ſuffragia veniatur, in conclaui ſolennes & capitulares (vt vocant) tractatus & deliberationes fiant: quomodo, & quibus conditionibus eligendus debeat Diœceſin ſuam adminiſtrare. Hanc deliberationem, inſtante iam electionis tempore, Truchſeſius vehementer vrgebat. Inter articulos huius deliberationis, & hic eſt : quod Erneſtus à ſummo Pontifice Romano ſuam debeat impetrare confirmationem. Inde vt ſacerdotio ſeſe faciat initiari, vitamq; ducat ordini & dignitati ſuæ conuenientem. Quin etiam vt Electus toto vitæ tempore Catholicam fidem profiteri debeat, eamque defendere & contra infeſtantes tueri. Hæc ſi facere nolit, ad ſimplicem Capituli requiſitionem, Archiepiſcopatu liberè, purè, & ſimpliciter ad manus Capituli reſignet. Hos articulos, vt ſemper, ita & tempore Truchſeſicæ electionis, omnes Capitulares, qui ad Archiepiſcopatus dignitatem eligi poterant, vt & ipſe Truchſeſius iureiurando ſeſe inuiolabiliter obſeruaturos affirmârunt. Idem iuramentum Truchſeſius iam Electus, ſpontè, nulla neceſſitate coactus, animo benè deliberato, antequam Archiepiſcopus proclamaretur, & in chorum introduceretur, repetijt : inuocatoque Dei nomine, per Sacroſancta Chriſti Euangelia confirmauit.

Mos eligendi Archiepiſcopum Colonienſem.

Electio Archiepiſcopi Colon non eſt ſimplex: & condiciones quibus eſt annexa.
1. Truchſeſij iuramentũ.
2. Iuramentum.

Habet præterea Diœceſis pacta quædam ſolennia, quæ concordata Prouinciæ vocant, olim inter Archiepiſcopos, Capitulum & Ordines patriæ de communi ſententia ſtatuta & definita. Hęc de more nouo Electo ſolent offerri, vt ſingulos & omnes articulos, qui in ijs habentur, ſe obſeruaturũ ſacroſanctè iuret. Inter hos eſt: Archiepiſcopus nullam in religione mutationem inſtituat, vel admittat: ipſe in antiqua Catholica Rom. religione permaneat, eamque ſartam tectam conſeruet. Nulli bel-

3. Iuramentum.

Concordatorũ patria condiciones.

Digitized by Google

li occaſionem det, vel acceptet, nullaq; feriat cum exteris principibus fœdera, ignorante vel non conſentiente Capitulo, & Ordinibus patriæ: externos Conſiliarios ſibi non aſciſcat, nec militem extraneum in Diœceſin ducat. Duo præterea munimẽta, Cæſaris VVeerdam & Bilſtein, non niſi indigenarum pręſidijs muniat. Emphyteutis & his quibus penſitationes debentur, ex vectigalibus, & canonibus ſoluatur. Quibus omnibus ſi Archiepiſcopus contrauenerit, & admonitus à Capitulo, ab inſtituto reſilire noluerit, ſtatutum eſt omnes Ordines, Tribuni plebis, Satrapæ, Prætores, Iudices, ceterique Archiepiſcopo ab officijs, confeſtim & ipſo facto, ſacramento quo illi erant deuincti ſoluantur, nec ei obediant quamdiu introductam nouitatem non aboleuerit.

Confirmatio Archiepiſcopi non eſt ſimplex eiusq; conditionis.

Ex his concludebant Legati Electionem Truchſeſij non fuiſſe ſimplicem & puram: ſed certis conditionibus annexam. Talem fuiſſe & confirmationem, ſimili argumento comprobabant. Truchſeſius enim ſecundum laudabilem & perantiquam conſtitutionem, quæ in Concordatis Germanicæ Nationis inuenitur, confirmationem ſuam à Pontifice Romano impetrauit: idque non ſimpliciter, ſed præuia promiſſione, confeſſione & iuramento, de antiqua Catholica Rom. fide non violanda: ſed vſque ad extremum ſpiritum conſeruanda, defendendaque. Erat hoc quartum eius iuramentum. Quintum Suffraganeo ſuo præſtitit; tunc cùm ab eo ſacerdotio initiaretur. cui eadem de fide Catholica iurauit. Denique nec admiſſio & aſſumptio ad celeberrimum Electorum collegium fit, niſi præuijs conditionibus quæ ferè ad electionem & confirmationem referuntur. Omnes autem has conditiones Truchſeſium violaſſe, latiſſimè docebant Legati: & omnibus erat plus quam manifeſtum. Ex quo arguebant: eum à quibus electus, confirmatus, & aſſumptus ſub conditionibus erat, ab his, violatis condi-

4. Iuramẽt.

5. Iurament.

Concluſio.

conditionibus, reijci ac priuari poſſe: iuxta communem regulam iuris, *Cum idem, qui de habilitate ſeu perſonæ qualificatione cognouit, & ea inuenta confirmauit, de inhabilitate pariter cognoſcere & priuare, ſeu electionem & confirmationem caſſare, & irritam declarare de iure poſſit.* Si Archiepiſcopus iure priuari potuerit, potuit & Electorali dignitate priuari. Nemo etenim Elector Colonienſis eſſe poteſt, niſi idem ſit & Archiepiſcopus, qui quaſi iſtius eſt fundamentum, quo ſublato, electoratus præeminentia ruere neceſſariò debet.

Impudentem itaque, nec iuri, nec rationi conſentaneam eſſe Truchſeſij poſtulationem, qua adminiſtrationi & poſſeſſioni priſtinæ reſtitui cupiat: quas in ſua qualitate ſubſtantiali, & debita forma, in qua ei traditæ erant, non reliquerat: ſed innatam & ſubſtantialem (his verbis vtebantur) qualitatem, omnium iuramentorum præcedentium, ſalutis quoque & exiſtimationis immemor, alterauerat. Qui itaque adminiſtratione ſpontè ſeſe indignum fecit, ipſeque vltrò ea ſe exturbauit, hunc ſaluis electionis articulis, concordatis patriæ, conſtitutionibus Imperij, Eccleſiaſtica & ciuili pace, reſtitui poſſe, Bauariani negabant.

Truchſeſi[j] argumentum, quo ſe defendit.

Truchſeſius verò, quia Auguſtanam confeſſionem nuper arreptam, ſuæ cauſæ plurimum patrocinari exiſtimaret, virtute illius & iuramenta iſta ſolennia violare, & religionem exuere poſſe ſuſtinebat. Reſpondent Bauariani: fateri ſe quidem, Truchſeſium, ex ſtatuto iſtius confeſſionis, & à iuramentis, & à Religione Catholica recedere poſſe, ſi & ab Archiepiſcopatu, & eius Adminiſtratione recedat. velle enim religionem mutare, & Archiepiſcopatum Colonienſem retinere, non minus quam ignem aquæ contrariari. Eum igitur, ſi ad concordata prouincię reſpicere velit, in quibus ſtabilis eſt contractus, & pactũ inter Archiepiſcopum

Confutatio.

 & Or-

Digitized by Google

& Ordines vltrò citròque obligatorium, nec in propria conſcientia, nec coram hominibus, nec coram ſupremo iudice Deo facinus ſuum tueri, vel fucum, vel colorem ei prætendere poſſe.

Aliud eius argumentũ. At Gebhard⁹ licet Auguſtanam amplexus ſit confeſſionem, tamen nec Ordinem Eccleſiaſticum, nec Archiepiſcopatus dignitatem vnquam voluit de- *Confutatio.* ſerere. Occurrunt legati, nolle ſe diſputare, quam religionem profiteatur, quamuis facta ipſa, vt ſunt templorum direptiones, deuaſtationes, & incendia ſatis arguant, cuius fidei, cuiuſque ſit ipſe confeſſionis. Quantum autem ad mutationem religionis per Diœceſin introductam, omnibus ſubditis & vicinis circumquaque prouincijs notiſſimum eſſe, nec Rhenanas partes, nec VVeſtphaliam hanc optaſſe, aut pro ea obtinenda inſtitiſſe; nec in communi, nec in particulari, exceptis pauciſſimis, qui non proprio motu, ſed impulſi & ſubornati ab ipſo Truchſeſio, hanc flagitârunt.

Cauſa mutatæ religionis. Quod verò Gebhardus Catholica relicta, ad nouam religionem tranſierit, huius non aliam cauſam eſſe, quam quod fœminæ matrimonij fidem iampridem dederat; ab illius cõſanguineis, cum ad ſoluendam hanc fidem vehementer vrgeretur, coactum tandem eſſe, eam vxorem ducere: inuentum itaque hoc eſſe palliolum, vt ſub titulo mutatæ religionis, & vxorem duceret, & Archiepiſcopatum retineret.

Succincta narratio eorum quæ geſſit Gebhard. poſtquam religionem mutare decreuerat. Hinc ad commemorationem eorum, quæ poſt mutatam Religionem à Gebhardo geſta fuerant, deſcenderunt. Quod ſuſpicione & fama mutandæ religionis increſcente, Conſiliarij partium, quæ ad Rhenum ſunt, incommodorum atque calamitatum, quæ ex hoc incepto promanârunt, eum admonuerunt, & ab illo propoſito dehortati ſunt. Truchſeſium verò, vt fuco ſuſpicionem omnem tolleret, ſcripto promiſiſſe; breui ſeſe ex VVeſtphalia ad Rhenum venturum, & detractatoribus calumniatori-

tori-

toribusque, qui iſta confingerent, ora obturaturum. Inde quomodo Bonnam venerit, quid illic egerit, quid à Capitulo admonitus reſponderit, Electorum legatis Bauariani expoſuerunt.

Hinc quid in conuentibus à Capitulo indictis actum, quid propoſitum, quid à Rhenanis, VVeſtphalicis & Veſticis, id eſt, Reckelinckhuſenſibus Ordinibus reſponſum: & tandem vnanimi conſenſu decretum ſit, breuiter commemorarunt. Tandem facinora referunt Gebhardi, quàm nefando ſacrilegio, tam in VVeſtphalia, quàm in Rhenano tractu, templa ſpoliauerit: magmentaria ſana, hierothecas, calices, libæa, ceteraque aurea atque argentea vaſa paſſim diripuerit, aras prophanauerit, ſimulachra viuificæ crucis & imagines Sanctorum fregerit, templa magnificentiſſima deuaſtauerit, euerterit, incenderit: Abbatias antiquiſſimas à maximis Principibus fundatas, collegia & monaſteria, pagos inſuper; vicos & nobilium Cōſiliariorumq; caſtella atque ædificia incenderit. Caſtrum auguſtale Brueli, aliasque arces in partibus Rhenanis & VVeſtphalicis, perpetua Archiepiſcoporum Colonienſium hoſpitia, ſpoliauerit: aurea, argenteaque vaſa præceſſorum Archiepiſcoporum, magnorum Principum cimelia ablata, aliò tranſportauerit: & (quod toti Diœceſi irrecuperabilis erat iactura) Archiuum Bonnenſe omnibus Inſtrumentis, literis & ſigillis publicis direptis, miſerè fuerit depopulatus.

Non poſſe, *aiunt*, hæc tam indigna titulo honeſto palliari; imò deliberandum diu non eſſe, quibus nominibus hæc ſint appellanda. nec eſſe credibile, aliquem ſanæ mentis fore, qui hæc defendere, & à ſcelerum natura & nomine velit vindicare. Electori quoq; Colonienſi fidem fieri non poſſe, quempiam Auguſtanæ confeſſionis Ordinum, ſiue ſit Elector, ſiue Princeps, cum Gebhardo de his facinoribus conſentire velle, aut æquo ferre animo poſſe,

reluctante Principe vel Magiſtratu, in ſuam tutelam aſſumat, aut aliquo modo defendat. Oſtendunt legati, hanc pacem purè, abſoluteque ab omnibus Imperij Ordinibus conceptam, definitam, confirmatam & acceptatam eſſe: id quod ſinguli, ſub finem Comitiorum publica voce teſtati ſunt. Quod & in Declaratione repetitum eſt. Cautum etiam diligenter eſſe, ne qua vnquam declaratio, expoſitio, aut aliud quicquam, à quoquam comminiſcatur, quod huic paci contrariari, aut eam poſſet retardare vel impedire. Et ſi quid huiuſmodi, à quopiam introductum fuerit, illud nullius virtutis ſit, vel energiæ. Huius pacis articulos & conditiones, in omnibus poſt 55. annum hucvſque habitis comitijs, confirmata eſſe ſemper, & approbata. Ad hæc nullum Cameræ Imperialis Iudicem, vel Aſſeſſorem admitti, niſi prius iureiurando interpoſito, ſe ſecundum huius pacis præſcriptum, ſententias omnes pronunciaturum. Modernum itaq; Archiepiſcopum Colonienſem Bauarum, nec Ordines patriæ, nec Legatos ipſos dubitare poſſe, quin Cæſarea Maeſt. & ampliſſimum Electorum collegium, hæc Truchſeſij acta, tot ſolennibus ſuis iuramentis, tot conſtitutionibus Imperij, Prouinciæ concordatis, & paci religioni datę repugnantia execrabuntur, explodent, vindicabūt. præſertim cum id ad ſalutem Imperij, Eccleſiaſticam & ciuilem tranquillitatem, infinitarumque calamitatum auerſionem, plurimum momenti ſit allaturum.

Patet §. Vnd nach dem.

Patet in §. Vnd alles ſoll.

Deinceps Legati Bauariani ad nouam electionem defendendam progreſſi ſunt: oſtendentes Capitulum in ea inſtituenda non peccaſſe, ſed quod ius ſuum erat feciſſe: & quem elegerunt, legitimum Archipræſulem eſſe. Truchſeſium enim, præterquam quod ſeipſum hac dignitate ſpoliauerit, indignumque reddiderit, etiam declaratoria ſententia, eius Magiſtratus aut iudicis, ad cuius tribunal hoc ſpectabat, & qui in Imperio adhuc agno-

Nouæ Electionis defenſio.

Digitized by Google

ſcitur, priuatum eſſe. Huius quoque Magiſtratus ſingulari mandato Capitulum ad electionem veniſſe: eamque Cæſareæ Maieſtati non diſplicuiſſe; Huc accedere, quod electionis articulus, & concordata prouinciæ hanc etiam poſtulabant: pax Religioni conceſſa hoc iure ſuo Capitulum nunquam ſpoliauerat, ſed etiamnum id illi benignè permittat. Neminem itaque hoc factum Capituli improbare, neminem iure calumniari poſſe.

Proinde nec præſentem Archiepiſcopum ſurreptitium eſſe, nec illegitimè intruſum. Hunc enim vtriuſque ordinis, Eccleſiaſtici & ciuilis Monarchas, verum Archiepiſcopum agnoſcere: hunc multos Electores & Imperij Principes, pro eodem habere & æſtimare. Huic denique Diœceſeos Ordines omnes, Comites, Nobiles & Oppida, tanquam legitimo & indubitato Principi ſuo, fidelitatis iuramentum libenter præſtitiſſe, ijs locis exceptis, quæ Truchſeſius armata adhuc manu occupabat.

Nec nouum eſſe, nec inauditum, non tantum Colonienſis, ſed & aliarum Diœceſeon Ordines, ſummos ſuos Magiſtratus vel Principes ob cauſas reieciſſe, alioſque ſurrogaſſe. Id ſępius factum eſſe, tam noſtra, quam patrum noſtrorum memoria. Huius rei exempla non deeſſe. Reiectos quoque & priuatos, amplius pro Archiepiſcopis aut Electoribus habitos non fuiſſe.

Externa auxilia in Imperij fines vocata calumniatur Gebhardus.

Sed calumniabatur Illuſtriſs. Ducem Erneſtum Gebhardus, quod externa auxilia inuocauerat, eaque iam in Sacri Imperij fines duxerat. id contra Imperij conſtitutiones eſſe contendebat. Legati copias externas accitas eſſe quidem fatebantur: Ceterum non eo fine, vt alicui Imperij membro, vel damnum, vel præiudicium ex eo naſcatur. ſed tantum ad recuperandas prouincias ab hoſte occupatas: ad defenſionem ſacræ & prophanę pacis, Articuli electionis, & concordatorum: ad honorem

denique

denique Dei, iura & priuilegia ab hoſtium tyrannide vindicanda. Quod ſi externi Suæ Celſit. non militarent, reſque poſtularet, negari non poſſe, vti omnibus, ſic & Archiepiſcopo Colonienſi licitum eſſe, in iuſtis cauſis opem implorare. Sed & controuerti poſſe, an Burgundi extranei ſint: manifeſtum enim eſſe à multis ſeculis Archiepiſcopos, & Epiſcopos eorum ope vſos eſſe. Liquidò etiam conſtare, ElectoresColonienſes cum domo Burgūdica, vt amica & vicina Imperij olim fœdus pepegiſſe: in eo definitum, ſi vna pars laboraret, quantis equitum peditumque copijs altera ſubueniret: vt nihil interim dicatur, de pacto inter Imperium & inferioris Germaniæ ditiones anno 48. poſt milleſimum quingenteſimum ſancito.

Tandem quod Truchſeſius offerat, ſi in poſſeſſionem & adminiſtrationem priſtinam reſtituatur, ſeipſum Imperatoris, Electorumque tribunali ſiſtere, eorumque iudicio & ſententiæ parere velle; id ſubdolum eſſe, aiunt, & vafri hominis commentum: in cauſa enim definita & determinata, nouas deciſiones quærere, vel ſtulti hominis eſſe, vel contentioſi. Cauſam autem inter Bauarum & Truchſeſium, etiam nemine iudicante, ipſa iura ſcripta, canonica & ciuilia, ipſam Truchſeſio mutatam religionem, tot perfida illius acta, patriæ concordata, & articulum electionis, conditiones pacis Auguſtæ Religioni conceſſæ, definiuiſſe. Hæc inſuper omnia, Cæſaris declarationem, & Ordinum Diœceſeos ſententiam ſubſecutam eſſe. Non itaque iam noua iudicia, non nouas diſcuſſiones aut ſententias expectandas: ſed ſolam executionis accelerationem (præſertim cum Regalia nunquam habuerit Truchſeſius) ſupereſſe: cui qui obedire nolit, iuxta eiuſdem executionis præſcriptum, Declarationi in comitijs inſertum, hunc totius Imperij proſcriptioni ſubiacere.

Diſcuſſa in hunc modum & defenſa Bauari cau-

ſa, Legati tandem ad generalem concluſionem, & poſtulata Principis ſui deſcenderunt. Poſtulabant autem hæc: Initio vt Electores & Principes Imperij omnes (id quod iam ante nonnulli fecerant,) modernum Archiepiſcopum Colonienſem Bauarum, verum ac legitimum eius ſedis Archipræſulem, & Electoralis Collegij membrum, amplectantur & agnoſcant. Truchſeſium pro iuſtè priuato habeant: contra illum, illiusque complices illi opem ferant: Eccleſiaſticam, & politicam pacem per Imperium conſeruent, Concordata Diœceſeos Colon. defendant, vt miles Truchſeſianus è VVeſtphalia & tractu Rhenano profligatur: vt oppida, pagi, caſtra, vectigalia, quæ etiamnum Truchſeſius violenter occupabat, reſtituantur, eorumq; ciues, & incolæ Bauaro fidelitatis præſtent iuramentum, opéq; ferant. Denique Truchſeſium, ad eorum quæ ex caſtris diuerſis, & maximè Archiuo rapuerat, tormentorũ etiam, aliorumq; belli apparatuũ, totiuſq; damni vtriuſq; ordinis per Diœceſin ſubditis illati, reſtitutionem cogant. Hæc ſi fecerint Electores, promittũt Legati maximam laudem, plurimaq; commoda ex his Imperio acceſſura. quæ ſi negligantur, fore vt ianua ipſis infernalibus Furijs aperiatur, & ſceleratis quibusq; ſimilia quoq; audendi, mens & occaſio detur: ex quo tandem totius Rom. Imperij ruina, atq; interitus conſequeretur.

Poſtquam verò Electorum Legati vtrinq; rationes & argumenta audiuiſſent, iuſtaq; trutina ponderaſſent, inuenerunt Bauari cauſam iuri, conſuetudinibus, conſtitutionibus, & rationi multò magis, quam Truchſeſij conſentaneas: nec his ſaluis Bauarum deſtitui, aut Gebhardum reſtitui poſſe. tamen vt aliquid Gebhardo indulgeretur, quo vel ſic extremæ prouinciarum deſolationi occurreretur, itinerumque difficultates, & nauigationis impedimentum tolleretur. Treuirenſis, Saxonis, & Brandenburgenſis Elect. Legati, ſe modum, viamq;

pacis

pacis componendæ inuenire poſſe putauerũt. Erat autem hæc: Truchſeſius, ne ſacroſancta iura, ne prophanæ vel Eccleſiaſticæ Pacis condiciones, ne laudabiles Imperij deciſiones violentur, arma deponat, Archiepiſcopatui cedat, & Bauaro locum det. At ne ſupremum ius in eum vſurpetur, habeatq; vnde ſe, ſuosq; ſecundum dignitatem ſuam alere poſſit, Bauarus ei certam penſitationem annuatim ex Vectigalibus & Oblationibus Diœceſeos numeraret. Hęc ipſis vt æquiſſima conditio viſa eſt, ſperabantque ſe ſua interpoſita auctoritate, vtramq; partem, vt in hanc conſentirent, inducere poſſe. Propoſita eſt itaque primo Truchſeſij legatis: qui re intellecta ſe eam Principi ſuo fideliter relaturos, diligenterque adlaboraturos, vt eum in hanc condicionem acceptandam pellicerent, promiſerunt. Impetrataq; venia, ad Gebhàrdũ profecti ſunt. Interea dum illorum expectatur reditus, Salentinus Comes Iſenburgicus Francofurto Herbipolim profectus eſt, ad ſalutãdum Iulium, eiuſdem Diœceſeos Epiſcopum, & Franconiæ Ducem, Principem eruditione, prudentia & pietate nulli ſecundum, qui inter alia multa ornamenta quibus Diœceſin magnificentiſſimè affecit: hoc etiam addit, vt poſt mortẽ copioſiſſimã, & exquiſitiſſimis libris inſtructiſsimam bibliothecam relinquat. Inde Salentinus Aſcaffenburgum, vbi Electores Moguntinenſes auguſtale Palatium habent, cõtendit:: Archiepiſcopumq; Moguntin. VVolphangum inuiſit.

Belgarum Ordines anguſtijs vndique obruentibus, alios iterum diuerſis ex Prouinnçijs legatos mittunt, inter eos Iunium quendam, & Belgam alium, à Regina (vt dicebatur Angliæ) huc amandatum: qui communibus votis opem Caſimiri implorabant, ſed exhauſto ærario Belgico, quo nihil in bello neruoſius, memor vltimæ ſuæ expeditionis Caſimirus, auxilium ipſis denegauit.

Dux igitur Caſimirus poſtquam intellexiſſet non-

nonnullos è ſuis mandato Cæſareo parere volentes, de abitu cogitare: iterum ſcribit Gebhardo.

Literæ Caſimiri ad Gebhardũ.

Se quidem arbitratum fuiſſe, quod milites ſui quatuordecim diebus poſtulationi meritorum ſtipendiorum ſuperſediſſent, vt, quid interea Francofurti decerneretur, palam fieret. Verum eodem, quo priores literas miſerat, die, ſecundò ad eum veniſſe, dicentes, ſibi ſuboluiſſe, Ducem, reliquosq́; præfectos à Cæſare ſub pœna proſcriptionis reuocari: eſſe inter illos Steinium & Fredericum à Bern, qui Cæſari parere vellent. Ducem ſuum promittendi reum eſſe, ſe antequam diſcedant de ſolutione certos eſſe velle; modum itaq;, viamq́; ad eam perueniendi quæſitum veniſſe: Sibi igitur his audiis decretum eſſe, ait Caſimirus, *cum eo in loco vbi nunc caſtra habebat, neq; commeatus, neq; pabulum ſufficiens eſſet, caſtra (amotis ijs qui miſſionem flagitarent) in Weſtphaliam mouere. Petere itaq; ſe à Truchſeſio, vt primo quoq; tempore promiſſam pecuniæ ſummam repræſentet: maturèq; deliberet, quid de exercitu fieri velit: diutiusne retinendus, an ſacramento abſoluendus & dimittendus eſſet, vbi deliberauerit, tempori perſcribat, vt quid agendum ſit non ignoraret. Sibi enim aliud remedium modo non occurrere. hoc etiam affinis ſui Iohannis Naſſouij conſilium eſſe. Hæc ſe Gebhardo ſignificare voluiſſe, eiusq; reſponſum propediem expectare.*

Ne autem hoſti conſtaret quò exercitum ducere decreuiſſet, notis quibuſdam vſus eſt. *Fieri, inquit, poteſt, vt caſtra hinc aliò per 54.26.23.19. tranſportem.*

Eodem die quo ad Gebhardum has literas miſit Caſimirus, Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Elector, & Caſimiri frater, hora pomeridiana quarta, relicto filiolo minorenni, naturæ conceſſit. Alenconio Gallo à Belgis repudiato, vnicus hic erat, dum viueret, Gebhardi Achilles: in hoc vno ſpes omnis illi erat propoſita. Nemo enim Principum maiori cum zelo cauſam Gebhardi promotam cupiebat. Quid tunc animi Gebhardo fuiſſe putas? Neruus belli deficiebat, Caſimirus abitum parabat, Cæſar ſuos proſcripſerat, hoſtis victor exultabat,

bat, ipſe vbique Marte infauſto pugnabat: tandem qui omnibus his malis medicam manum apponere potuiſſet, è viuis migrat. Verè de ſeipſo exclamare potuiſſet:

O nimium infelix, cui totus hic obſtrepit æther,
Et contra veniunt aduerſi claſſica venti.

Palatinus verò Elector in extremis conſtitutus, filiolo ſuo tutores reliquit, cognatum ſuum Richardum, Ducem Zimmerenſem, VVilhelmum Landtgrauium Haſſiæ. Paulò ante in gratiam Truchſeſij in Mulhauſen conuentus eius nomine indictus erat. aut ſi propter morborum contagia illic oportunum non eſſet, Electores & Principes 28. Octobris Erfordiæ conuenirent: ſed morte præuento Imperij Vicario Ludouico, irrita fuit huius conuentus indictio.

Caſimiriani igitur tantis difficultatibus circumuenti, de nocte caſtra reliquerunt, gregatimque vnde venerant reuerſi ſunt. eos ſequenti die Octob. 10. manè hora quinta Caſimirus relicto Erenſteinio ſubſecutus eſt. de quo quidam chronographicum hunc verſum cecinit, non inconcinnè:

Vt LIbra ſpeCIes tenebras æqVarat eoIs,
ECCe Verens VbIos hInC CasIMIrVs abIt.

Tam incertus belli eſt euentus: ita magni ſpiritus interdum reprimuntur, qui quaſi leo paulò ante in campis rugiebat, minasque terribiles ſpirabat, tanquam omnia deuoraturus, ſuoque Imperio ſubiecturus, hoſtium viribus fractus, rerumq; neceſſariarum inopia domitus, nunc ceruo timidior, fugaciorque caſtra ſoluit, campos deſerit, latebras quærit, & ad ſua reuertitur.

Non poſſum hic præterire, id quod in hac fuga Gallis & Gaſconibus contigit: qui cum Angria diſcederent, & Bauarianos celerrimè inſequi viderent, metu correpti ad ſacellum aliquot forte fortuna obuium ſe receperunt: obiectiſque foribus, in eo ſe aliquamdiu defenderunt. Bauariani verò inie-

iniecto igne,ſacellum incendunt, & hoſtes qui intus erant,vnà cum tecto comburunt, paucis elapſis,qui in ſuga occiſi ſunt.Hoc loco iuſtumDei iudicium eſt notandum,qui quo quis peccat, eodem & peccantem punit: qui enim celeberrimum ſimul & antiquiſſimum illud monaſterium Tuitienſe,& preter hoc alia quam plurima templa,igne depopulati ſunt,ſacro etiam nunc igne abſumūtur.

Octob. 17. Heroldus interim Cæſareus Coloniam venit: atque illinc ad Comitem Adolphum Nuenarium deſcendit, ei quoque proſcriptionem denuncians, ſi parere, & arma deponere non velit. Cui Nuenarius coram pollicitus eſſe dicitur,ſe Cæſari obſecuturum, poſtea tamen à Gebhardo aliter perſuaſus,ſententiam mutauit. Circa idem tempus copiæ aliquot Caſimirianæ vi ruſticorum ſtationes perrumpunt, & magnis itineribus in VVeſtphaliam contendunt, ſtipendium à Gebhardo poſtulaturæ; quod, quia importuniores erant, tandem obtinuerunt,intolerabilibus indictionibus Clero & populo nobilibus & ignobilibus impetratis. Comes Arenbergius poſtquam magna cum laude Caſimirum inſecutus erat,multoſq; trucidauerat, tandem reuerſus Confluentiam, ab Electore Treuirenſi ſplendido conuiuio exceptus eſt, cui quoque conuiuio Illuſtriſſimus Bauariæ Dux Ferdinandus,Marchio Badenſis, qui proprijs ſtipendijs Nouo Electo cum ſelectiſſimis copijs militatum paulò ante aduenerat, interfuerunt: atque poſt grauem honeſtámque hilaritatem, Deo immortali gratias pro parta victoria,& patriæ ſalute agentes, tandem in ſumma amicitia diſceſſerunt.

Poſtridie exercitus Arenburgicus relictis pagis Rettich & Erwich Confluentiam, inde Andernacum ſe mouit, hoſte partim armis, partim fame pulſo.

Caſimirus verò poſtquam equitibus ſingulis tres florenos dediſſet, tres quoque breui, inſuper

& in futuris nundinis Francofordienſibus dimidium menſtruum ſe daturum promiſiſſet, poſitis ſignis tandem Heidelbergam venit. Bauariani hoſte hoc ſublato, Bonnam arctius obſederunt, & ne hoſtem à tergo relinquerent, etiam de arce Poppelsdorff expugnando conſilium haberi cœpit. Magna iam in vrbe lætitia, magna erat inter Catholicos ſecuritas, niſi eam Iudęus ille, Paſtor Indulgentiarum, de quo ſupra egimus, interturbaſſet. is enim ſuperioribus diebus 6. ſcilicet Octobris in publica concione, & frequentiſſimo auditorio in piũ Eccleſiæ Imaginum vſum inuehi cœpit. Is enim apud Colonienſes qui & apud plurimas, imò omnes Catholicas nationes, mos eſt; vt quibuſdam anni feſtiuitatibus, in publicis ſupplicationibus, Diuorum tutelarium imagines, tenſis ſuperimpoſitę circumferãtur: hinc vſum ſardonicè potius quàm Eccleſiaſticè reprehendebat: inter alia exclamans. *Octobr. 19.*

Welcher Teuffel hatt vns hie zu Cölln ſo andächtig gemacht/das ein jeder muß ſeinen Nütelöriß haben/ vnd vmbtragen.

Id eſt: quis Dæmonum nos Colonienſes tam religioſos, vel pios reddidit, vt vnuſquiſque ſuum velit habere morionem, eumque circumgeſtare? Vehementer hæc concio Catholicas aures offendit, ſtatimque querelæ ad Archiepiſcopum & Magiſtratum delatæ ſunt. Quinetiam Anonymus quidam ad Paſtorem è veſtigio literas dedit, in qua eum mordaciter ſatis reprehendit. Paſtor ſcire geſtiens, quis harum literarum eſſet auctor, diuerſas in partes animum diuidebat; multumq; ſe torquebat. Tandem cum nihil certi ſeſe offerret, arrepta ſuſpicione ad Eximium Theologiæ Doctorem Iacobum Horſtium, tanquam iſtius reprehenſionis Auctorem (cum minimè eſſet) literas inuectiuas ſcripſit; quibus ſe tueri voluit; ſatis arroganter, ſuam in Theologia ſcientiam prædicans, iſthac ſub epiſtolæ finem clauſula addita:

Quia

Digitized by Google

Quia verò earum literarum puto te eſſe authorem. Age dic liberè, an eas ad me miſeris. Efficiam vt intelligas quantum in rebus Theologicis mihi ſit iudicij, & quantum tu inſanias. Vale.

Horſtius verò, qui etſi ſchiſmaticam ipſius parœmiam non approbaret: tamen, quia nec in concione fuerat, nec literarum auctor erat, modeſtè ſe excuſauit, & Stephano quæ de hac concione fama vulgi erat, quidque ipſe de ea ſentiret, breui hoc quod ſequitur ſcripto, demonſtrauit.

Miror vehementer, cur tanto ſupercilio vſus ad me ſcribas, cui nihil planè conſtat de literis iſtis, quarum mentionem facis. Tantumq́; abeſt, vt illarum ſim conſcius, ne dum author, vt quamvis multa de tua heſterna concione in vulgus ſpargantur, quæ Catholicos omnes grauiſſimè offendunt, tamen de reliquijs Sanctorum quippiam dictum fuiſſe nihil audiuerim, vel mihi in mentem venerit. Interim quia in rebus theologicis multum iudicij tibi tribuis, ſcribisq́; te daturum operam vt hoc ipſum intelligam, ſi res ita ferat, non poſſum diſſimulare, aut præterire ea, quæ pro concione à te dicta eſſe, certa aliorum relatione cognoui. Præſertim quia occaſionem mihi præbes, & quodammodo tuis literis prouocas. Sunt enim huiuſmodi, quæ rerum quidem theologicarum imperitiam, tuæ verò perſonæ imprudentiam vel temeritatem declarant, qui hoc periculoſo tempore veteres Eccleſiarum, vel Chriſtianorum pias conſuetudines, cum riſu Auditorum proſcindens, rebus nouis ſtudere videris. An ſatis Theologicum ſit atq; Catholicum, imaginum vſum hiſtoricum tantum eſſe, alium autem vſum omnem cultumq́; illegitimum ac reprehenſibilem, atq́; cum expreſſa ſcriptura Deiq́; mandato pugnare, quod Sanctorum imagines pictas, vel ſtatuas veneremur, atq́; ante eas procumbamus, aut ſolenni pompa circumferamus. Sic enim aiunt te pro concione dixiſſe, horrendum eſſe ac Diabolicum vel ſuperſtitioſum, vel cum iniuria Dei coniunctum, ac contra Apoſtolorum inſtitutionem, ſtatuas circumferre, illisq́; reuerentiam exhibere. Welcher Teuffel/ꝛc. (his enim verbis vſus eſſe diceris) *Ergone ſtatuæ Sanctorum hoc nomine dignæ tibi*

eſſe

eſſe videntur? Vſus es etiam inter cætera Caluini argumenta, ex Epiphanij exemplo deducto, ac falso allegato, quod ab hæreticis illi epiſtolæ, ad Ioannem Hieroſolymitanum, aſſutum eſt, ſæpiusq; à Catholicis refutatum. Siccine ad hæreticorum caſtra confugis, vt ab ijs præſidium petas ad religionem Catholicam oppugnandam? Nam certè, meo iudicio, hæreticæ iſtæ propoſitiones ſunt, & ab Eccleſia damnatæ, non tantum in Concilio Tridentino, ſed etiam ante annos 700. in ſeptima generali Synodo Nicæna ſecunda, contra Iconomachos celebrata. Itaq; rogo te per amorem Chriſti Ieſu, perque ſalutem tuam, & huius Reip. Colonienſis, abſtineas ab eiuſmodi ſeditioſa docendi, concionandiq; ratione, tuoq; honori conſulas & parcas, Vale.

Archiepiſcopus verò cognita prius per ſuos cauſa, Stephanum à concionandi munere ſuſpendit; miſſa illi hac denunciatione.

De mandato expreſſo Sereniſſimi ac Reuerendiſſimi Domini, D. Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis interdicitur Domino Stephano Iſaac, Paſtori Parochialis Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Indulgentijs, ſub pœna inobedientiæ, contumaciæ ac ſuſpenſionis, imò priuationis beneficiorum, ne concionetur (prout mandatum prius) donec, & quouſq; dicto Reuerendiſſimo legitimo ſuo Ordinario ac Iudice, ſeſe ſuper ijs de quibus accuſatus & delatus, prout & ex communicatione Commiſſariorum cum ipſo habita conſtat, legitimè ac ſufficienter purgauerit. Signatum 19. Octob. 1583.

Poſtero die, qui erat Dominicus, frequens rurſus turba eorum, quorum aures ad audienda ſchiſmatica pruriunt, ad Paſtoris huius parœciam confluxit, cui ſe quam plurimi alij, nouitatis ſtudioſi, adiunxerunt, horam conſtitutam auidiſſimis animis expectantes.

Prudentiſſimus verò Senatus Colonienſis omnia Reipub. in tranquillitate, & æquitate retinendæ adiumenta inquirens, hanc inquietorum hominum petulantiam, linguarumque libertatem, ne latius ſerperet, coërcere volens hoc edictum iubet diuulgari. *Ad Senatum ſcilicet Colonienſem rela-*

latum eſſe, quoſdam ſeditioſos homines, ſuperiori die Dominico, in parochiali Eccleſia B. Mariæ, quæ ad Indulgentias nuncupatur, murmuraſſe & verba minarum plena iactitaſſe; eò quod Paſtori eiuſdem Eccleſiæ concionandi munus ab Eccleſiaſtico Magiſtratu eſſet interdictum. Scire quidem Senatum Colonienſem, quod Politicum Magiſtratum deceat Eccleſiaſticas perſonas Canonibus & Eccleſiaſtico iuri corrigendas iudicandasq; permittere. Eum ob cauſam Senatum ſtrictiſſimè mandare, vt quilibet huius ciuitatis incola, tranquillè, pacificè ac modeſtè ſe gerat: neq; ob dictam cauſam, neq; ob eam, quod Paſtor ille vſq; ad reconciliationem ſuam à concionibus obediens feriatur, aliquam cuiuscunq; ſit ordinis aut condicionis, verbo aut facto, vel in prædicto loco, vel alibi lædat, aut iniurietur, ſi quis deliquerit, eum ex præſcripto literarum fœderis caſtigandum, & mulctandum eſſe. Proxima dominica hora concionis Senatus omnes milites paratos eſſe iuſſit, & Magiſtros violentiarum ad locum miſit, vt compeſcerent inſolentes, ſed tranquilli fuerunt.

Carolus Truchſeſius, toties nunc à Cæſare admonitus, nihil minùs ſibi faciendum duxit, quam quod depoſitis armis Bonnam deſereret; & fratris cauſam non proſequeretur. Non ignorans itaque iam iam cum hoſte ſibi rem fore, omnem operam in muniendo oppido collocauit. Salentinus verò Iſenburgicus copias ſuas propius ad oppidum Bonnenſe admouit: ea intentione, vt arcem Poppelsdorffenſem, quæ in conſpectu eſt, & à Truchſeſianis occupabatur, prius expugnaret, ne eruptiones in caſtra Bauariana facerent, oppido iam obſeſſo.

Eodem quoq; die Illuſtriſſimus vtriuſq; Bauariæ Dux Ferdinandus tertio genitus (primogenitus enim Carolus immatura morte obijt) Sanctiſſimi & Clariſſimi Principis Alberti, qui in medijs flammis hæreticorum ſuas ditiones ſemper ab omni hæreſeos incendio vindicauit, filius; fratri ſuo Erneſto recens Electo Archiepiſcopo auxiliaturus aduenit. qui quàm gratus fratri fuerit, vel ex eo liquet,

quet, quod ſtatim Imperatorem exercitus illũ creauit: Principẽ ſanè magni animi & in bello felicẽ.

Ijſdem penè temporibus Sereniſſimus Poloniæ Rex Stephanus, ſtrenuus Catholicę religionis propugnator, obedientiſſimuſque Eccleſiæ Romanæ filius, per literas Reuerendiſſimo atque Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Colonienſi Erneſto gratulatus eſt, opemque & auxilium ſuum (ſi petatur) detulit: maximè ſi Germaniæ Principes Gebhardi partem ſectari velint, eiuſque iniquam cauſam defendere pergant.

Heroldus verò Cæſareus peractis omnibus, quæ ei demandata erant, Colonia Bruelam profectus eſt, atq; inde paulò poſt ad aulam Cæſaris reuertitur. Caſimirus autem poſtquam Heidelbergæ aliquam moram traxiſſet, ſeſeq; ex itinere, belliq; difficultatibus debilitatum nonnihil refocillaſſet, fraternas manes ritè condi, ipſiſq; magnificentiſſimas exequias inſtitui procurauit. Cui rei dum ipſe intentus eſt, milites eius vulneribus liuidi, frigore tabefacti, fameq; & penuria enecti Francofurtum veniunt, inde ad lares ſuos reuerſuri. Primò quidem die pauci, ſed poſtridie magnis copijs affluebant: qui concurſus dies continuos quinq; perdurauit. Inter eos erat & Marchio Badenſis, qui eo die Francofurti pernoctauit. Poſtridie quoque Comes in Thonau cum curru ipſius Caſimiri, & campeſtribus aliquot machinis, quibus reportandis ipſe erat Præfectus, aduenit. Gaſconibus verò qui reſidui erant, miſſio non niſi poſt omnes alios data eſt. timebant enim Tribuni, ſi ipſi vnà cum Germanis dimitterentur, facilè diſſidium inter has nationes exoriri poſſe. Gaſcones iam dimiſſi, neque ſigna militaria, neque arma ponere voluerunt: ſed in ordine ſibi vſitato, cum omnibus belli cæremonijs 25. Octobris Francofurdienſium finibus appropinquarunt: atque hic ſubſiſtentes ſeſe in quatuor viciniores pagos diffuderunt. quorum quartus

Octob. 23.

Octob. 24.

Octob. 25.

BELLI COLONIENSIS

Liber Quartus.

IN QVO CONTINENTVR EA QVÆ *ab anni Tropici Correctione vsq; ad expeditionem VVeſtphalicam acta ſunt.*

DE anni Tropici vera quantitate, magna inter Mathematicos noſtra, noſtrorumq; parentum memoria, fuit altercatio. Tropicum annum vocamus ſpacium illud temporis, quo Sol ab aliquo Solſtitiorũ vel Aequinoctialium puncto digreſſus, totumque Zodiacum perambulans, ad idem punctum reuertitur. Huius anni dimenſionem, ceteris omnibus tam Aegyptiorum quam Hebræorum, qui Lunæ curſu tempora ſua circumſcribebant, calculis reiectis, Iulius Cæſar primus Romanis tradidit: ſingulis annis dies 365. tribuens. Ceterum reuoluto anno, cum Sol nondum punctum illud, vnde exceſſerat prius, attingeret: ſed horæ propemodum ſex, vel quadrans ferè diei reſtaret, ſingulis quartis annis diem vnum intercalari iuſſit, vt vel tunc ſaltem in initio quinti idem punctum Sol obtineret.

Hunc vſum tanquam faciliorem & veriorem, poſtea Eccleſia Romana ſemper obſeruauit. Sciebant tamen veteres, intercalatione iſtius diei, nondum annum adæquatum Soli eſſe, ſed quia minima

erat diſtantia, illam contempſerunt. Temporis verò diuturnitate, error is initio paruus, qui paucis annis vix animaduerti potuit, magnas peperit incommoditates. Quare & tempore Concilij Niceni ſub Syluestro celebrati, Patres huic malo medẽdo animum adiecerunt. Inuẽtus eſt Dionyſius Abbas, qui edito faſtorũ libello, medicam manum appoſuit. Sed eius doctrina paucis admodum annis ſufficiebat. Poſt ea cura penitus eſt neglecta, donec tandem tot, tantaq; inconuenientia ſubſecuta ſunt, vt lippis & tonſoribus fierent manifeſta.

Nam ſi quotannis 365. dies & 5. horas conſtituas, deerunt minuta 49. prima, & 16. ſecunda: ſi ſex horas diebus 365. addideris, ſupererunt minuta prima 11. & ſecunda 46. quæ vltra punctum, vnde anno præcedenti digrediebatur, Solem prætergreſſum conſiderabis. Hæc exigua minutorum quantitas, cui & Solis eccentricitas, & Apogæi mobilitas accedunt, id iam multis ſæculis effecit, vt introitus ſolis in dodecatemoria continuè variaretur. Solſtitia quoque & Aequinoctia quotannis, in alia, atq; alia tempora inciderent. adeò vt Solſtitium hyemale, quod tempore natiuitatis Chriſti 25. Decembr. erat nunc in duodecimum diem caderet. Ex hoc errore neglecto, id reliquum erat: vt tandem Hibernis menſibus luxuriantes herbas, & ridentia prata: in Vernalibus, maturos fructus: in Aeſtiuis emortuas ſyluas & montes niuibus aſperſos vidiſſemus. Imò quod omnium nobis Chriſtianis turpiſſimum ignominioſiſſimumque fuiſſet, Paſchatis feſtum Aequinoctio Vernali quaſi alligatum, tandem in natalem Domini coincidiſſet. Obſeruârunt hunc anni defectum ante aliquot ſecula viri graues & docti, ſed non emendârunt, aut emendare potuerunt. Ante annos circiter 49. Romanus Pontifex Ioannem Regiomontanum, inſignem Mathematicum in vrbem vocauit, vt faſtos corrigeret, veramq; & ſtabilem quandam anni rationem iniret,

ret.at illo morte præuento,res hucvſque manſit infecta.Scripſit poſt eum hac de re librum Albertus Pigius Campenſis,Pariſijs olim impreſſum : & ingens volumen Paulus Mittelburgenſis Epiſcopus Foroſempronienſis,quod Maximiliano Imperatori dedicauit. Tandem Gregorius huius nominis XIII.Pontifex verè ſanctiſſimus,vt alijs quam plurimis beneficijs,quæ in Eccleſiam Chriſti contulit, id etiam accederet,huic malo mederi voluit.Euocatis igitur vndique doctiſsimis Mathematicis, propoſito præmio,eos ad anni correctionem inuitauit. Sed nec inter eos omninò conuenit. Iunctinus enim vndecim dies ſemel ex anno reijciendos, atque deinde ſingulis 130. annis diem vnum adimendum aſſerit.Albertus Leoninus Vltraiectenſis Matheſeos non vulgariter eruditus,cum quo mihi aliàs hac de re ſermo fuit,edito de quantitate anni Tropici libello, vndecim dierum abiectionem probat,ſed poſt 150.demùm annos,diem vnum eximendum ſuſtinet.

Vterq; non malè,Alij alios modos excogitârunt. Sed cum ſpiritui ſancto,& Eccleſiæ placuerit, decem tantum dies ſemel àbijcere, & tribus proximis centeſimis annis, qui omnes intercalares eſſe ſolent,diem non intercalare, quarto verò centeſimo,qui erit 2000. iterum diem interponere,idque id ſubſequentibus annis eodem modo perpetuò obſeruari,nos ſine religione hunc ordinem improbare non poſſumus : Præſertim cum omnium opiniones,vel in idem recedant,vel exiguo diſtent interuallo. Hoc itaque Beatiſſimi Pontificis beneficio, id conſecuti ſumus, vt perpetuis deinceps temporibus, eo ipſo die Aequinoctium vernale ſimus habituri, quo fuit tempore Concilij Nicæni: Martij nimirum vigeſimo primo. Contigit hæc temporis emendatio, anno poſt natum Chriſtum 1582. quique hanc rationem primo anno amplexi ſunt, à 4. Octobris, decem diebus omiſſis

Anno 1582 ad 15. tranſilierunt. Itali, Hiſpani, Galli, ceterique occidentaliores populi, hoc inſtitutum ſtatim approbârunt.

Fecerunt idem Flandri, Brabantini, Hollandi, & aliæ quædam Belgicæ Prouinciæ, non vt Pontifici parerent, ſed vt perſonato ſuo Duci Gallo placerent. Vltraiectenſes noſtri, cum quibuſdam alijs, vicinos ſecuti non ſunt, qui vtinam in alijs potius antiquitatis fuiſſent obſeruantiores. In Germania quoque tum ob alias cauſas, tum etiam ob belli Colonienſis difficultates, primo anno hæc Calendarij emendatio non potuit obſeruari. Hoc igitur anno 83. iuſſu Imperatoris Ordines nonnulli, præſertim Catholici, hunc anni calculum ſequendum eſſe ſtatuerunt, qui cum ipſa natura, cœlique motu atteſtante iuſtiſſimus atque æquiſſimus ſit, mirum eſt, homines tam perfracti animi inueniri, qui hunc audeant impugnare, non tam quod naturæ atque rationi conſentaneus non ſit, quàm quod à Pontifice Romano profectus: patrem ſuum imitati, qui in Paſchatis feſto Sanctam Euchariſtiam ſumere, non malum quidem eſſe dicebat, ſed quia Pontificij id facerent, potius non faciendum ſuadebat. *Lutherus.*

Illuſtriſs. verò & Sereniſsimus Bauariæ Dux Erneſtus, recens Electus Archiepiſcopus Colonienſis, Eccleſiam ſuam ad prę́ſcriptum Romanę, tanquam Prototypi per omnia conformare volens, huius anni menſe Nouembri (neque enim in Octobri propter belli molem commodè fieri potuit) ad Pontificis voluntati ſatisfaciendum animum adiecit, & Calendarium, induſtria Henrici Scorenburgij, Medicinæ Profeſſoris, amici, & in Mathematicis Magiſtri mei, in meliorem formam redegit, atque à ſecundo die, reiectis decem intermedijs, mox ad decimum tertium (quo die feſtum Martini celebratum eſt) tranſilire mandauit. Idem quoque ampliſſimus Vrbis Senatus, edito mãdato, ſecutus eſt.

Hæc

Hæc ideò copioſius referre voluimus, cùm vt Beatiſſimi Pontificis Rom. pium æquumque in hac re ſtudium conſtaret, tum etiam vt Lector admoneretur, nos hactenus in temporum ſupputationibus ſtylum ſcribendi antiquum ſecutos eſſe: deinceps verò nouum, quem Gregorianum vocant, ſecuturos.

Continuabatur adhuc celebris Francoſurtius conuentus, in quo ſummis omnium qui intererant votis, Truchſeſij reſponſum expectabatur. Sed tam diu pertractum fuit, tantaſq; moras Legati Truchſeſiani fecerunt, vt Bauariani penè de illorum reditu deſperârint, & ad Principem ſuum ſcripſerint, an eos redire velit, an diutius expectare. Tandem ſexto Noue. Comes de VVitgenſtein, & Doct. Suartz quibus ad Truchſeſium legatio data erat, cum reſponſo Francofurtum reuerſi ſunt. Nihil eo die actum eſt: ſed poſtridie in pleno conuentu, quæ in mandatis habebant Truchſeſiani retulerunt. Summa autē eorum hæc erat: Truchſeſium VVeſtphalicos, Angaricosque Ordines pridem conuocaſſe: eiſque fideliter expoſuiſſe, quidquid in illam vſque horam vltro citroque actum ac ventilatum erat. Illos autem de nouo decreuiſſe, ac reſpondiſſe: nullum ſe alium Principem agnoſcere vel recipere velle, quam Truchſeſium, quam diu ipſe viueret. Id eos ſacroſanctè iuraſſe, promiſiſſe, inſuper omnem iniuriam ab eiuſdem ſui Principis capite opibus & ſanguine propulſaturos. Prętereà Truchſeſium iam dudum cum vicinis aliquot Principibus & Comitibus fœdus, idque huius Chriſtiani ſui propoſiti, religioniſque reformationis cauſa, inijſſe. Sine horum autem conſenſu, iſtud eum fœdus violare, aut nouas conditiones accipere non poſſe: horum ſententiæ ſi audiendæ ſint, tempus diuturnum requiri: neq; leuiter metuendum eſſe, eos à pridem contracto fœdere, non receſſuros. Truchſeſium pacis condiciones ab Electorum le-

gatis conceptas,& in medium prolatas approbare, vel acceptare non poſſe: ſed omninò decreuiſſe (cum Ordines vtriuſq; Ducatus Angarię & VVeſtphaliæ eum deſerere nolint,ſed omnem opé ſuam, inſtar fidelium ſubditorum, ipſi offerant:tum etiam quia confœderatos ſuos ipſe offendere nõ poſſit)in Chriſtiano ſuo propoſito conſtanter permanere,& neutiquam à diuinitùs ſibi data dignitate, legitima ſcilicet electione & confirmatione Septemuiratus, Archiepiſcopatusque Colonienſis,cedere,ſibi perſuadere poſſe. Ne itaq; ſubditi,commiſeratione quauis digni, vlterius ab inhumano milite, quo hactenus miſerè vexati erant, perdantur; rogare obnixè Truchſeſium ſuos confratres Coelectores, vt apud Cæſaream inſtent Maieſtatem,quò tandem Bauaro ſuum exercitum exauctorare, & Colonienſium finibus excedere; ſibi verò pacificam & tranquillam adminiſtrationem reddere iubeatur: donec ipſe,tam coram Sua Maieſtate,quàm ceteris Coelectoribus audiatur.

Guilielmi Bauariæ Ducis laus.

Guilielmus vtriuſque Bauariæ Dux, cuius virtutibus omnis laus impar eſt: cui præter maximas patrum ſuorum virtutes,tanta cum animi magnitudine,ineſt humilitas,tanta pietas, tantusque religionis ardor,vt non hominem,ſed angelum diceres incarnatum.Cuius rei clariſsimum teſtimonium perhibent omnes eius ſubditi, & quotquot eius vita eſt perſpecta.Quæ enim opera facit in abſcondito,videt pater cœleſtis:qui quidem laudandus eſt, quod hoc exulceratiſſimo tempore, tanta ſua chariſmata,tantaque ſpiritus ſui dona, non in plebeum quempiam, cui & otium eſt & oportunitas Deo ſeruiendi, pietatiſque operibus ſtudendi: ſed in talem Principem, cui tot circumſtrepũt aulæ officia,tot ſubditorum incumbunt negocia, infudit. Quis non miretur Principem tantis opibus, humilitatis inſidiatricibus beatum, ipſa benignitate benigniorẽ?in tantis delicijs,ipſoq; ætatis flo-

re

re conſtitutum ipſa caſtitate caſtiorem? in medijs mundi fluctibus natantem, nihil magis de mundo, quam pisces de ſale marino, in animo & conſcientia ſua contrahentem? Is igitur tam pius Princeps, partim vt Chriſtiani Magiſtratus officio, cuius eſt religionem defendere, ſatisfaceret: partim vt Fratri ſuo chariſſimo, nouo Electo Colonienſi gratificaretur: non indignum Sua Celſitudo exercitum per Bauariam conſcribi fecerat. Is hoc tempore Monaco, ad diribitorium, quod inter Argentoratum & Nanceum deſignatum erat, ſe mouit: vt habito delectu, ſumma cum celeritate, in Diœceſin Colonienſem contenderet. *Nouemb. 7.*

Cum verò ijs qui Bauariani legationem obibant, ſententia Truchſeſianorum expoſita fuit, eam exploſerunt; omnibus verò modis ſeruandam eſſe pacem anno 1555. religioni Auguſtę Vindelicorum datam contendebāt. tum etiam priorem ſuam reſpōſionem ratam habendam eſſe vrgebant: Truchſeſium nimirum cum iuramenta ſua, toties repetita, tot modis violaſſet, & contra officium dignitatemq; ſuam multoties iam deliquiſſet, ipſo facto ſua functione priuatum eſſe: omniq; iure, quod in Diœceſin habebat, excidiſſe: ſuo itaq; Principi ſtatutum eſſe, Gebhardum (ſi vltrò cedere nolit) vi & armis, alijsq; medijs a Deo ſibi ad defenſionem bonorum datis, Diœceſi, ceteriſq; Ducatibus & Prouincijs ad eā pertinentibus, exturbare atq; eijcere. *Legatorum Bauari reſponſio.*

Saxo & Brandenburgenſis non minus quam Treuirenſis & Moguntinenſis Electores laborabant, vt bellum impediretur, & firma ſtabiliſque inter vtramque partem pax fieret: Truchſeſius Bauaro in adminiſtratione cederet: Bauarus Truchſeſio certam pecuniæ ſummā numeraret. Sed cum prædicti Principes, huius rei periculo iam ſępius fruſtra facto, didiciſſent: animos partiū exulceratiores eſſe quam vt medicinā vllam admitterent, ab incœpto negotio deſiſtere, neutri parti opem ferre, ſed emi-

nus

Nouemb.13. nus belli ſpectatores eſſe voluerunt. Ne tum ipſorum legati, officio ſuo defuiſſe viderentur, quotidie bis, ante meridiano ſcilicet & pomeridiano tempore ad colloquium venerunt. Interim Caſimirus per Palatinatum, adminiſtrator regionis & tutor iunioris Comitis, ex fratre defuncto filij inauguratur. D. quoque Peuterichus cum ſuis Gaſconibus mouit quidem caſtra, ſed non multum promouit, ita vt huc illuc palando, in confinibus maneret, quæ cunctatio ſuſpicionem magnam peperit, ex induſtria id fieri, vt in omnem euentum expeditus miles in procinctu eſſet. Huc accedebat, quod Lazarus Mulierus etiam Francofurti adhuc moram trahebat, tanquam nouum mandatum expectans. Bauariani his ſuſpicionibus nihil permoti, poſtquam iam biduum conſilium captaſſent, prioris ſui reſponſi terminis firmiter inſiſtebant: nihil Gebhardi poſtulata penſi habebant: ea & legibus & Imperij conſtitutioni, æquitati quoque & *Nouemb.15.* rationi repugnare, docebant, nihil in religionis pace ſemel accepta, & tot iam annis approbata mutari poſſe contendebant, ideoque Gebhardum dignitate ſua deſtitui, adminiſtratione priuari, ciuitatibus, caſtris atque adeò omnibus Prouincijs ad Archiepiſcopatum Colonienſem pertinentibus exui debere, idque iuxta præſcriptum Pacis Religioni conceſſæ. Cum itaq; tam ſecularium, quam Eccleſiaſticorum Electorum legati, in obſeruatione Pacis in religionis cauſa Auguſtæ Vindelico- *Nouem. 16.* rum conſtitutæ vnanimiter conſentirent; apertèq; *Exitus conuentus Frãcofurdienſi.* pronunciarent, ſuos Principes nihil in præiudicium iſtius pacis ſtatuere decreuiſſe: concluſum eſt, conuentum dimittendum, nec vlterius in pacificationis negocio procedendum eſſe. Nihil igitur aut parum hoc tam celebri Francofurdienſi colloquio actum eſt. Illuſtriſſimus verò Princeps Erneſtus, cum intelligeret id quod iam dudum animus eius præſagiebat, eueniſſe: omni celeritate bellum pro-

promoueri, arcemque Poppelsdorffenſem arctius obſideri, & ſumma contentione oppugnari iubet. Tandem verò præſidiarij in eam redigebantur anguſtiam, vt ſeſe dedere cogerentur. In hac oppugnatione Comes Princeps Arenbergius ſeſe egregium Imperatorem, & ſtrenuum militem prębuit: nec exiguas laudes nominis ſui celebritati adiecit. Omnia hactenus nouus Electus Colonienſis bonis, felicibuſque auſpicijs agebat, plurimumq; Truchſeſij ſpes extenuata iam erat, penituſque concidiſſet, niſi inſignis illa victoria, qua ante pagum Hulſtanum, eodem ferè tempose potiti ſunt, animos eorum iacentes erexiſſet. Quæ qualis fuerit deinceps dicemus. Aloſtum quod patrio idiomate Hulſt vocant, pagus eſt, ab oppido Muerſenſi mille circiter paſſibus diſtans: caſtro, & duobus monaſterijs clarus. Hunc Comes Alpenſis ad oppidum Kempenſe infeſtandum munierat, impoſitoque CCC. equitum & CCCC. peditum præſidio, quotidie prædas in Diœceſi agebat. Generoſiſſimus verò & Illuſtriſſimus Dux Saxoniæ & Louvvenburgij Fredericus, vt ab hoſtilibus excurſionibus iſtam Diœceſeos oram liberaret, cum ſuo equitatu & peditatu pagum obſedit. Aderat ei Ayta Gandauenſium Præpoſitus, vir in toga clarus, & in armis ſtrenuus, magni iſtius quondam Viglij ex ſorore nepos: Cui nuper ab Archiepiſcopo cuſtodia Cæſaris VVerdenſis erat demandata. Submiſſus eſt Frederico Duci in auxilium Keſſenoy cum lectiſſimis Eburonum cohortibus. Coniunctis itaque viribus Aloſtum prætenturis, valliſque caſtrenſibus cingunt, adeòque coarctant, vt nihil commeatus obſeſſis aduehi poſſet. *Hulſt obſidetur.*

Præſidiarij ſæpius erumpentes, in Frederici Ducis caſtra irruunt, velitationeque facta, nunc victores, nunc victi ad ſuos reuertuntur.

In aliquot ſeptimanas protracta eſt hæc obſidio, iamque commeatus, & cetera neceſſaria deficere incipie-

incipiebant,nec tamen qui in pago erant, aut animis frangebantur, aut quicquam hoſtibus concedebant.Sed & inſuper in eam petulantiam proruperunt, vt claudicantem equum, impoſitis Sanctorum imaginibus,quas ex templis ſuſtulerant,in caſtra Frederici, in ludibrium hoſtium ſuorum, abegerint. Qui verò in caſtris erant, reſeruatis imaginibus,& in earum loco patibulo erecto, Iconoclaſtas atq; in Sanctos Dei blaſphemos: hoc ſupplicij genere dignos ſignificare volentes, equum ad ſuos remiſerunt.

Truchſeſius ne ſuos deſereret, per VVeſtphaliam militum delectum habebat, relictis ijs, qui vix oppidis cuſtodiendis ſufficiebant,ceteras omnes è territorio Reckelinckhuſenſi, comitatu Arensbergenſi, alijſque Prouincijs copias coniungebat:vt traiecto flumine hoſtem profligaret,ſuoſque ab obſidione liberaret..

Vt autem nihil deeſſet,partem quoque pręſidij, quod in arce VVerlenſi erat,euocauit:iuſſitq; tormenta aliquot maiora iſtinc comportari, quibus extrahendis, dum milites occupati ſunt, orta eſt ingens inter ciues ipſos,ob meretriculam,ſeditio. Ciues campanæ ſigno claſſicum canere, ad arma procurrere,curiam præoccupare,& iam ſclopetas in ipſos milites exonerare:defendebant ſe milites, ita vt nōnulli grauiter ſauciati ſint:quæ turba militibus exitioſa fuiſſet,niſi Centuriones & pręfecti animos ciuium blanditijs & precibus placaſſent. Truchſeſ.quanta potuit celeritate,ſuos promouit.

Erat ea fama frequens ſatis in caſtris Bauarianorum; & ipſe Archiepiſcopus, ſciens dubiam eſſe belli aleam,nec conſultum eſſe,temerè periclitari:ſuis metuens,nouis copijs duce Suartzenburgio exercitumFredericiDucis augeri pręcepit. Truchſeſius verò cum ſuis illas anteuertit,& priuſquam ſe Louvvenburgio coniungerent, de hoſte triumphum reportauit.

Exer-

Exercitum enim in duas partes diuidens, alteram prope oppidum Berkenſe fluuium traduxit: alteram Henrico Brunſvicenſis Ducis notho, alio traducendam commiſit. Factum eſt id tanta celeritate, vt in caſtris Louvenburgicis non prius fama peruenerit, quam cum iã hoſtis in conſpectu eſſet. Sed nec tunc credi potuit. Erat tunc temporis in procinctu regius miles, qui ſub Petro de Paz Hiſpano duce militabat. Eburones itaque qui in obſidione erant, cum eminùs equitũ peditumq; cumulos aduẽtare cernerent, Regios ſibi ſubſidio approperare arbitrabantur. Poſtquam verò hoſtes eos eſſe agnouerũt, retrocedunt vt ſe Germanis, qui nũc in acie ſtabant, coniungerẽt. Germani verò Eburones, in quibus illorum maxima erat fiducia, inordinato agmine cedere conſpicientes; rati ſunt eos in fugã verſos eſſe: interruptaq; acie & ipſi fugere cœperũt. Equites interim Truchſeſiani qui in proxima ſyluula in inſidijs erant, magno impetu in hoſtes irruunt. Eburones cum ſe cinctos viderent, ne inulti morerentur, aut hoſti victoriam incruentam relinquerent, fortiſſimè dimicârunt: & ne viui in hoſtium manus venirent, quo quiſque loco ſtetit pugnans, hoc ipſo concidit & moriens, donec penè omnes, non parua cum hoſtium ſtrage trucidati ſunt. Germani ferè omnes fuga elapſi, incolumes ſeſe prælio ſubduxerunt. Dux Fredericus, cum ſpem nullam victoriæ cerneret, celeri equo in arcem Hulckraet ſaluus peruenit. Præpoſitus Gandauenſis, qui ægrè admodum à pugna diuelli potuit, in oppidum Kempenſe ſeſe recepit: quo in itinere parum aberat, quin ab hoſtibus captus fuiſſet. Comes à Riffer ſcheit, & alij aliò ſe cõtulerũt. Prædam Truchſeſiani opimam nacti ſunt, nam præter vulgares cæſorũ exuuias, 300. currus cõmeatu, alijſq; rebus onuſtos, quatuor inſuper tormẽta cãpeſtria, victores ex hoc prælio reportaſſe dicuntur. Keſpenoy cũ alijs nonnullis belli præfectis ſaucius

in

in poteſtatem hoſtium venit, & captiuus abductus eſt. Varij variè de hac clade loquuntur: nunc huic, nunc illi imputatur: adeò vt cuius errore vel negligentia illata eſt, adhuc incertum ſit: vt vt eſt, id conſtat, Truchſeſius Alpenſi Duce non minimam belli laudem, ex hoc conflictu reportaſſe: & hoc facto mirum in modum ſuorum animos erexiſſe. Commiſſo hoc prœlio, & nouo commeatu, his qui in munitione Aloſtana erant aduecto, Henricus Bruſvvicenſis cum ſuis in VVeſtphaliam redijt. Alpēſis actis gratijs, eos quoq; qui ex Gelricis oppidis huic expeditioni interfuerant, dimiſit: magnaque tam in Belgio, quàm in Diœceſi, eorum qui Truchſeſij partes ſequebantur, erat lætitia: quam tamen ſubſequentes clades ſubito in luctum commutarunt. Archiepiſcopi enim frater Germanus Ferdinandus Bauarus iam pridem arcem in ſummitate montis conſtructam, obſidione cinxit. Habet is mons nomen (vt Georgio Bruin viro antiquitatis ſtudioſiſſimo placet) ab Idolo Mercurij qui in hoc loco ſub gentiliſſimo magna cum veneratione colebatur: quem enim Latini Mercurium vocant, Germani **Gods** aut **Godes** ſolent nuncupare, vnde & Mercurij diem **Godesdag** Vbij, & circumiacentes populi nominârunt. Quamuis ego iam ſæpius animaduerterim non Burg ſed Berg dici. Ideoque putem non Mercurij Burgum, ſed Mercurij montem, aut Dei (per antonomaſiam, pro Mercurio, quem veteres Germani coluerunt) potius dicendum: Vbij verò ad Chriſtianiſmum conuerſi, in hoc monte Mercurio exploſo, templum D. Michaelis ædificauerunt. Tandem Theodoricum Comitem Montenſem Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem circa annum Domini 1214. ex mulctis cuiuſdam Iudæi, quem in vinculis habebat, hanc arcem adieciſſe, nonnulli ſcribunt: Mōs hic excelſus admodum eſt, & præceps, aſcenſu aſper & difficilis: petroſus totus, adeò vt nec tormenta bellica ſubuehi,

Godesberg.

In 2. ciuitatum orbis tomo.

ſubuehi, nec agi cuniculi, niſi ſumma cum difficultate poſſent. Erat in arce præſidium ex præmiatoribus & meſonautis Belgicis conflatum, ſceleſtiſſimis quidem hominibus, ſed ſtrenuis militibus, qui arcem gnauiter defendebant. Diſpoſitis initio tormentis in proximo colle, diu maioribus pilis muri verberati ſunt. ſed nihil aut parum tot ſumptibus profecerunt, dum præſidiarij noctu repararent, ſi quid per diem collapſum, aut disjectum erat. Mutato itaque conſilio Dux Ferdinandus cunicularios adhibuit, & qua parte mons minus petroſus erat, ſuffodi iuſſit: ad id perficiendum aliquot dies laboratum eſt.

Interea Hermannus Adolphus Solmenſis Comes, qui partes Truchſeſij ſequebatur, Auguſtanæ confeſſionis miniſtrum nactus, cum eo Dorſtenum oppidum, inter VVeſaliam Cliuię, & Reckelinckhuſen ſitum, profectus eſt: vt oppidanis miniſtrum hunc obtruderet. Auditus eſt benignè ab oppidi magiſtratu: ſed quia petitionem eius ad tumultum ciuium & ſeditionem tendere iudicabant, nequaquam miniſtrum oblatum in oppidum recipere voluerunt. Indignè ferebant hoc ciues qui confeſſionem Auguſtanam profitebantur. Magiſtratus verò cum ſuos fremere audiret, atq; tumultum metueret, Paſtorem Catholicum, quem in vrbe habebat, blanditijs & argumentis ſuis eò induxiſſe dicitur, vt promitteret, ſe petentibus Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie diſtributurum: quo vel ſic Proteſtantibus ſilentium imponeretur, & Comitis petitio commodiùs reijceretur. Quod & conſecutum eſt. Solmenſis itaque intelligens ſpem ſuam eluſam eſſe, animi dolorem, vultus hilaritate diſſimulauit, & ciuibus ſuæ religionis gratulatus, in ipſis portis ſtrenuè çum eis potauit: tandemque diſceſſurus, petijt: vt cum maximè oportunum eſſe arbitrarentur, ſe per nuncium vocarent: venturum cum exiguo comitatu, vt oppi- *Decemb. 15.*

 dum

Digitized by Google

dum perluſtret, & cum ipſis vini aliquot congios abſumat.

Truchſeſius quoq; nonnullas equitum turmas, peditumque manipulos in Ketvvich oppidulum ad Rouram poſitum, miſit: vt pontem lapideum, qui vtramque fluminis ripam coniungit, quo tutiores à Bauarianorum excurſionibus eſſet, diſijcerent. Ceterum Abbas VVerdenus, qui hic & ius dicit, & latè imperat in circumiacentibus pagis, cāpanarum ſigno ruſticos cogere, armatos Truchſeſianis obuiam ire, & pontis diſſolutionem impedire præcepit. ad cuius mandata ruſtici continuò prōpti, hoſtibus occurrūt, & in fugam verſos, vſq; ad territorium Reckelinckhuſenſe ſunt inſecuti.

Porrò cum iam cuniculi in obſidione Godesbergenſi eò producti eſſent, & bona pars arcis ſuffoſſa tremeret, iniecta nitrati pulueris copia, immiſſoque igne, hora circiter pomeridiana prima, flamma terræ viſceribus incluſa, magno erumpens fragore, turres, muros & propugnacula loco ſuo euulſa, in altumq; vi pulueris rapta, disjecit, arcéq; ipſam ſpacio tā lato aperuit, vt accedendi & expugnandi magnus eſſet locus, magnaq; oportunitas.

Præſidiarij tamen non ignari, de ſuo agi corio, tormēta in ipſas ruinas comportata, in denſiſſimos hoſtium cumulos explodunt, ſeſeque pro viribus aliquamdiu defendunt, ſed cum Bauariani & numero, & viribus ſuperiores, impreſſionem continuarent, iamq; ipſas ruinas occuparent: præſidiarij cedere, & hoſti locum dare cœperunt, donec tandem Bauariani arce potiti ſunt: Inuenti ſunt in ea milites circiter 72. qui omnes interficiebantur. Noluit enim Illuſtriſ. Dux Ferdinandus, vllius vitæ parcere: tum quia peſſimi præmiatores, prædatoreſque erant, à quibus nil boni erat expectandum: tum etiam, quia gratiam à ſe & Comite principe Arenbergio ipſis oblatam petulanter, indigniſque modis reſpuiſſent. Abbas verò Heiſter-

ſterbacenſis, qui ab his graſſatoribus ante aliquot menſes captiuus huc adductus erat, viuus atq; incolumis repertus eſt. Is memor beneuolentiæ arcis Capitanei, qua erga eum in carceribus vſus erat, apud Ducem Ferdinandum pro eodem Capitaneo interceſſit, & vt vitæ eius parceretur impetrauit. Liberatus eſt & hac victoria Centurio quidam, Italus natione, patria Florentinus, nomine Ranucinus, qui in excidio Abbatiæ Tuitienſis captus erat. Hildeshemenſis verò Suffraganeus paulò ante in vinculis obierat. Celebri hac expeditione peracta, Electus Colonienſis ſtipendia militibus ſuis perſolui iuſſit: paululumque refocillatis corporibus, reparatiſque viribus, totus exercitus ad oppidi Bonnenſis obſidionem ductus eſt.

Decem. 21. Bonna arctiùs obſidetur.

Subornati ſunt eodem ferè tempore à Truchſeſianis, octo ſicarij, qui Bauarum Electorem, eiuſque germanum fratrem Ferdinandum ex inſidijs adortos interficerent. Noluit Deus hoc tam atrox facinus in optimos Principes committi: ſed animum vnius ex iſtis ſicarijs ita commouit, vt inſidias detexerit, ſocioſque ſceleris, atque miniſtros omnes nominauerit: Capti ex his nonnulli, & funeſto ſupplicio mactati ſunt.

Premebantur Bonnenſes arctiſſima nunc obſidione, ita vt nec excurſiones facere, nec earum rerum, quibus indigebant maximè, quicquam in oppidum recipere potuerint. Quamuis enim nec frumenti, nec vini laborabant inopia; ſalis tamen, ligni, candelarum, aliarumque rerum, ſine quibus commodè viui non poteſt, magna erat in vrbe raritas. Quare coacti ſunt multorum, ac præcipuè exulantium Catholicorum ædes diſturbare; vt canterios, tranſtilla, trabes, coaſſationes, aliaſq; materias ignibus nutriendis idoneas, haberent.

Bauarus munimentũ fortiſſimum, ex oppoſito vrbis trans Rhenum extrui iam fecerat: vt hac parte cõmeatum prohiberet: oppidũq; ipſum infeſtare

poſſet propugnaculo hoc iam confecto, maiora in illud tormenta aduexerunt, quibus nauem prætoriam, quæ ante oppidum erat, lacerârunt, & depreſſerunt. Sed & hoc memorabile eſt: Carolus Truchſeſius iam ante telonij ædes magnificentiſſimas, in ipſa Rheni ripa conſtructas, ad inhabitandum ſibi elegerat. Sciebant hoc qui in propugnaculo erant; dirigentes itaque maiora tormenta in hanc domum, vna pila tria cubicula perforarunt, deinde pila ad cubile ipſius Caroli perlata, enſem qui ad lectum pendebat, in tres partes confregit: partiumque vnam diſſilientem tam profundè in parietem fixit, vt niſi magna vi, & inſtrumentis ferreis extrahi inde non poſſet: Baculum quoque præfecturæ inſignia medium perrupit. Deinde & alium parietem perforans, mappam VVeſtphaliæ, in qua Carolus ſeſe ſpectando oblectare ſolebat, diſturbauit, & lacerauit. Carolus paulò antè cubiculo exierat, puerum accerſitum, alioquin & ipſe periclitatus eſſet. Reuerſus videns & gladium, & baculum confractum, mali id ominis eſſe præſagium arbitratus eſt: & ex eo tempore parum animi habuiſſe dicitur.

Etiam hoc à nonnullis affirmatur, quod tempore obſidionis, inſignia Gebhardi, tres nimirum leones pulli, in campo flauo telonio affixa, vltrò nulla adhibita violentia conciderunt, omen ſanè
Anno 1570. infauſtum. Cum Anna Auſtriaca Hiſpaniarum Regi nuptura Antvverpiam veniſſet, ciues eam magno cum triumpho exceperunt. Inter alia inſignem arcum triumphalem erexerant, erant in eo Imperatoris, Electorumque imagines depictæ, & ſingulorum inſignia ſub pedibus affixa, hic cum Gebhardus Truchſeſius, tunc Canonicus Colonienſis aſtaret, luſtrans opus, & admirans conſtructoris induſtriam; inſignia Electoris Colonienſis fortè fortuna deciderunt, & ad pileum Gebhardi, huius neſcij, vento perlata ſunt. Admo-

monitus ab aſtante, inſignia manu corripit, & videns ea Colonienſis Electoris eſſe: hæc, inquit, mea erunt, & in ſinum ſuum recondens, abijt. Omen hoc ſui ante & poſt electionem in optimam partem interpretabantur: quemadmodum & hoc quod Bonnæ contigiſſe diximus, alij nunc infauſtæ, infelicisque fortunæ indicium eſſe, nonnulli exiſtimarunt. Sed ad Bonnenſes reuertamur,

Cingebantur ij iam quaſi corona circumquaque. Erant in hac obſidione quatuor lectiſſimæ Sequanorum equitum turmæ; ſub Ductore Theraiſio; quatuor etiam Italorum, ſub præfecto Nicolao à Boſco; & quinque Eburonum: Peditum verò ſigna quadraginta, partim Germanorum, partim Eburonum, atque Boiorum, qui omnes ad pugnam erant paratiſſimi.

Gebhardus res ſuas inclinare videns, cum iam Imperij Principum ope deſtitueretur, omnem ſpem ſuam in Henricum nothum Brunſvvicenſem, & Adolpum Nuenarium coniecit. His aliquoties nunc per literas, nunc per nuncios (de miſerijs oppidi Bonnenſis, certior factus; ſæpiuſque, vt eis ſuccurreret, interpellatus) Prouinciam Bonnæ liberandæ demandauit.

Nuenarius auxiliares copias è Gelria euocat; Henricus interim triginta peditum ſigna, & octo equitum cohortes, quinque circiter armatorum hominum millia, è diuerſis locis, quę ad hibernandum erant dimiſſa, corraſit: magniſque itineribus atque incredibili celeritate Bonnam cum hoc agmine contendit; vt vna eademque opera & Bonnenſibus neceſſaria ſubueheret; & Bauarianos caſtris exueret.

Ceterum Bauariani de aduentu Brunſvvicenſis per exploratores certiores facti; tredecim equitum turmas, & decem ſigna peditum caſtris educunt; & hoſti magnis animis obuiam procedunt.

Brunſvvicenſis inter arbuſta, & fluuium, qui Ar-

Digitized by Google

cher ab accolis dicitur, clam omnibus (vt ipſe exiſtimabat) iter maturauit; donec ad locum vbi ponte ligneo exercitum tranſportaret, peruenit; rectà Siegburgum properãs. Eſt in vlteriori fluminis ripa ſylua opacitate vmbroſa, in quo Bauariani ſeſe cum ruſticis, quos è vicinis locis euocârant; clam continebant: donec hoſtium potior pars iam fluuium tranſierat; Diuiſo iam Henrici Brunſvvicenſis agmine fluuio intermedio, Bauariani ex inſidijs erumpunt, horrendoque ſtrepitu, atque hoſtili clamore aduentantes Truchſeſianos ex improuiſo aſſiliunt, qui cum ſe ab hoſtibus circumuentos cernerent, metu exanimes ad põtem rurſus accurrunt: in altera fluminis ripa, reuulſo ponte ſe ſaluos fore arbitrantes. Sed cum exercitus tergum nondum tranſijſſet, medioque ponte iam conſiſteret, impediti ſunt, quo minus tranſire poſſent. Tumultu itaque in ponte facto, cum iam hominum globus eſſet denſiſſimus, nec pons oneri ferendo ſufficeret, diſſoluitur: equi verò & homines paſſim vnà cum tabulis, in fluuium delapſi, & aquis inuoluti miſerè perierunt. Alij verò qui nondum ad pontem peruenerant, partim cæſi ſunt, partim verò fugati: & in vicino flumine, cui Siegio nomen eſt, à quo & Siegburgum appellatur, ſubmerſi. Scio & alios eſſe qui fraude, & induſtria ruſticorum, qui à Bauaro ſtabant, & Truchſeſianis ob petulantiam, quam ſub Caſimiro hic exercuerant infenſiores erant, contignationes, iuncturasque pontis callidè ſolutas, & disjunctas fuiſſe putent; vt ad vehementiorem concurſum ruere neceſſariò debuerit. Qui verò in altera fluminis ripa erant, ſuorum cædem, atque interitum conſpicientes, relictis omnibus impedimentis, Tuitio & Mullemo Berckam metu penè exanimes feſtinarunt, hiemis aſperitatem, noctis tenebras & viarum difficultates, vt vitę cõſulerent; facile contemnentes, Bauariani parta victoria, ad ſpolia concurrunt, & præter alia 45.

currus

currus pernis, ſuccidijs, annona ſalaria, armis, puluere, alioque commeatu, & bellico apparatu, Bonnenſibus maximè neceſſario nacti, victores in caſtra redierunt.

Spem omnem oppidi Bonnenſis conſeruandi iam Truchſeſius abiecerat, deque Fratre ſuo Carolo hoſtibus eripiendo cogitare cœpit. Nuncium itaque cum literis Bonnam miſit, quæ quidem prima facie, & fratrem, & præſidiarios in bonam ſpem erigebant: re vera autem Carolum vt ſe clanculum, idque primo quoque tempore, primaq; occaſione oblata ſubduceret, hortabantur. Suboluit præſidiarijs, qui ad defenſionem vrbis relicti erant, quod neque ſubſidia, neque ſtipendia eſſent expectanda, ſed & Carolum Truchſeſium de fuga cogitare. Quod ne fieret, inito conſilio Carolum tam diligenter obſeruârunt, tamque arctè cuſtodierunt, vt elabendi non daretur occaſio, putantes hoc modo aut Carolum, aut Truchſeſium adigi poſſe, ad ſubſidia mittenda, vel debita ipſis ſtipendia annumeranda. Sed cum neutrum obtinere poſſent, & Archiepiſcopus Bauarus hanc præſidiariorum mentem intellexiſſet, partim vt innocentium ſanguini (vi enim oppugnare atque expugnare oppidum illi difficile non fuiſſet) parceret; partim vt ſumptus, atque impenſas iſtas maximas, quæ in expugnationibus fieri ſolent, temperaret, per Fecialem iuſſit his qui in oppido erant certa ſtipendia numerari. Cum enim iam arctiſſimè ipſos obſideret, omniũq; rerum ad bellum neceſſariarum apparatum haberet inſtructiſſimum, aggeribuſq; partes omnes quæ aditum habebant à terra occluſiſſet; ita vt nec fugiendi, nec oppidi defendendi ſpes vlla ſupereſſet, præſidiarij colloquium poſtularunt: quod ſtatim à Bauaro ipſis eſt conceſſum.

Nam ſi Archiepiſcopus maiora tormenta advehi, ſi muros diſturbari, ſi cuniculos agi, oppidumque oppugnari voluiſſet, facilè expugnaſſet. Eſt

Digitized by Google

enim Bonna ab ea parte, qua aditus à terra eſt, non adeò munita: ſolida tellus eſt; foſſæ vel nullas, vel exiguas aquas habent, muri imbecilliores ſunt, quàm vt magnam vim ſuſtinere poſſint: Præſidiarijque (licet multo alia fama extra oppidum eſſet) ignaui admodum in muniendo fuêre. aut igitur ſeſe dedere, aut periclitari magnoperè debebant.

Conuentus in Briele.

Interea Gebhardus Ordines VVeſtphaliæ in oppidum Briele coëgit: vbi in præſentia Georgij Comitis à VVitgenſtein, Adolphi Comitis Solmenſis, & Iohannis Baronis in VVinnenberg, nobilibus, oppidorumque legatis ſummam rerum ſuarum expoſuit neceſſitatem: petijtq; primò vt vel duorum tantum menſium ſtipendia non denegarent, quò milites ijs numeratis in officio retinere poſſet. Secundò, vt nobiles patriæ, clientes fiduciarij, & feudatarij ſui, vbi neceſſitas poſtulauerit, ſcriptoque euocentur, ſeſe ad bellum accingant: & vna cum Principe ſuo in prælium deſcendant. Ad priorem petitionem ab Ordinibus reſponſum eſt: ſe duo menſtrua collecturos, & numeraturos, vnum in præſenti, alterum circa feſtum Iacobi. Sed quia Nobilitas ad hanc ſummam nihil contribuere vellet, ſed Truchſeſio ſeorſim honorarium offerret: oppidorum verò legati nobilitatem cenſeri & ad imperatam indictionem conferre poſtularent: lis exorta eſt; cuius determinationem in aliud commodius tempus reiecerunt.

Ad poſteriorem verò petitionem, aiebant Ordines patriæ, ſibi non diſplicere vt oppidatim, vicatimque incolarum delectus habeatur, armaque per omnes prouincias imperentur: Nobiles quoque ſe rei gerendæ ordinem compoſituros, rationemque inter ſe inituros, quot equitibus ſinguli (quando neceſſe eſſet) euocati, in campum deſcenderent, promiſerunt: non eo tamen animo vt Capitulo, & prouincijs Rhenanis abſque cauſa inſtitutum bellum inferant: ſed terminos patriæ defendant.

dant. Orârunt inſuper nonnulli Truchſeſium, vt Auguſtanam ſubditis confeſſionem relinqueret, nec vllis hæreſibus publica exercitia indulgeret. Deniq; pollicebantur ſe in pacto fœdere, & ſacramento, in proximo conuentu inito, manſuros, donec à Cæſarea Maieſtate, Ordinibuſque Imperij reuocarentur.

His omnibus in publicas tabulas relatis, conuentus ſoluitur. Carolus verò Gebhardi frater ſibi à nonnullis metuens, quendam Fredericum Spitz, à Briſgoa, eò quod cõſilium de deditione vrbis (cum tamen Bauari vires, ſummam oppidi neceſſitatem, Truchſeſij perditas res & deploratas præ oculis videret) non impediuiſſet, in carcerem coniecit; captiuumque vna cum duobus alijs detinuit: donec à ſuis redemptus eſt, & liberatus. Interdixit inſuper præſidiarijs, ne quas ab hoſte literas acceptarent, atque ea cauſa fuit, cur tympaniſtes ſemel atque iterum cum literis & mandatis ad oppidum veniens, nec admiſſus ſit, nec auditus. *Ianuar. 8.*

Ceterum Arenbergius, & Dominus Eckenbergerus ſępius tam interdiu, quàm noctu ipſa mœnia ſubeuntes, excubatores appellabant: illis explicantes Cæſareæ Maieſtatis proſcriptionem, Truchſeſij militem omnem ab Imperio reuocatum, & qui parere nollet, hunc Imperij hoſtem declaratum. Huiuſmodi mandatum iam dudum ad ſuos præfectos perlatum eſſe, ſed vafro illorum conſilio ſupprimi, nec ijs quorum intereſt oſtendi: Cogitarent ſeriò quam capitale ſit facinus, Imperatori, totique Romano Imperio impotenti animo reluctari: quantæ temeritatis res ſit, extrema periclitari: Commilitonum ſuorum in Poppelsdorff & Godesberg interfectorum fortunam experiri. Satius eſſe vt è re nata conſilium captent, oppidum vltrò dedant: nulla ſubſidia adornari, ſed & ſi qui eos obſidione eximere molirentur, meminiſſent quid nuper Notho Bruinſvvicenſi contigerit, eoſ-

dem viros adhuc in caſtris eſſe, eadem, & multo maiora audere, ſi res poſtularet. Oppidum non eſſe Truchſeſij priuati, ſed Bauari recens Electi, hunc ab vtroque Magiſtratu, ſummo Pontifice nimirum & Cæſare confirmatum: diplomata ad manum eſſe, & ſi neceſſe ſit, ipſis poſſe exhiberi: Suæ tandem ſalutis curam habeant, nec ſe à ſuis ad truculentiſſimas carnificinas ſubeundas adigi patiantur: præſertim cum gratis illud facturi eſſent, nec mercedem, nec ſtipendium pro tanta temeritate eſſent recepturi. Nouo Archiepiſcopo Principe potentiſſimo opes ampliſſimas ſuppetere, vnde ipſis (poſtquam Mandato Cæſareo paruerunt) liberaliter pro rei qualitate ſatisfieri poſſit. Eſſe quidem tanto Principi indignum, quod ea quæ diuino & humano iure ipſi competant, ære ab hoſte redimeret: tamen vt etiam hoſtes eius liberalitatem & humanitatem experiantur, diſcantque Archiepiſcopum Colonienſem eorum, qui fraude ſeducti ſunt, damnum quod oppidi deditione forſitan incurrere poſſent, nõ appetere decreuiſſe, quod ſi oppido excedant, illudque ſuo Principi legitimo tradant, honeſtum ſtipendium annumerare.

Hæ tam honeſtæ, atque æquitati conſentaneæ rationes, liberalesque pollicitationes, etſi præſidiariorum animos non potuerint expugnare, vehementer tamen oppugnabant. Statim enim tres gregarios milites ſingulos ex ſingulis vexillis in VVeſtphaliam legârunt, vt quid de Truchſeſio, eiuſque ſubſidio, & caſtrenſi peculio ſperandum eſſet, explorarent. Eodem die nonnulli ex ijs qui Henrico Brunſvvicenſi militabant, in pago Helmer, comitatus Markenſis 36. colonos miſerè iugulârunt. Omnibus verò diligenter per VVeſtphaliam perluſtratis, ij qui ex Bonnenſibus miſſi erant, cum nec ordinem, aut diſciplinam militarem in VVeſtphalia inuenirent vllam, nec auxiliares copias, nec pecuniam belli neruum promptam

ptam eſſe confeſtim in limine intellexiſſent, vnus ex ijs Nicolaus Seylerus Nemetēſis ad ſuos Bōnam redijt; cum huiuſmodi reſponſo: fruſtra ſubſidia expectari: in VVeſtphalia nullū eſſe belli apparatū: per ruſticorum mapalia, duos milites cum dimidio ſtertere, & ſemi quatuor equos ad claſſicū ſtare paratos: præterea & compilatis omnibus ſcrinijs manipulum auri ad bellum gerēdum reſiduū eſſe. Cumq; ſiniſtra hæc fama per oppidū increbuiſſet, atq; inter alios, profundius in Michaelis Pirckleri animū deſcendiſſet; contigit, cum iam vigiliæ deducerentur, quēdam qui ſub Caroli Truchſeſij vexillo militabat, inauſpicato iurgio cū hoc Pircklero in ipſo circulo contendiſſe. Ceterum Pircklerus arrepto gladio (quem xiphomacheram nōnulli vocant) eum è circulo eiecit, atque furore quodam inſecutus eſt. Sequēti die Pircklerus cum 30. alijs ſibi cōtra hunc, qui pridie oppidum adhuc aliquamdiu contra Bauarianos defendendum perſuadere nitebatur, confœderatis, ad forum venit. Ceterum cum alter ille, metuens ne aut ſecundò fugaretur, aut peius mulctaretur, ad forum venire non auderet, ipſum Carolum Truchſeſium ſummum Præfectum ſecum adduxit, qui cum milites congregari & conſpirare animaduerteret, tametſi multa cum ſingulis ſæpè egerat, tamen in rem fore credens, vniuerſos appellare, & cohortari, concione vocata, virtutes militum laudibus cumulauit.

Oratio Caroli Truchſeſij ad milites.

Dicebat, admirari ſeſe quanam in re quidam offenſi, aut qua ſpe moti deditionem molirentur. Tres eſſe cauſas propter quas homines ſeditionem aduerſus Principes ſuos mouere & deditiones cogitare præſumant: quando ſcilicet commeatus deficit, quando ſubſidia & ſtipendia fruſtra expectantur, quando ſpem rerum maiorum, aut potiorum animo concipiunt. Quid quæſo horum (inquit) vos mouet?

An vobis commeatus defecit? habetis vinum, habetis frumenta, habetis carnes, ceteraq; ad vitam militarem ſuſtentandā ſufficientia, à frigoris iniuria luculēti foci, ab aeris intem-

intemperie tecta ciuium vos defendunt. Conſiderate fortunam hoſtium veſtrorum & cum veſtra conferte, qui pluuijs continuis madidi, frigore intolerabili concreti, fame atq; inedia pallidi, in luto ac cœno dormientes, ſacramentum tamen ſuum hactenus non violarunt. An vos offendit, quod promiſſa ſubſidia atq; ſtipendia non mittantur? Vidiſtis milites, ante paucos dies quantæ curæ Electori veſtro atq; huius oppidi ſalus ſit. Vidiſtis inquam in cõſpectu auxiliares copias ad nos properare, ſed altior fluminis alueus tranſitum impediuit. Aſpicite quæſo imbres, nymbos, procellas, turbines, cæteraſq; tempeſtates, & ipſi iudicate, ſi via modusq; inueniri queat, nobis opitulandi. expectate quæſo, expectate milite cœlum paulò mitius, & auram magis ſecundam, ſcitis fratrem Electorem ad me literas dediſſe, quibus ſpacio minus triũ ſeptimanarũ nobis auxilia certò promittit: effluxit nunc vna, reſtant duæ: tempus ſanè perexiguum in quo aut ſupremam laudem, aut ignominiam ſubire poteſtis ſempiternam, quid feſtinatis? vrbem adhuc ſaluam, atq; integram habetis: hoſtis nondum muros aperuit: nondum oppugnauit: ſed etſi oppugnauerit: non deſunt nobis vires ad reſiſtendum: non deeſt bellicus apparatus.

Quid igitur eſt cuius gratia in præſenti nobis infenſi deditionem meditamini? dicere quidem non poſſum, ſed cauſam à vobis audire velim. Arbitror quidem neminem ex vobis eſſe, qui aliquid dicere, vel cogitare etiam poterit. Sed cogitabit forſan aliquis è numero deploratorum hominum maiora nunc commoda, ſpemq; maiorem ac firmiorem relucere apud hoſtem. Inanis eſt hæc perſuaſio: multa vobis promittent; ſed cum voti compotes facti per vos fuerint, illudent vos, & traditores appellabunt. Quid illorum potentiam formidatis? ecquis veſtrum ignorat, quantis difficultatibus, laboribus ac ſumptibus arces numero paucas, natura atq; arte non adeò munitas inuaſit? qui poterit, ſi coniunctis animis reſiſtamus hoc oppidum munitiſſimum expugnare? ſcitis vires fratris, ſcitis quot vrbibus, quot Prouincijs imperet: neſcitis quot amicos, quot confœderatos habeat in Imperio, qui Vere nouo cum copijs ſuis accelerabunt. In hoc omnis belli moles, in hoc Principis veſtri ſalus, in hoc

gloria

gloria veſtra nunquam intermoritura conſiſtit; vt quatuordecim dies in fide permaneatis, & ſacramentum quo nobis deuincti eſtis non violetis. Sacrum vobis ſit Germanorum nomen quod barbaræ etiam nationes reuerentur: nolite iſtud polluere, nolite quicquam committere, propter quod iſtud malè audiat, vel ab exteris contemnatur. Vos ſpectaculum, vos expectatio non tantum Principum Imperij eſtis, ſed & totius Chriſtianitatis Magnatum, qui oculos, animos, & cogitatus omnes in hoc oppidum, noſtramq́ fidelitatem, & fortitudinem coniecerunt. quibus aut lætitiam ſi viros vos præbeatis, aut dolorem, ſi vos perfidia contaminaueritis, afferre poteſtis. Iſtam hactenus laudem, iſtam gloriam, iſtos honores vobis hactenus peperiſtis, quæ pernicibus alis per totum volitant terrarum orbem, quæ in omnium hominum ore verſantur, & quibus regum ac Principum epulæ condiuntur. quid turpius? quid miſerabilius, hæc tot, tantisq́ ſudoribus, & periculis parta, vnius horæ perfidia, vel amittere penitus, vel commaculare? Cum itaq́ hæc conſidero milites, & cũ facta veſtra æſtimo, magna me ſpes vrbis defendẽda tenet: animus, fides, virtus, audacia veſtra me hortantur. Vnum hoc à vobis deprecor, vt cum nihil vobis deſit, à tumultu ac ſeditione abſtineatis, in officio permaneatis, & Oppidum, ea quà hactenus fide defendiſtis, etiamnum tueri, atq́ defendere non dubitetis.

Hæc vbi dixiſſet, concionem dimittere voluit. Ceterum Pirckler us, & alij nihil tam ſplendidis verbis & promiſſionibus permoti ſunt. Nitebantur enim reſponſo Seyleri qui ex VVeſtphalia reuerſus nullum ſperandum ſubſidium dicebat, nullum eſſe belli neruum, nullum fieri apparatum. Præterea videbant annonam in oppido minui, diaria vix ad corpus nutriendum ſufficere: Nam cum initio obſidionis ſeſquilibra panis & dimidia vini amphora menſuræ Bonnenſis, caſei quoque & carnis quotidie libra ſingulis militibus diſtribueretur, eò nunc miſeriarum ventum erat, vt ſi obſidionem diutius ſuſtinere voluiſſent, vel pane, vel ſale, vel Caroli ſpecioſis verbis famelicum ventrem

trem ſatiare debuiſſent: ſuccidias enim,pernas, aliamq;,quæ expectabatur, ſtellaturam,paulò ante hoſtis interceperat.Metuebat igitur Pircklerus cũ ſuis,vt ſi hanc occaſionem quæ à Bauarianis offerebatur,elabi ſinerent,fore vt poſtea extrema neceſſitate afflicti,nec gratiam impetrare,nec ſeſe tueri poſſent. Arenbergij,itaque orationi magis, quam Truchſeſij acquieſcentes, conditiones quibus auctorati erant,& ſcriptum Cæſaris ſibi oſtendi, & prælegi poſtularunt. Quæ cum lecta eſſent, toto foro tumultuari cœperunt: conquerebantur conditiones ſibi promiſſas,ne in minimis quidem præſtitas eſſe,& quod Cæſaris mandatum,in quo ſalutem ſuam periclitari dicebant,exhibitũ non fuiſſet,ſed dolo malo ſuppreſſum; indigniſſimè ferebant,culpabant infidelitatem Caroli erga ſuos milites, vt, qui eos non aliter, quàm commilitones eorum in **Poppelsdorff** & **Godesberg** hoſtibus obijcere, truculentiſſimæque carnificinæ exponere meditaretur.Palam id fieri,vel ex eo, quod paucos ante dies Bauari tympaniſtes literas patentes;quibus oppidi deditio petebatur; attuliſſet: quarum tamen argumentum & ſententia militibus celabatur.Non eſſe boni Imperatoris cum milites ſuos ad omnia paratos videat (tales autem hos fuiſſe vel ipſe Carolus ſua oratione fatebatur) tam eos æſtimet abiectos, qui digni non ſint quibuscum hoſtium conſilia & propria pericula communicentur: maximè cum res deploratæ ſint, quales nunc eſſe certò ſibi conſtare affirmabant: In obſidione,vbi communis omnium eſt fortuna,& conſilia debere eſſe communia,ea præſertim quæ communem omnium concernunt ſalutem.

Hæc ſibi ſuſpicionem parere,& niſi candidè,atque apertè agere velit cum ſuis Truchſeſius;ſe rationem inituros, vt & ſuæ & ciuium ſaluti conſulant,vitamq; ab hoſte paciſcantur. Carolus autem ad hæc:Non eſſe hanc proſcriptionem à toto Imperio

perio conceptam & approbatam: ſed à ſolo Cæſare,qui cum pars eſſet,iudicē eſſe in hoc negotio negabat. Quod ſi mandatū hoc iam ante poſtulaſſent, ſe ſine vlla tergiuerſatione militibus exhibere voluiſſe:nihil ex eo periculi metuiſſe,nec adhuc metuere. Ceterū quod ſtipendiorum,conditionumq; promiſsio non ſeruaretur,ſua culpa factū non eſſe, ſed imbres impetuoſos,& indeſinētes exundātesq; fluuiorum alueos obſtitiſſe,quo res ſucceſſum non habuerit feliciorē. Scire ſe quidem militibus ſuis diues ab hoſte promiſſum factum, hortari tamen eos ne ſeipſos fallant. Nouum enim Electum magis re pecuniaria laborare, quam frater vnquam laborârat. Veriſſimum enim eſſe duas copias Arenbergij,& Iohannis Manrici tumultuari, & ob pecuniæ inopiam de defectione cogitare. Rogare itaq; ne deditionem moliantur, ſed quatuordecim tantum dies adhuc in fide perſeuerent,ſeſe cum ipſis eadem triſtia ſimul,& læta perpeti velle,licet ipſe maiorē, ſi res ſecus ceciderit,iacturam quam ceteri omnes eſſet facturus. Quod ſi ſtatuto tempore ſubſidia non adſint non tantum non impedire,ſed & vrgere & promouere deditionem velle.

Nihil oratione ſua efficere potuit Carolus apud eos,qui omnia nunc explorata habebant, & longè aliam rerum eſſe conſtitutionem, quam ipſe interpretabatur,non ignorabant. Pircklerus itaque cum ſuis,arreptis gladijs, præfectos omnes depulit,atque foro deiecit,mox ad arma conclamatum eſt, & reſeratis carceribus Fredericus Spitz cum ſuis libertati reſtituitur. Inde gregarij milites ſigniferis armata manu vexilla extorquent,& in curiam deferunt,clauesque oppidi à Carolo Truchſeſio poſcunt,quas inter ſeſe deinceps,Carolum in curia detinentes,cuſtodierunt. Centuriones inſuper Chriſtophorum Bruin, & Balthaſarem Kocher cum Optione,vel vigilum Præfecto, Legato fiduciariam operam obtinente, tribuſq; vexillarijs in

curiam

curiam deduxerunt, ibique in libera cuſtodia exinde aſſeruârunt. His ita conſtitutis de inducijs cum Archiepiſcopo Colonienſis Bauaro paciſcuntur, vt tutò ad colloquium venirent, & certis conditionibus tradito oppido in fidem acciperentur. Obſides dati ſunt 21. vtrinque cum promiſſis, vt ſi præſidiarijs fides fieri poſſet, eos qui Gebhardo militarent ab Imperio ſub pœna proſcriptionis reuocari, & Illuſtriſſimum Bauariæ Ducem Erneſtum legitimum Archiepiſcopum eſſe, oppido cederent, & Principi ſuo Bauaro traderent, aſſeuerabant, enim ſibi huc vſque perſuaſum fuiſſe Gebhardum, cui iureiurando erant obligati, verum Archiepiſcopum eſſe. Poſtridie priores obſides vtrinque dimiſſi ſunt, & noui æquali numero redditi.

Illuſtriſſimus Dux Ferdinandus Archiepiſcopi frater Germanus, exercitus Bauariani Imperator, Arenbergius, Dominus Ioannes Manricus & nonnulli Chiliarchæ atque Centuriones, tandem cum legatis Bonnenſium ſub vrbe in colloquium deſcenderunt: cumq; aliquandiu diſceptatum eſſet, tandem his qui à pręſidiarijs legati erant, Cæſareę Maieſtatis indultum adminiſtrandi Regalia, nouo Archiepiſcopo datum, Truchſeſianorum quoque proſcriptio oſtenditur, de ſcripto recitatur, & vtriuſque exemplar, quod ad ſuos referant, traditur.

Illi autem poſtquam ſe poſtridie, horâ circiter nona matutina, ad eundem locum cum plena, & abſoluta agendi poteſtate, auctoritateque reddituros promiſiſſent, dimiſſi in oppidum reuertebantur. Bauariani, poſtquam Bonnenſes digreſſi eſſent, eorum qui miſſi erant poteſtatem examinantes, æſtimauerunt eam non ſufficere, nec conſultum eſſe, abſque firmiori, cum ipſis paciſci.

Redeuntes itaque iubent omnes gregarios milites in mœnia conuenire, propoſitiſque rationibus

Digitized by Google

bus nonnullis, omnes iuſiurandum interponere compulerunt, quod quidquid inter nouum Archiepiſcopum & legatos illorum tranſigatur, id ratum fixum, atque perpetuis temporibus immutabile eſſent habituri.

Meruit omnium conſenſum hæc petitio. Deinde Bauariani proponunt, ſe cum ipſis agere non poſſe, niſi prius de tradendo Carolo Truchſeſio, cæteriſque Centurionibus, & præfectis à Cæſarea Maieſtate proſcriptis, omnes etiam conſentiant.

Qui itaque auctoritatem ex legatione habebant, vnà cum alijs ſuffragia ineuntes, atque ex re conſulentes, traditionem proſcriptorum in manus noui Electoris, in ſe receperunt.

Die itaque inſequenti vtrinque ad horam, & locum conſtitutum conueniunt, & oppidi deditio, poſt diuturnam rei ventilationem, his tandem conditionibus pacta eſt.

Conditiones quibus Bonna dedita eſt.

I. Initio iam per indultum Cæſareæ Maieſtatis fidem factam eſſe his qui in oppido erant militibus, Illuſtriſſimum Ducem Bauariæ Erneſtum verum, legitimum, atque indubitatum Archiepiſcopum, & Electorē Colonienſem eſſe, ad eumq; ius, non tantum oppidi Bonnenſis, ſed & totius Diœceſeos pertinere: eoſdem quoque milites interdictum Cæſaris de non militando Truchſeſio, quod hactenus ipſis celatum erat, vidiſſe, legiſſe, & intellexiſſe. æquum itaque eſſe, vt prædicti milites eidem Electori oppido cedant, atque illud legitimo tradant Domino atque Adminiſtratori. Præſidiarios ad id præſtandum promptos eſſe. Electorem viciſſim Colonienſem pro ſua liberalitate (vt damnum ex non ſolutis ſtipendijs contractum aliquo modo reſarciatur) præſidiarijs quatuor coronatorum milia numeraturum.

II. Vt Sua Celſitudo poſtridie, circa nonam horam, viginti ex ſuis in oppidum mittat, qui Carolum Truchſeſium & alios duos centuriones cap-

ptiuos, abducant. Qui viginti ſine vllo damno & iniuria in oppidum admittentur, & dimittentur. Vtque Sua Celſitudo vnâ cum illis adhuc quatuor obſides nominet, qui in præſidij poteſtate vſque ad prædictæ pecuniæ annumerationem detinerentur. Interim militibus oppidi cuſtodia ſalua relinqueretur.

III. Vt gregarij milites omnes cum omni ſua armatura, vxoribus, omnibus liberis, & bonis (modò ea nec Eccleſiarum, nec ciuium aut incolarum eſſent, nec ad oppidi munitionem pertinerent) liberè dimittantur: Archiepiſcopusque illis, ne lædantur, comitatum attribuat, ea conditione, vt antè iureiurando promittant, ſe Archiepiſcopo Colonienſi Bauaro tribus menſibus arma non illaturos. Quodque eandem gratiam Vicarij, Signiferi, Anteſignani, & alij communes præfecti participarent.

IIII. Vt Sua Celſitudo ſingulis militibus exauctoratis ſub propria manu proprioque Sigillo ſaluum conductum dari iubeat, qui Archiepiſcopo militare velint, nouo Sacramento & ſtipendio obligentur; qui exauctorari cupiunt, liberi dimittantur. Interim præſidiarij armamentarium cuſtodirent, & ne bellicus apparatus, aut diripiatur, aut inficiatur, cauerent.

His conditionibus conuentione facta, & erectis digitis, inuocatoque omnipotentis Dei nomine ad Sacroſancta Euangelia, omni dolo ſecluſo, eſt confirmata, die Ianuarij vigeſimo octauo D. Carolo Magno ſacro, vnde quidam non ineleganter hos cecinit verſus, diem & annum complectentes.

Magne tIbI CVnCtI gratantVr CaroLe: Bonna
PontIfICI preCIbVs ſerVIt aperta tVIs

Poſtridie die Eckenbergero cum alijs viginti in oppidum intromiſſo, Carolus Truchſeſius, Chriſtophorus Bruin & Balthaſar Cochnerus traditi ſunt. Carolus in Poppelsdorff captiuus abducebatur;

Digitized by Google

tur; cumque iam ante portam veniſſet, Iohannes Manricus mandat vni ex ſatellitibus, vt gladio illum diſcingat: Carolus autem ſatellitem non admiſit, dicens: ſe Baronem natum eſſe, indignum eſſe quod à populari diſcingeretur: petere vt id per nobiliorem fiat. Acceſſit itaque Eckenburgerus, cui gladium non denegauit, deinde vna cum alijs duobus Centurionibus in Poppelsdorff, vbi tunc Archiepiſcopus commorabatur, ductus, in liberali cuſtodia aſſeruabatur. Paulò poſt duo centuriones prædicti Bruſelam deducebantur, ibique in carceribus aliquamdiu habiti ſunt. Vltimo verò Ianuarij decreta pecunia militibus numeratur, & ſaluus conductus, prout promiſſum erat, vnicuique ſcribitur in hunc modum.

Nos, &c præſenti hoc noſtro ſaluo conductu fatemur, hunc N. confeſtim vt mandatum Imperij de non militando Truchſeſio vidit, & legi audiuit, arma depoſuiſſe, & Imperij mandato paruiſſe: Quod autem id non maturius factum ſit non ipſius, ſed Præfectorum ſuorum culpa eſt, qui Imperij ſcriptum ſuppreſſerunt. Rogamus itaq; & petimus omnes & ſingulos, cuiuscunq; ordinis, aut dignitatis, vt hunc N. pro obedienti Imperij ſubdito, atq; eo, qui cum bona noſtra gratia exauctoratus Bonna diſceſſit, agnoſcatis & recipiatis: eiq; per ditiones veſtras liberum ſine vllo damno, atq; iniuria tranſitum concedatis, &c.

Ipſis Kal. Feb. milites qui in præſidio Bonnenſi erant, medio foro tria ſua vexilla lacerârunt, & ad portam oppidi conuenerunt. Ibi generoſiſs. Domino Ioanni Manrico, Nobiliſſimoq; viro Paulo Storio cubiculariorum Decurioni, & ſtabuli Præfecto claues traditę ſunt: in abducendo verò & adducendo milite hũc ordinẽ placuit obſeruare. Manricus & Storius in ipſa porta, ceteri Præfecti ante pontẽ ſubſtiterunt. primò 25. aut 50. Truchſeſianorum egreſſi ſunt, deinde totidem è Bauarianis introducti, idem ſecundò, tertiò, &c. obſeruatum, donec Truchſeſianis omnibus dimiſſis, duo ſigna Bauarianorum,

norum, quæ Duci Hermanno à Linden parebant, in oppidum introducta eſſent. Poſtea Manricus & Stoor portas aperire iuſſerunt, oppidum perſcrutati ſunt, procubitores atque excubitores debitis locis conſtituerunt.

Deditio Bonnenſis defenditur.

Qui Truchſeſio ſtudebant, hanc deditionem, Proditionem appellabant: parumq; honeſtum eſſe tali Principe cauillabantur, quod pecunia præſidiarios corruperat, & ad oppidum tradendũ ſollicitârat. Sed non conſiderabant iſti, inuidiæ ſtimulis excœcati, oppidum tam arcta obſidione preſſum, atque circundatum, vt Truchſeſij vires multo eſſent inferiores, quam vt ſuos liberare potuiſſet. Id quod paulò ante in Brunſvvicenſi compertum erat: non ob fluminis altitudinem, vt Carolus ſuis perſuadere voluit; ſed quod imbecilliores erant eorum copiæ; quam vt tantum exercitum, tantaſque acies, & caſtra perrumperẽt. Quin etiam ſi Bauarus vrbem oppugnare voluiſſet, erat res in eo cardine poſita, erat & ea opportunitas, vt quàm facillimè expugnaſſet, ſed maluit clementiſſimus Princeps Scipionem, & Antoninum pium imitari, qui dicebant: malle ſe vnum ciuem conſeruare, quam mille hoſtes occidere. Nouerat enim victoriam natura ſuperbam, & inſolentem eſſe, & ſæpè debere victores ijs, per quos vicêre, multa indulgere, quæ non probant. Viſum eſt non rarò vbi vrbes vi expugnantur, eas rapinis, ferro, & flamma vaſtari, rapi virgines & pueros: diuelli liberos à complexu matrum: matresfamilias pati quæ victoribus collibuêre; fana atque domos ſpoliari: cædes atque incendia fieri: poſtremo armis, cadaueribus, ſanguine, atque luctu omnia compleri. Noluit benigniſſimus Princeps, hæc ſpectacula in ſuos ſubditos, atque ciues innocentes edi: Noluit etiam fortiſſimos ſuos milites, paſſim ſterni & trucidari: Sed Pittaci potius ſententiam ſequi, incruentas victorias quærendas eſſe admonentis. Victoria

Scipio, Antoninus pius.

Pittacus.

ctoria enim magno empta, non eſt victoria, ſed calamitas; & felicius interdum eſt, non aſſequi, quam nimio mercari quod quis ambit. Deſinant igitur hanc victoriam calumniari, qui Principis laudant clementiam, & tyranni odêre crudelitatem.

Diſpoſitis præſidijs, ordinatiſque ijs rebus, quæ maximè erant perturbatæ, & moram non patiebantur; de captiuis habita eſt quæſtio, & quia nonnulli transfugæ, quidam Rerumpublicarum perturbatores, multi perduellionis rei inuenti ſunt, ceteris dimiſſis 20. in vincula coniecti fuerunt: inter hos multi aulici & domeſtici Caroli, duo Miniſtri hæretici, & quidam Francus Regiæ Maieſtatis perduellis. *Febr. 2.*

Poſtero die cumeras, penuaria, & cellas vinarias ſcrutabantur, vt frumenti, vini, omniſq; commeatus qui reſiduus erat, ratio conficeretur, decretum quoq; eſt vt portę nõnullæ disjectis impedimentis aperirentur; necnon & Portitor cum ſuis ſcripturarijs, alijſque miniſtris reuocaretur. Eodem quoque die religioſiſſimus Princeps Erneſtus, ſciens quod equus paretur ad diem belli; Dominus autem ſalutem tribuat, nolens imitari impietatem atque ingratitudinem eorum, qui dicunt: Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia: ſed Zorobabelis potius pietatem, cuius laudabilis vox. abs te eſt victoria, & abs te ſapientia, & claritas: Et ego ſeruus tuus ſum. Hunc imitatus, per totius Diœceſis vrbes, oppida, pagos, villas, & monaſteria ſolenne Sacrum, in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis pro gratiarum actione, cum oratione contra inimicos Eccleſiæ, & altera pro pace impetranda decantari iuſſit, ad finem addendo iucundiſſimum illud, atq; diuinum canticum ab Ambroſio & Auguſtino quondam concinnatum. pro excitanda verò populi deuotione, ſacroſanctum Corpus Domini, & reliquias Sanctorum, *Prouerb. 21.*

ante prædictum illud Sacrum exponi; & tam antè, quàm poſt Sacrum publicæ lætitiæ ſignum, omnium campanarum pulſu, qualibet vice per horæ quadrantem dari præcepit. Voluit etiam huius rei cauſam præcedentibus concionibus populo ſignificari; cum exhortatione, vt præter gratiarum actionem, pijs etiam precibus, alijſque religioſis exercitijs, diuinam opem, auxiliumq; ad victoriæ proſecutionem, ſolidæq; prouinciæ pacis reſtitutionem, inuocare nō ceſſarent. Quod & factum eſt.

Eodem etiam die Reuerendiſſimus, atque Sereniſſimus Archiepiſcopus Erneſtus, cum fratre ſuo germano Duce Ferdinando, omnibus equitum Magiſtris, Chiliarchis, Centurionibus, bellique Præfectis & Tribunis; plerisq; etiam Conſiliarijs ſuis, magno cum triumpho oppidum Bonnenſe intrauit. Mox omnis ætas, ſexus, ordo, ad conſpectum eius effuſiſſimo gaudio concurrit; neminem neque ætatis imbecillitas, neque cura rei familiaris, neque pudor, neque valetudo domi potuit alligare; quo minus oculos ſuos tam expectati Principis expleret ſpectaculo: Gratulabantur, applaudebant, felicem Archiepiſcopum, felicem ſe clamabant omnes: Omnes gratias agebant Deo; quod pacem vnà cum tali Principe accipere meruiſſent. Carolus quoque Truchſeſius, & tres alij Centuriones captiui, ex arce Poppelsdorff Bonnam reducti ſunt, & Carolo loco carceris datum eſt Archiuum, quod nuper ſpoliauerat, vbi cum aliquamdiu detentus eſſet, Huum Diœceſeos Leodienſis oppidum deductus, ibidem in arce altiſſima rupe extructa, cuſtodiebatur. Archiepiſcopus poſt ſolemnem hanc inaugurationem ad conſtituendam, & componendam deinceps Rempublicam animum adiecit: religionem labefactatam reſtaurat, leges reparat, exules reuocat, nouamque Reipub. formam, quantum pro tempore fieri potuit, inducit. Vbi clementia, clementiam: vbi ſeueritas adhibenda erat,

ſeueri-

ſeueritatem admonuit. Didicerat enim ita probandam eſſe manſuetudinem, atq; clementiam; vt etiam adhibeatur Reip. cauſa ſeueritas: ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt; in ſeditioſos itaque, perfidos, & perduelles animaduerſum eſt.

Feb. 28.

Quid in conuentu Brielenſi actum eſt commemorauimus antea. Sed quia ſumma rei pecuniariæ in caſtris Truchſeſianis erat (licet iam ſexies totam VVeſtphaliam cenſuerat Gebhardus, & ad indictiones, oblationesque grauiſſimas compulerat) neceſſitas, Ordines ad nouum colloquium in Ruden conuocantur, vt in nouas, nuperq; petitas exactiones, conſentirent. Sed re penè infecta diſceſſum eſt. Nihil Gebhardus, quamuis ſe valde popularem, comem, & blandum exhiberet, quamuis ipſe cum Agnete ſua Pſalmodias in templis caneret, quamuis Eccleſias ſuo more reformaret, à VVeſtphalis impetrare potuit. Qualem autem Eccleſijs deformationem intulit, hic libet recenſere.

Conuentus in Ruden.

Initio iubet, ne quis in poſterum in Eccleſia Latini idiomatis vſus ſit: ſed omnia patria lingua etiam Matrimonij copula, Baptiſmus, & Cæna Dominica germanicè adminiſtrentur. in Baptiſmo exorciſmus, Chriſma, exufflationes, aliæque Catholicorum ceremoniæ omitterentur.

Deformatio Eccleſiarũ VVeſtphalicarum.

Extremam vnctionem, atque intronizationem ſex dierum (ſic puerperarum purificationem vocat) interdixit. Catechiſmum diſcere, & in templis doceri: confeſſiones audire, conciones de fide & moribus inſtituere præcepit. In ſacrificio Miſſæ hunc ordinem obſeruari voluit.

Initium à Pſalmo fieret, inde capitulum è nouo Teſtaméto legeretur, & collecta ſubijceretur: poſtquam capitulũ è veteri Teſtamento iterum legeretur, & Pſalmus decantaretur: cui ſtatim Symbolum annecteretur; inde cõcio fieret: ſub cuius finẽ

communis fidei confeſſio recitaretur; qua finita, poſt breuem Pſalmodiam explicatio Cœnæ Dominicæ, ex Catechiſmo Lutheri declamaretur; Oratio Dominica, & verba conſecrationis legerentur, & breuis hymnus caneretur, poſtea communicaturis Euchariſtia adminiſtraretur: tandem poſt collectam, & Benedictionem populus dimitteretur. Atque hæc omnia vernacula lingua fierent. In Baptiſmo conferendo hunc modum inſtituit. Ex Catechiſmo officium Compatrum, vel Patrinorum recitaretur: inde Euangelium Marci 16. cum oratione dominica, decalogo, abrenunciatione Sathanæ, & confeſſione fidei: inde trina immerſio cum debita verborum forma fieret, & tandem infans obſtetrici redderetur.

Quamuis Matrimonium Sacramentum eſſe negat, tamen proclamationes diebus dominicis tribus in Eccleſia fieri, ante copulam voluit. atque vt inde publicè in templis ante ſummum altare ſpõſus ſponſæ vernacula lingua coniungeretur. iuxta ritum qui in conſtitutionibus Archiepiſcopi Hermanni à VVeda inuenitur. Singulis Sabbathinis, Dominicis, alijſque feſtis diebus, campana ante veſperas pulſaretur, vt qui Euchariſtiam percipere cupiat, tunc Parochum accedat, eique confiteatur. Si quis è ſuggeſtu aliquid proclamari cupiat, id cuſtodi aut Parocho domi, non in templo ſignificaret. Corpora defunctorum cum Pſalmis & funebribus concionibus ſepeliri, & Ludimagiſtros eorumque diſcipulos funus comitari: atq; in omnibus conuenientem ordinem ſeruari iuſſit. Omnium & ſingulorum hominum peccata, Deo in communi vel dominica Oratione repræſentarentur. Omnia verò quæ formam, ſpeciem, aut ſimilitudinem Papatus referrent, vitari, atque explodi seriò mandauit. Stolis, caſulis alijſque veſtibus ſacris vti interdixit: ſed loco illarum oblonga & pulla toga Miniſtros indui voluit. Imagines, luminaria

naria interdiu, conſecratos cereos, Chriſma, & ſal reijci præcepit. Has aliaſque nonnullas nouas, & à Catholica Eccleſia nimis alienas conſtitutiones per VVeſtphaliam introduxit. probè ſuo ſe munere functum exiſtimans, quod Eccleſiam ſic reformaſſet.

Cum Mimus olim ad Neptuni, Palladis & Vulcani artificium dijudicandum vocaretur (vt eſt apud Mytologos) iamque Vulcanus hominem, quem fabricarat, produceret; eum & Palladis arci, & Neptuni tauro prætulit. ſed vnum in tam nobili opere arguebat, hominem ſcilicet calatratum pectus non habere: vt quid in corde lateret, cuiuis fieri poſſet manifeſtum: non illepidè dictum, ſed & ſi fieri poſſet, optandũ quod Mimus ſalsè notabat. *Mimi in homine reprehenſio.*

Si calatratum pectus habuiſſet Truchſeſius, non collegas ſuos Canonicos, non Conſiliarios, non Nobiles & oppidorum Magiſtratus fefelliſſet, tunc, cum VVeſtphaliam deſerens Bonnæ occupationem meditabatur: latebat tunc in animo hæc, quam præmiſimus, Eccleſiæ deformatio; cum ille interim Catholicam reformationem foris promittebat, Catholicam dico, Eccleſiæ Romanæ conſentaneam. Formulam enim huius reformationis iam ante conſcribi fecerat, quam ex VVeſtphalia ad Rhenum rediturus, ſe Nobili viro Neuelinck Reckio, per VVeſtphaliam Commendatori, Doctoque & eximio Domino Iohanni Nopelio Sacræ Theologiæ Licentiato, Cæſarisvverdæ Decano, transmiſſurum promiſit: vt ad eius præſcriptum Eccleſias VVeſtphaliæ reformarent. Sed vt Lectori conſtet, vel inſignis Truchſeſij ſimulatio, ſi finxerit; aut humanæ mentis inconſtantia, ſi eius ſententiæ tunc fuerit: hanc formulam ex ipſo autographo, propria Gebhardi manu ſubſignato, & ſigillo eius munito transſcripſi, latinèque factam huic, vt antea promiſi, loco reſeruaui. Poſt epigraphen.

Digitized by Google

Reformatio Catholica Gebhardi.

Ante omnia inquit, Conſiliarij noſtri, & Decanus ad oppidum noſtrum Volckmerſen proficiſcetur, eoq́ Commendator recens creatum Prætorem noſtrum, Theodoricum à Boecholtz vocabit, eiq́ mãdabit nobis per omnia (vti decet) parere. Prætereа mandabitur incolis Volckmarſenſibus; vt in antiqua noſtra vera, & Catholica fide perſeuerent: omnem nouitatem huic aduerſam, ſi qua irrepſerit, confeſtim explodant. Quamuis etiam ijdem Incolæ nobis ſupplicarunt, vt mutationem aliquam ipſis permitteremus, tamen id recuſauimus, nullam nouitatem ipſis concedere voluimus, imò ſeriò præcepimus, omnem nouitatem tollere, & in poſterum nullam admittere.

Paſtorem quoq; aliosq́; Eccleſiæ, atq́; Scholæ miniſtros ad ſe vocabunt, illorum vitam atq; doctrinam examinabunt, & diligenter, non tãtum hic, ſed & in alijs Weſtphalici noſtri Ducatus, locis, aduigilabunt: ne quis Paſtor, aut Eccleſiæ miniſter non Catholicus, inidoneus, aut vitæ corruptæ feratur: Sed vbicunq; inueniatur alterius, quam Catholicæ fidei, ad curam animarum minus idoneus, vitæ non integræ, ſed in publica impuritate, & concubinatu viuens, aut vxoratus; vbicunq; etiam Ludimagiſtri reperientur ſchiſmatici, vel indocti, ij ſtatim officijs ſuis priuentur: & quibus ius eſt nouos deſignare, ijs mandetur; vt intra conſtitutum tempus alios Catholicos idoneos, & pios Paſtores, Eccleſiæ miniſtros, & didaſcalos in eiectorum locum ſurrogent, & quid iſto temporis ſpacio actum ſit, nobis ſignificent: bonorum etiam, & redditúum ad Paſtoralia munia, ad beneficia, tẽpla, ſacella, & ſcholas pertinentium catalogos, ſine vllo fuco nobis trãſmittant: vt conſilium ineamus, quomodo, & Eccleſiis, & illorum miniſtris ſufficientes portiones aſſignentur.

Inde in oppidulum Montis Martis ſeſe conferent, & Præpoſitum eiuſdem oppidi, cum Abbate in Breidlaer vocantes, Senatui exponent: nobis relatum eſſe, ipſos tum in communione, tum etiam in aliјs quibusdam religionis articulis, multam nouitatem, veræ & antiquæ noſtræ Catholicæ ſidei aduerſam vſurpare. Cum itaq; eam in noſtris prouincijs ferre nequeamus, dicetis, ſeriò ipſis à nobis mandari, vt omnem hanc alterationem reijciant, & in Catholica religione

ne

ne conſtantes permaneant. Quin etiam vel huc, vel in Abbatiam noſtram Breidlarenſem Paſtores omnes in noua & veteri oppido Marſpergenſi, Harhauſen, Oſſelingen, Thulen, Almen, Canſtein & Henduhauſen euocabuntur; eiſq; non propriè per modum Eccleſiaſticæ viſitationis, (ſi qui fortè alterius Diœceſeos ſint) ſed ex noſtro, tanquam Principis ſui mandato proponetur, vt demonſtret, vbi ſacerdotio initiati ſint, vbi concionatores facti: confeſſionem fidei recitent: quid ſubditos noſtros doceant; quot, quæ, & quomodo ipſis Sacramenta adminiſtrent: Quibus in Eccleſia ceremonijs vtantur, quem Catechymum, quas homilias, & quos legant auctores: an Sacrificium Miſſæ patrio, an verò latino idiomate peragant: an latinè vel germanicè Pſalmos decantent, an vxores habeant, an in concubinatu viuant, ad hæc & his ſimilia perſpicuè reſpondeant, & ſi compertum fuerit eos ad ſacerdotium ordinatos non eſſe, aut vxoratos eſſe, aut non Catholicos, certũ tempus ipſis præſcribatur quo noſtris Weſtphalicis Prouincijs excedere iubeantur: prohibeanturq; noſtros ſubditos inpoſterum ſeducere. Qui autem Sacerdotes ſunt, & vxores non habent, ij ab offendiculis & peruerſis moribus abſtinere compellantur. Quid verò poſt huiuſmodi viſitationem ſubſecutum, qui paſtoribus vitæ neceſſaria debent, quibus competit in oppido Marſpergenſi Catholicum Gymnaſium erigere, eiuſq; didaſcalos & Eccleſiarum miniſtros conſtituere: Cui ius eſt ibi pueros confirmationis Sacramẽto munire, & quando id poſtremo eſt adminiſtratũ, Præpoſitus, Conſules, Senatus & Iudices noſtri in Marſperg, & Brylon cum Abbate in Breidlaer fideliter nobis perſcribant.

Tertiò ad alias etiam partes, quæ immediatè non tantum in noſtris ducatibus, ſed & in Diœceſi noſtra ſitæ ſunt, nobiſq; non tantum vt Principi: ſed & vt Archiepiſcopo parent, vt ſunt: Medebachium, Brylon, Ruden, Geſeken, Ervvitte, Callenhard, Waerſtein, Meſchede, Werl, Menden, Balue, Attendorn, Olpe, Drolshagen; aliaq; ad loca, vbi neceſſitas id poſtulabit, declinabunt, atq; in præſentia Sigilliferi noſtri Werlenſis, Eccleſiarum, Gymnaſiorumq; horum & vicinorum locorum miniſtros accerſebunt: & hoc modo viſitabunt, inquirent, examinabunt, corrigent, &

ſi

ſi rei ſint, aut ab officijs eos ſuſpendent, aut omnino priuabunt: Prout in ſingulis locis ad Catholicæ religionis promotionem, ſchiſmaticarum nouitatum extirpationem, bonorum morum, inculpatæq́; vitæ introductionem, neceſſarium aut vtile fore iudicabunt.

Singulis autem in locis Ludimagiſtri Eccleſiarumq́; miniſtri interpoſito iuramento nomina librorum ſuorum recitabunt. Paſtoribus autem in mandatis dabitur, vt eorum, qui ipſis non confitentur, quiq́; Sacroſanctam Euchariſtiam ab ipſis non percipiunt, nomina quotannis, poſt Paſcha, vel nobis, vel generali noſtro Satrapæ, aut Officiali ſcripto tradant; vtq́; corpora eorum, qui illud ex contemptu prætermiſerint, in cœmiterijs iuxta cineres aliorum Catholicorum Chriſtianorum non ſepeliant. Imperamus etiam Iudicibus, Conſulibus, Magiſtratibus, alijsq́; Præfectis, præcipuè autem Decanis ruralibus, non ſolum in his omnibus Paſtoribus opitulari: ſed etiam ne quos Paſtores, aut Sacellanos non legitimè ordinatos, nec vllos Ludimagiſtros, aut Eccleſiarum miniſtros non Catholicos, nec Paſtores vxoratos, aut publicos Concubinarios diſſimulando ſuſtineant: ſed eoſdem ad Generalem noſtrum Satrapam & Officialem Werlenſem deferant. ne illorum expulſio impediatur ſed promoueatur. Vt quiſq́; ſe gerat ſecundum Catholicæ Religionis normam, ab omni nouitate, tam in communione, quam in germanicis Lutheranorum hymnis decantandis, alijsq́; rebus ſeſe abſtineat. Sacramenta Catholico more, ſecundum ſuæ parœciæ ritum percipiat: loca ſuſpecta non accedat. Horum omnium euentus, ſicut & præcedentium nos certiores facietis, & Eccleſiaſtica bona annotabitis, vt Paſtoribus, &c. de neceſſarijs prouideatur.

Quidquid in his omnibus prædictis Deſignati noſtri acturi, atq́; effecturi ſint, ſcire deſideramus, & illorum relationem patienter expectamus.

Hanc Viſitationis formulam iampridem anno ſcilicet 81. conceperat, literas etiam ad Iohannem Rammium Oeconomum in Arensberg addiderat, quibus ei mandabat, vt venientes ad huius viſitationis executionem Deſignatos, benignè exciperet,

ret,& humaniter tractaret. Erat,aut ſimulabat ſe tunc eius fuiſſe opinionis, quod 26. Iulij eiuſdem anni hanc Viſitationem auſpicari vellet. Sed res dilata fuit, & quoties ſuſpicionem quis de ipſo concipiebat,toties ſe viſitationem hanc inſtituere velle promittebat, vſque ad ſuum ex VVeſtphalia diſceſſum,cum promitteret, ſe illius felix auſpicium 14.Ianuarij daturum.

Commemorauimus itaque, beneuole Lector, duas reformationis formulas, quas ſi inter ſe conferas, videbis vnius eiuſdemq; Principis tam exiguo temporis interuallo, tam diuerſam & aduerſam opinionem;vt Chameleontis potius mutabilitatem, aut Vlyſſis vafritiem in ſchola Machiauelli edoctam, quam veterum Germanorum referre dicas animi conſtantiam.

Rebus Bonnæ,vt dictum eſt,compoſitis,milites ad ſigna conuenire iubentur, luſtratoque exercitu, maturato itinere Bedbergam obſidere,aggrediuntur. Eſt autem Bedberga oppidulum ad Erfium fluuiuum natura magis,quam arte munitum, niſi quod & arcem habeat; Parebat autem imperio Nuenarij, qui arcem vnà cum oppidulo cuidam Schreckio Buſcoducenſi Centurioni fortiſſimo, atque imperterrito,dederat cuſtodiendam. Is ſub ſe militem habebat ad omnia paratum: quotidianas excurſiones faciebat, itinera infeſtabat, mercatores obuios,incolas ſimul atque accolas,in vincula conijciebat,prædas latiſſimè agebat,& Diœceſin miſeris modis depopulabatur. Traducto itaque exercitu Bauarus,oppidulũ paruo negotio capit: inde omni ſtudio oppugnationi arcis inhæret; militum animos nunc ira in hoſtem ſtimulando, nunc ſpe præmiorum accendit; erat enim ingens in arce præda & vtilitas, quam quiſque ex ea percipere ſperabat, vehementer animos eorum confirmauit. Cumque iam aliquamdiu arcem fortiter oppugnaſſent, tandem vi tormentorum ſtratis, atque

Digitized by Google

que euerſis circumquaque muris;cum ſi ad manus ventum fuiſſet,hoſtem repellendi ſpes reliqua non eſſet;Schreckius maximas noui Electi vires, ſuorumque deſperatam ſalutem ponderans, deditionem qualem potuit,non qualem voluit,cum hoſte paciſcitur:vt ſcilicet arcem Archiepiſcopo traderet, ipſe cum ſuis,abiectis armis,in fidem reciperetur,& victor exercitus à cæde ſe abſtineret: addito promiſſo quod ſub Truchſeſianorum ſignis ſex menſibus non militarent.His conditionibus armis omnibus,præter gladios exuti,& dimiſſi ſunt.

Martij 9.

Præmiatores ad ſuos in Gelriam reuerſi ſunt:ceteri gregarij milites plerique dato ſacramento Bauaro deinceps militârunt. Schreckius liberaliter tractatus, eò quod captiuos Bauarianos ſemper humaniter habuiſſet, liberè tandem dimiſſus eſt. annum, menſem & diem in diſticho ſubſequenti licebit numerare.

HeſperIas nono MartI fVgIente ſVb VnDas
SoLe, fVrens BaVaro Bebber aperta fVIt.

Mart.14.

Poſt quatriduum Dominus Iohannes Manricus ſuas copias, & aliquot haſtatos equites, Cæſaris-VVerdæ trans Rhenum duxit: vt cum ſumma celeritate,conſternatis iam Truchſeſianis,Recklinckhuſenſe oppidum, cum toto territorio hoſti ereptum, Bauaro reſtitueret. Mouens itaque agmen ſuum in pago Buer caſtrametatus eſt. Quod cum Truchſeſio nunciatum eſſet, ipſe confeſtim collecto exercitu, cum omni equitatu & peditatu, ad pagum hunc contendit: ſperans ſe copias iſtas cædere,& fugare poſſe.Manricus huius per exploratores certior factus,nō ignorans hoſtium vires ſuis maiores eſſe,12.Kal.Martij hora circiter nona veſpertina conuaſare, & caſtra aliò transferre iuſſit. VVeſterholtij cum in Buer veniſſent, nec hoſtem inueniſſent, iniecto igne pagum exuſſerunt. Manricus verò in Mullem, ad fluuium Rouram caſtra locauit: vt copias augeret: quod & poſtridie

Mart.21.

factum

Digitized by Google

factum eſt. Ipſo enim Palmarum feſto Dux Ferdinandus, cum toto exercitu Dorſthenum aduenit. Erant eadem nocte oppido huic à Truchſeſianis ſtructæ inſidiæ, ſperabantque ſe ductu atque auſpicijs cuiuſdam nouæ religionis hominis oppidum occupare.

Quod & fortaſſis feliciter ipſis ſucceſſiſſet, niſi Bauarianorum copiæ, ſummæque vires, ipſos exanimaſſent. Sed Truchſeſius ſibi, ſuiſque metuens, verſus VVeſaliam, Cliuiæ oppidum, caſtra mouit. Non procul ab oppido hoc inſigne eſt monaſterium Carthuſianorum: in illud irruentes Truchſeſiani, atque obuia quæque diripientes, monaſterium miſerè ſpoliauerunt. Morabantur tunc temporis VVeſaliæ Comes Holakius & Nuenarius: hos inuiſit Gebhardus, & magnam illorum promiſſionibus rerum gerendarum ſpem concepit: dum aliquot milia peditum illi, ad expeditionem perficiendam, pollicerentur: admonerentq; hoſti iam numeroſiori tam diu cederet, donec copiæ cõiungi poſſent. Sed Bauariani inuictis animis Truchſeſij agmen ſequebantur: donec tandem ſub finem Martij, in pago quodam comitatus Zutphaniæ ad fluuium antiquæ Iſelæ poſitum, illud aſſecuti, inſigni victoria ſtrauerunt. Tanto enim ſilentio, tantaq; celeritate iter faciebãt, vt nihil minus Truchſeſiani, quam de hoſtis præſentia cogitarent. Cum iam quingentis tantum paſſibus abeſſent, Dux Ferdinandus 300. ex Gallia Belgica pedites, omnes equites ſclopetarios, Nicolaum quoque Baſtanum, & Arcanatium cum Viçario Domini de Montigny, in prima acie conſtituit: in media copias Domini Iohannis Manrici de Lâra: Ferdinandus verò & aulici, militari ordine, quaſi iam iam ad pugnam parati, ſe his immiſcuerunt, quos quinque equitum ſigna nuper à Bauaro conſcripta ſubſequebantur. Burgundus tandem quidam Torayſe, & Capitaneus Ionas cum ſignis, qui ſub Erlachio milita-

Mart. 31.

Pugna Burgenſis.

militabant,relictis omnibus impedimentis,agminis tergum clauſerunt, omnes qui in agmine fuerunt,præſenti erant animo, & ad prœlium promptiſſimi. Putabat enim Ferdinandus hoſtem cum toto exercitu ad manus venturum, & ſtataria cum ſuis pugna dimicaturum. Verdugius quoque Hiſpanus Chiliarcha inuictiſſimus, cui tunc cura vtriuſque Phriſiæ, Transiſulaniæ, & Zutphaniæ à Rege Hiſpaniæ erat concredita, cum octo lectiſſimis ſignis Ferdinando magnis itineribus ſubſidio venturus properabat, & ſi res ad prœlium veniſſet,tempori adfuiſſet. Cumque agmen moueret Ferdinandus, tandem ad pagum aut municipium Burgenſe venit:vbi Henricus Brunſvvicenſis Nothus, tantum cum 600.equitibus & 200.ſclopetarijs caſtrametabatur. Ille cum per exploratores didiciſſet,hoſtem imminere,copias ſuas caſtris educit.Biato verò & qui ſub eo erant leuis armaturæ equites,primam impreſſionem fecerunt. Arcanatius illos ſubſequebatur, Galli verò Belgici in ſyluula vicina,à via aberrantes,paulò ſerius venêre. Initio Bauariani ter in fugam verſi ſunt: ſed cum Galli iſti 300. ſe ceteris adiunxiſſent, prœliũ redintegratum eſt, diſiectaque trabea mole; quæ viam tranſuerſa occludebat, apertoque latere impetum fecêre Galli; equitesq; cõuerſa ſigna fortiter intulêre,ancipiti prœlio aliquamdiu atque acriter,acrius tamen quam diutius, aduerſis frontibus pugnatum eſt. Tandem Truchſeſiani vulneribus defeſſi,cum diutiusBauarianorum impetum ſuſtinere non poſſent, diſſolutis cuneis initio pedem referre cœperunt,paulò poſt interrupto planè ordine, ſeſe in fugam coniecerunt. Ceterum quia locus anguſtus erat, & Bauariani illos inſequebantur,nullum elabendi ſpacium ipſis eſt relictum:hinc amne,illinc hoſtibus claudentibus.Cęſi itaque penè omnes,aut capti,aut in flumen, cui antiqua Iſela nomen,proiecti,obrutique ſunt. Ex

Digitized by Google

fuerunt,qui palantes, vagique in proximas ſyluas & ciuitates profugerunt. Quingenti in ipſo conflictu ceciderunt: reliqui omnes viui in poteſtatem hoſtium venerunt, ex Bauarianis 17. tantum deſiderati ſunt,vulnerati verò plures: inter quos Arcanatius, cum duobus nobilibus,quorum alter Verdugio, alter Domino de Montigny vicariam operam præſtabat,& Capitaneus Horatius,omnes in capite læſi:non enim hoſti animus deerat, non audacia: neque enim tota pugna auerſum hoſtem videre vllus potuit, priuſquam ſimul fugerent omnes: ſed militaris diſciplinæ peritia, virtute & felicitate(præcipuè verò ope diuina) hoſtem initio multo ſe numeroſiorem, Bauariani ſuperarunt. Henricus Brunſvvicenſis cum ſigniferum ſuum Baronem quendam Miſnenſem ex hoſtium manibus liberare vellet, in mediam aciem diſcurrit: tribuſque vulneribus grauiter ictus, tandem comprehenſus, & ad exercitus Imperatorem ductus eſt. Quem cum nec ille nouiſſet, nec ab illo noſceretur,rogatus eſt,num Chirurgi operam cuperet,qui vulnera curaret? reſpondit, ſe illam deſiderare; & quia tam pugnando,quam ſanguinem copioſum fundendo laſſus atque ſitibundus erat, hauſtum vini poſtulauit: petijtque vt à Gallorum violentia vita eius vindicaretur. Annuit petitionibus eius Dux Ferdinandus: traditumque liberæ cuſtodiæ,humaniter illum habuit; donec tandem in arcem Cæſaris VVerdenſem abductus eſt. Cum Bauariani receptui canentes, occupato pago, ad impedimenta & carros veniſſent, ingenti præda potiti ſunt, torques aureas, argenteos pugiones, gladioſq; capulis deargentatis,& ſimilia ornamēta quam plurima inuenerunt: exuuiarum nec pretium nec numerus erat vllus. Cum verò ad currum Ducis exercitus ventum eſt, compilatis ijs quæ in eo erant,repererunt ſignum prætorium, ex panno tramoſerico candido, quem Damaſcenum

vocant,confectum:in cuius medio inſignia Archiepiſcopatus Colonienſis, nigra ſcilicet crux in campo albo erant depicta, in crucis autem medio inſignia Truchſeſianorum in VValburg:in vertice crucis, pileus miniatus,Electorum ornamentum: & ſupra illum DOMINVS, ab vtroq; latere FORTITVDO, infra verò MEA, aureis literis exaratum conſpiciebatur. Confecto prælio, equitum Regiorum Prefectus Thomas, cuius præclariſſima fortiſſimorum factorum apud Regios eſt memoria, cum 7. lectiſſimis equitum cohortibus aduenit,ratus nondum ad pugnam ventum fuiſſe. Bauari tam inſigni muniti exercitu, Truchſeſium & Alpenſem, qui 1000. adhuc equites ſub ſe habebant inſequi poſtquam decreuerant, per exploratores cognouerunt,eos metu perterritos, Iſſelam primum,deinde etiam Rhenum traieciſſe, & ſeſe in Batauiæ inſula,inter Leccam & VVahalam munire.Mutato itaque conſilio incenſoque pago, ob militum tergiuerſationem, Dux Ferdinandus exercitum in territorium Reckelinckhuſenſe oppidum confeſtim obſedit,circaque veſperem per Fecialem deditionem poſtulauit. Præſidiarijs verò deditionem negantibus oppugnare ſtatim oppidum præcepit, ſed quia muri nondum diſturbati erant, nihil prima, nihil ſecunda & tertia oppugnatione actum eſt. Interea dum in hac oppugnatione occupantur Bauariani, præſidiarij qui in arce Horenburgica erant,extrema annonæ neceſſitate circumuenti, nocte intempeſta puluere, fomentis, maioribus machinis, omnique apparatu bellico diſturbato,disjecto,atque infecto,turpiter arcem deſeruerunt,atque aufugerunt. Ferdinandus videns maiori diligentia, totisque viribus in oppugnando Reckelinckhuſenſi oppido opus eſſe, alijs medijs vti decernit, ingentemque ad oppugnationem apparatum comportari fecit. Quod cum viderent oppidani,metuerũt: & quia Truchſeſij

Digitized by Google

ſeſij exercitu cæſo, fugatoque nullum ſubſidium expectabant, fruſtra ſe periculis exponere diutius noluerunt: ſed cum Duce de oppidi deditione agere cum optarent, ad colloquium admiſſi ſunt: oppidumque e Bauaro circa horam nonam matutinam 4. Non. Maij tradiderunt hac conditione: vt quos in fidem recipere vellet, & quos nollet, ipſi liberum eſſet. Recuperatis hoc modo Horenburgio & Reckelinckhuſenſi oppido, Centurio, cuius fidei caſtrum VVeſterholtium commiſſum erat, videns felices Sereniſſimi Bauariæ Ducis Erneſti victorias & Truchſeſium vbique infauſto Marte pugnare, huius quoque caſtri deditionem obtulit, & cum ſuis in fidem receptus arcem reliquit: Truchſeſius verò Gebhardus poſtquam intellexiſſet felicem Bauari in bello gerendo fortunam, ſpem retinendi Archiepiſcopatus abijciens, ad Auraicum Principem Delphos Batauorum profectus eſt. Nuenarius quoque ad Ordines Gelriæ conceſſit, qui eius opera in bello ſuo contra Regem Hiſpaniarum vtebatur.

SVPPLEMENTVM,

ſeu

CONTINVATIO HISTORIÆ MIchaëlis ab Iſſelt, de Bello Colonienſi

Auctore

ARNOLDO MESHOVIO

Lippienſi.

Admiſſio hæreſum quam pernicioſa.

HAEreſes plurimis exitio fuêre, nec vllis à fide defectio profuit, peſſum iêrunt, quotquot religionem, rebus mundanis poſtpoſuêre: Nuſquam felicitas locum habuit, vbi ſacra contempta fuerunt, nuſquam laudabile quicquam aut præclarum, ſiue priuatim, aut publicè, ſiue pace aut bello geri potuit, ſi vel Magiſtratus vel ſubditi hæreſibus indulſerint; adeò cuiuſcunque ordinis hominibus obfuit, ab eo, quod indubitato verum, quod certum, quod Catholicum, quod ſacroſanctum, per ſummum ſcelus & periurium, maximo multorum ſcandalo, deſciſcere. Atque ijs tanto plus apoſtaſia nocuit, qui ſinceritatem fidei vultu tantum, reliquoque corporis hàbitu, vel cæteris feruentius colere videri voluêre. Senſit hoc, ſi quiſquam alius, & reuera ſenſit, Iulianus ille apoſtata, qui nihil vſquam laude dignũ geſſit, nec Imperium ſecurus diu tenuit, poſtquã ſemel à fide vera, quàm ſimulârat hactenus, impiè reſiluiſſet; ſed Deo & hominibus exoſus, animam ad orcum inglorius fudit. Senſit idem Conſtantius, idem Valens,

lens, idem Anaſtaſius, idem Capronymus, idem Leo, Imperatores Romani; idem, vt remotiores à nobis tranſeamus, Georgius Pogibrachius Bohemiæ, Chriſtiernus Daniæ Reges, reliquique Principes & magiſtratus, ſummi infimique omnes ſenſêre, qui ſacris ſecularia, veræ fidei hæreſes & ſchiſmata, anteponere nefas nullum cenſuerunt. Nihil ſub ſole veræ laudis, nihil felicitatis & gloriæ apud mortales meruêre: nec ditionum ſuarum fines dilatare, nec hoſtibus reſiſtere potuerunt; ſed ſemper victoribus cedere, ſemper ſubeſſe, imperijs exui, & vel fugâ ſalutem capeſſere, vel in manus hoſtium animas fundere neceſſe habuerunt, tametſi antè, quam in errores procíderent, fortunatiſſimi victorioſiſſimique vixerint; & ne patria quæ ſuppetunt, prętereamus exempla, nonne idem in confinijs, imò in hoc noſtro Archiepiſcopatu maiores noſtri obſeruauerunt? nonne de Euphrate, de Hermanno Comite VVedano, præſulibus Eccleſiæ huius, id ipſum hiſtoriæ prodiderunt? qui quantumlibet felices extiterint, mox atq; hæreſes admiſerunt, omnia pariter perdiderunt, locoque cedere compulſi, priuatam in erroribus vitam exegêre. Quid de Gebhardo Truchſeſio proferemus? annon is cum adhuc Catholicæ fidei zelum præ ſe ferret, cum feruorem religionis oſtenderet, infimorum æquè atque ſummorum animos in ſe allexit? annon præclarum apud quoſque nomen meruit? at poſtquam nutare, poſtquam ab auita fide in errores, declinare, & ijs hominibus locum dare, eoſque defendere ac tutari cœpit, qui eum tam malo exemplo hæreſibus infecerunt, annon omnia momento perdidit? auctoritatemque ac nomen apud omnes amiſit? nonne qui familiares ante, qui amici, qui fautores, qui collegæ, ab eo receſſerunt? nonne obſeruatum eſt, & ante nos veriſſimè ab M. Iſſeldio expoſitũ ab eo tempore, omnia ipſi, quam voluerit, ſecus obtigiſſe? quoties enim plurimo-

Digitized by Google

morum magnatum animos,quos ante ſæpè deuinctiſſimos ſibi expertus erat, ſollicitauit? quoties gratiam aliorum expetijt? quoties aduerſariorum explosionem exoptauit? quoties religionis ſuæ exercitium publicitus introductum voluit? quoties in gradu dignitatis priſtinæ, in authoritate & reſpectu defendi aſſeruarique quâ priuatim,quâ publicè deſiderauit, ac re ipſa ſubinde procurauit? ſed quid obtinuit?nunquid ſemper ſortem aduerſam tulit?ad eum quidem modum, verè dici vt poſſit,in fatis quodammodo fuiſſe, vt nec proficere,nec è malo eluctari vnquam poſſet. Quicquid pro ſe tutando machinaretur, quæcunq; auxilia, quoſcunq; Patronos acceſſeret, quicquid demum attētaret,inane ac fruſtraneum erat.Quid multis? cum armis,cum minis,cum rogationibus nihil aſſequeretur, cum ab omnibus prope derelictus, paucos tantum ſuæ,quam profitebatur,religionis ſocios, ſuperſtites, atq; eos quidē aliò ſenſim diffugere, aliudq; patrocinium exquirere cerneret, rebus deſperatis, Archiepiſcopatu tandem cedere, atq; eam prouinciā deſerere coactus eſt,quam tāto hominū applauſu tantaq; omniū laude Catholicus ſuſceperat, ac toto penè ſeptennio adminiſtrarat.

Poſt abitum Truchſeſij publica lætitia.

Eius abitu cognito,nuſquam triſtitia,vbiq; plauſus & gaudia exorta fuêre. omnes penè vrbes & oppida,& ſi qui alij præ metu Truchſeſianorum electo recens Bauaro reſtiterant, ij, inquam, actutum ſe vltrò ſubmiſerunt;& quod mirêre, quanto antea magis odioſum cunctis fecerant, tanto mox omnibus gratior fuit,vt nemo non eſſet,qui talem Principem tali munere dignum diuinitusque ſibi datum non proclamaret.

VVeſtphalia ſe dedit Bauaro.

Exiſtimabant multi,iamque hoc de VVeſtphalis ſibi firmiter perſuaſerant, futurum vt Bauaro negotium adhuc maius faceſſerent, nec cæterorum exemplo tam promptè ſuſciperent; eò præſertim, quod oppida quædā permiſſu ac voluntate Truch-

ſeſij

ſeſij religionem innouaſſent,ac perſuaſio iſta vana fuit; non detrectârunt imperium optimi Principis,ſed obedientiam vt ſubditos decet,maturè detulerunt. Interim tamen non defuêre ex miniſtris verbi,vt vocant,quos ad Eccleſiaſtica munia, locis quibuſdam, nouitatis auidi, intruſerant, qui commune vulgus in varia ſtudia trahebant, idque dabant operam, vt priuſquam Princeps admitteretur, & fidelitatis iuramẽtum acciperet,religionis exercitium cuique ſuum liberum permitteret. Quod vbi innotuit, per pios & publicæ tranquillitatis amantes,laboratum eſt,ne quid ex eo publicorum motuum cauſaretur.Quin &Princeps ipſe cum intellexit,quam in hoc contra manifeſtosImperij receſſus peccatum eſſet,quod priuatorũ quorũdam induſtria nouitas in fidei rebus inuecta fuerit, illicò miſſis doctis aliquot Theologis, collapſam religionẽ Catholicam reſtaurare,formareq; Rempubl.inſtituit. Florebat id temporis Ioannes Nopelius,vrbe Lippiâ,quæ eſt nõ ignobilisVVeſtphaliæ ciuitas,ortus,vir,ſiue vitam & mores,ſiue ingenium &eruditionem ſpectes,prǫſtantiſſimus, qui iam ab annis aliquot Collegio Canonic. Cæſaris Inſulę Decanus præerat,huncPrincipem viſitationis huius eſſe voluit.Is itaq; Arensbergam profectus, omnes toto Ducatu Paſtores eò confluere iuſſit, vt deſignatis Theologis fidei ſuæ rationem redderent, eorumque examini ſeſe ſubmitterent. Dictum,factum.Aduolant propediem Paſtores,ac fidei rationem rogati reddunt, paucis admodum exceptis oppidis, quæ nemine ex ſuis Paſtoribus miſſo, liberum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium concedi ſibi poſtulabant. Inter quæ erat Geſekia, duobus milliaribus ab vrbe Lippia oppidum, quod omnium præcipuè rem eam per legatos vrgebat. Quibus ita Nopelius, vt erat humani & mitis animi, reſpondit, ſe operam daturum,vt Electoris permiſſu de iſto negotio maturè

Reformatio in religione per VVeſtphaliam.

Digitized by Google

ſatis deliberaretur. Qua re effectum eſt, vt breui temporis ſpacio, totus VVeſtphaliæ Ducatus ſine milite & armis ad priſtinum ſtatum redierit, in quo hodieque per gratiam Dei, ſub Sereniſſimo Ferdinando Archipræſule conſiſtit & perſeuerat.

Truchſeſius Argentinam abit.

Truchſeſius interea apud Auraicum Delphis Batauorum morabatur, vbi cum menſem & amplius cum Agnete coniuge ſubſtitiſſet, inde Argentinam profectus, Decanatum ſuum, quem ex tot prælaturis reſiduum habebat, adijt, priuatam deinceps vitam acturus, id quod eo ipſo anno accidit, quo eodem cum paucis Archiepiſcopatu inglorius exceſſerat, qui fuit partus virginei ſuper mille quingentos quartus & octogeſimus cum ſeptem annis Electoratus gubernacula tenuiſſet. Vitam priuatus ad annum ſeculi huius primum perduxit, eoq; tempore toto, tametſi magna moliretur, nuſquam tamen inuenit, qui aut ad priſtinam dignitatem, quam amiſerat, reduceret, aut ad parem aliquam promoueret. Tentauêre quidem multi multa, ſed vel parùm, vel nihil efficere potuerunt.

Anno 1585. Noueſium occupat.

Comes quidem Nuenarius Noueſium ex inſidijs nocte tēpeſta cepit, ſenes inibi & iuuenes, viros & fœminas miſerandum in modum ſubegit, ciues auro argentoque emunxit, Eccleſias & monaſteria ſpoliauit, vrbis & pauperum æraria & loculos expilauit: Opulentiſſimam & propè incredibilem prædam corraſit, nobilium & Eccleſiaſticorum, qui huc veluti in tutum transmiſerant, cimelia & ornamenta, ſuppellectilem omnis generis, & ſupra quam dici poteſt, theſaurum hoc loco raptauit: Bebburianá quoq; Dynaſtiam & alia quædam oppida ſimili fraude & ipſe & vidua eius poſt mortē tentârunt, ſed pro Truchſeſio reducendo nihil momenti attulerunt.

Anno 1588. Bonna à Schenckio intercipitur.

Magnum quiddam in Caluiniſtarum oculis erat, VVerlam atque Bonnam vrbes à Martino Schēckio Capitaneo è caſtris Hiſpanicis transfuga, qui ſe Vicarium Truchſeſij nominabat,

nabat, Bauarianis eripi. Maxima quin etiam res videbatur, Comitem Eberſteinium VVeſtphaliam peruagari, prædonum cohortes, ipſo menſe Decembri, tempore ſacratiſſimo feſtis Paſchalibus, per Monaſterienſē & Paderbornēſem Epiſcopatus per Angariam & Montenſem Comitatum ductare, in pagis & oppidis, quicquid adlubeſceret, patrare, in ciuium domus irrumpere, ciſtis ac ſcrinijs inuolare, cellas & penuaria perſcrutari, veſtes, pecuniam, ſuppellectilem omnem abripere, viris æquè atque fœminis per nefarium ſcelus abuti; Eccleſiarum valuas effringere, imagines, tabulas, altaria & obuia quæque euertere, ornamenta diripere, baptiſteria Capronymico more defœdare, moniales ſubductis veſtibus & ſupra caput colligatis conſtuprare; Sacramenta pedibus proterere, Hoſtias conſecratas in equorum ora inſerere, oleoq; ſacro caudum caudas inungere. Hoc ipſum maximo ſuo damno & irreparabili Geſeikia clarius vidit ac defleuit: eundem inquam Comitem, eodem tempore humaniſſimè data fide admiſſum per ſummam perfidiam, crudeliter ac barbarè in primarium eius oppidi templum omnium primò irruere, obuia quæque diripere, altaria prophanare, artificioſè pictas tabulas, ſtatuas, organa comminuere; calices, hierothecas, aliaque ornamenta Eccleſiæ rapere, libros rituales, diaria, inſtrumenta, literas & ſigilla publica lacerare & diſrumpere. Inde in Curia eodem furore debacchari. Priuilegia, documenta, quæque ad Reipublicæ ſalutem ſpectabant, diplomata Principum frangere ac dilacerare. Incredibilis eſt & vix lingua proferri, ne dum calamo ſcribi (ait Senatus) poteſt, plus „ quam barbara crudelitas, quam Angli & Germani „ ea nocte exercuerunt, tyrannis in viros & fœmi- „ nas ſtatuta, quam turpiter matronas honeſtas & „ virgines tractarunt. Quoſdam nudos flagellis & „ virgis cæciderunt; quoſdam feruenti aqua perfu- „

Anno 1590. & 91. Weſtphalia infeſtatur.

Barbaries & crudelitas militum

» perfuderunt, nonnullos è pedibus ſuſpenderunt;
» hos manibus poſt tergum reuinctis ad ſcalas, axes
» & poſtes applicatos in altum eleuarunt, & rurſus
» multis inflictis plagis dimiſerunt, illos vinculis
» ferreis implicatos fuſtibus contuderunt. Sunt
» quos igni applicatos aſſarunt, & alij, qui feruenti-
» bus impoſiti fornacibus miſeris modis cruciati
» ſunt. Tantorum cruciatuum impatiens vnus ſibi i-
» pſi inter tormenta mortem conſciuit. quidam pau-
» lò poſt mortui ſunt, multi luxati & debilitati, pri-
» ſtinam valetudinem nunquam recuperabunt. His
» tam inauditis tormentis, ciuibus intolerabilia ly-
» tra extorſerunt. Omnia enim mobilia, vt ſuppel-
» lectilia, vaccas, equos, frumentum, aurum & ar-
» gentum factum & non factum iam antea ſurripue-
» rant. Ad hæc totis quatuordecim diebus contra fi-
» dem datam in oppido manſerunt: interea omnem
» annonam aſſumpſerunt. Hactenus Senatus apud
» Ianſonium, qui & ipſe eorum tyrannidem alibi ex-
» ercitam recenſens. In Reid, inquit, Marsberg &
» VVerl immanius etiam ſæuierunt. Narrant enim
» incolæ, hoſtes, quaſdam mulieres, poſtquam vio-
» laſſent, in puteos præcipites dediſſe, quaſdam iu-
» gulaſſe, quaſdam laqueis ſtramineis ſuſpendiſſe.
» Viros verubus affixos & igni applicatos torruerũt.
» Miſeris agricolis vltra triginta millia Imperialiũ
daleror um extorſerunt. Hæc & ſimilia nonnulli quidem ſatis crudeliter ac barbarè reformatorum more perpetrabant, ſed quod eò rem redigerent, vt Truchſeſius rurſus in priſtinum dignitatis gradum collocaretur, nec potuêre, nec Deus permiſit, qui Catholicorum vices miſeratus exiguo tempore hoc hominum genus humanis rebus, arcano ſuo iudicio ſuſtulit.

Mors Nuenarij lamentabilis. Nuenarius ſanè qui primipilaris & pars maxima malorum erat, miſerabili morte interijt. Namque cum Arnhemij anno 1589. ea contra Catholicos, quæ ſibi neceſſaria putabat, præpararet, cum con-

tra

tra Mansfeltium copias legeret, haſtas & acinaces compararet, ferrum & ignem moliretur, tormenta bellica in armamentario diſponeret, ecce ignis in tormentarium puluerem cadens, tantum incendium excitat, vt maxima pars ædium flammis correpta in imum proruerit, Comitemque Nuenarium complexa, medium inter labentia rudera diffuderit, toto corpore ſic vſtulatum, ſic lambente flamma ruiniſque læſum, ſic deformatum, vt & vix internoſci à quopiam potuerit, & è ruderibus proleuari. Qui præſentes aſtitere, dici non poteſt, quam multa hoc de repentino caſu, quam terribilia proferant. Vixiſſe ad paucos dies ferunt, ac tandem in ſummis anguſtijs, in doloribus, & cruciatu grauiſſimo, maximo vlululatu & clamore animam egiſſe. Martinum Schenckium aqua hauſit, cum Nouiomagum inuadere, Catholicos excidere, religionemque funditus tollere conaretur, inq; eius, cui ſe tũ deuouerat, manus tradidit, qui Numinis imperio digna ſolet laboribus præmia decernere. Eberſteinius cum ſuis tota Germania omnibus exoſus, & ipſe fortaſſis meritas actorum pœnas luit; reliqui ſanè qui caſtra eorum ſecuti, impijſque iuſſis paruerant, vltrices Dei manus non effugerunt, cum non multo poſt ab Hiſpano milite tota Diœceſi propulſati, inque aquas & ignem, in ferrum & laqueos iuſtiſſimo Dei iudicio acti, par pari, quod aiunt, referrent. *Schenkius ſubmerſus anno 1589.*

Interea verò Archipræſul Erneſtus, ſupplicationes decernere, ſubditos ad veræ religionis cultum, ad pietatem & deuotionem excitare, Eccleſias & Monaſteria reparare, vrbes & oppida communire, omnia in priſtinum florem reponere. Atque tum demum iuramento ſeptemviratus præſtito, ac diplomate cõfirmationis à S. Pontifice accepto, in celeberrimo Electorum, Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, aliorumque cuiusvis ordinis hominum cœtu, maximo omnium *Erneſtus Archiepiſc. regalia accipit.*

applau-

applauſu, ſumma lætitia & gratulatione ab Imperatoria Maieſtate feuda & regalia Archiepiſcopatus, in publicis Ratisbonæ comitijs petijt, & ſolemnibus cæremonijs obtinuit. Quæ res adeò aduerſariorum conatus infregit, vt tum primum ſpe omni reſtitutionis Truchſeſij abiecta, in ſua quiſque redierit, ſubinde licet nonnulli prædatum excurrerint, qui tamen nihil magni efficere, ſed vel prædas, ſi nemo obſiſteret, agere potuerunt, vel tranſitu facto, ſuapte ſponte ad ſuos viciſſim ſe receperunt. Elector autem Bauarus Archiepiſcopatui ſumma cum laude & gloria præfuit, ijſque virtutibus operam dedit, quæ & reuera viros Principes ornant & cunctis exemplo eſſe poſſunt: Hinc omnibus in Imperio gratus, collegis & Cæſari per omnem vitam charus extitit, nec fuêre vel Principum in Germania vel aliorum hominum vlli, qui eius amicitiam, gratiam, fauoremque non ambirent, idque cum propter ſingularem prudentiam, & qua plurimum pollebat, humanitatem; tum verò vel maximè propter eminẽtem, quẽ in fidei rebus exercebat, Zelũ factitabãt.

Truchſeſius moritur anno 1601.

Sed de his alio loco latius dicemus. Nunc ad Truchſeſium redeamus. Quid hic interea rerum actitabat? vbi vitam agebat? Argentinæ, vt diximus, degebat, omnium nunc, qui reſtituere parati erant, & conſilijs & ope deſtitutus. Solam Agnetem ſolatio, ſolam domi ſociam alebat, nec ab ea ſacerdos licet ac Deo conſecratus ſeiungi ante voluit, quam fato fungeretur, id quod exeunte Maio eius anni contigit, quem ſupra poſt mille quingentos primum & centeſimum diximus cum Carolum octennio ante, & Ferdinandum propè Buſcoducum anno 1585. germanos, & Ioannem Caſimirum vnicum protectorem 1592. acerbis fatis amiſiſſet. Argentinæ cum fratre Carolo, cuius corpus inſepultum hactenus domi aſſeruarat, in Cathedrali Eccleſia tumulari voluit. Septimus Idus Iunij

Digitized by Google

nij efferendo funeri datus. ad quod deducendum præter Capitulares, & Principes aliquot ac nobiles viros, Academia etiam à M. Bartholomeo Naſſero Rectore publico programmate inuitata fuit.

Concio in funere Truchſesij.

Concionem funebrem Ioannes Pappus verbi miniſter habuit, quæ typis quoque in publicum emiſſa fuit. Mirum quam hac Gebhardum dilaudet, quem Prophetæ Moyſi comparare non dubitat, quod fidem Catholicam, Eccleſiam Romanam, S. Pontificem, quem Antichriſtum nominat, deſeruerit, quod Auguſtanam confeſſionem amplexus impuro cœlibatui nuncium remiſerit, monialem thori ſociam adeoque vxorem duxerit, quod libertatem religionum ſubditis permiſerit, aliaque multa factitarit, quæ ſolent id genus præcones, cum Principes ſeduxerint, in laudem quaſi eorum, grauiſſimis in Catholicos calumnijs effutire.

Morbus Truchſesij.

Ad morbi genus, quo conflictabatur, quod attinet, id graue admodum tulit, vtpote acerbiſſimis podagræ calculi colicæque doloribus confectus, qui ſic ſenſim creuerunt, ſic corpus continuo cruciatu afflixerunt vt XXI. Maij octauã inter & nonã exſpirarit. placidè quidẽ vt ſcribit Pappus, ſed ſine vlla confeſſione peccatorũ præuia, ac corporis Dominici perceptione, in ea religione, quam non ita pridem incautus admiſerat. Concione finita Lic. Scheidenius viduæ nomine præſentibus gratias egit, quod tanti Principis funus, tam celebri præſentia tàm frequentes honoraſſent. Qua actione finita, tumulo funus illatum fuit, quod magnifico Epitaphio vidua exornari pridie curauerat. Atq; hic eſt vitæ finis, hæc meta Gebhardi Truchſeſij Colonienſis olim Archiepiſcopi, quam ea propter ſubiungere voluimus, vt quid rerum poſt depoſitionem egerit, quò declinârit, quemque demum exceſſum habuerit, poſteritas non ignoraret.

Admirari ſatis profecto hoc loco Dei prouidentiam non poſſumus, qua erga ditiones haſce omni-

Digitized by Google

bus quibus Truchſeſius ſuperſtes vixit annis, vſus fuit. Pijſſimi credo Archiepiſcopi Bauari, ac ſubditorum preces id gratiæ diuinitus impetrauiſſe; præſertim cum tot hoſtes, tot hæretici, tot vno tempore apoſtatæ, Eccleſiæ huic inſidias & exitium ſtruerent, & tamen nullo modo votis potirentur. Sed & id felicitatis benigniſſimus Deus adiecit, vt deinceps nihil hæreſum vſquam, tota Diœceſi, ad hanc vſque horam, qua hæc ſcribimus, vel admitti, vel radices agere permiſerit; quicquid etiam multi in contrarium, fruſtraneo tamen & irrito niſu conarentur. Id certè ſi ex quoquam alio exemplo, ex eo maximè patet, quod tam funeſto tumultu, in ipſa ciuitate Colonienſi Caluiniſtæ quidam, ſub ciuicæ libertatis prætextu, anno huius ſeculi octauo, ediderunt, quod breuiter, vt ad omnes emanet, ſubtexere viſum fuit.

Caluiniſtæ Coloniæ ſeditionem contra Magiſtrat. moliuntur.

Viuebat in vrbe Reinerus quidam, parentibus agri Ruremundani natus, homo aſper & rigidus. Hic Caluinianum dogma materno cum lacte puer hauſerat, idque ſuo more, vt iactabundus erat, plurimum ſemper, quà priuatim, quà publicè dilaudabat, vnicum id eſſe aſſerens, quo Colonia ſemel illuſtranda foret. Quin & quod ab alijs obſeruatum, maiora ſubinde in publicum fuderit. Hinc Caluiniſtæ grandia ſibi de iſto polliceri, in Conſiſtorijs, quæ clanculum cogunt, inter primos locum cedere, venerari ac ad eius nutum vitam & mores conformare. Fuère etiam ex zelotis, qui iam tum ducem introducendæ religionis ſuæ deſignarint, & propalam Catholicis dotes animi eius & ſtudia commendarint, quibus gratioſum reddere nitebantur, idque tegere, quod mente pridem pro euertendo Reipubl. ſtatu conſilium machinabantur. Quod cum multis annis agitaſſent, nec apud prudentiores (qui iam ſtrophas Caluiniſtarum didicerant) quicquam proficerent; viſum fuit, alium inire modum, quo

tandem

tandem ſemel animi ſui intentum adſequerentur. Ad hanc rem communis plebeculæ, quæ paleæ inſtar, leuiſſimo quouis motu, in quas volueris partes, abripitur, acceſſio requiri commodè videbatur. Itaque vt huius animis illaberentur, & ſibi adſciſcerent, id conſilij cœpere, vt in ſua quiſque tribu, quarum ſunt in hac vrbe duo & viginti, vulgò, ſed ſeorſim & clandeſtinè, ſuſpicionem ablatæ per Senatum libertatis ciuicæ ſubinde inijcerent. Exiſtimabant enim eo facto, maximam contra Senatum inuidiam odiumque ciuium excitari poſſe, quod nemo foret, qui ob imminuta priuilegia juſtè non vellet indignari. Succeſſit principio ſubdolum conſilium, & apud omnes plurimum breui inualuit. Diu res iſta latere non poterat. Itaque maturandum in propoſito Caluiniſtæ cenſuerunt, ne ſi Senatui innoteſceret, ſpe ſua fraudarentur. Auctor primarius mali Reinerus iſte erat, vti diximus. Ab hoc totius negotij ſumma & directio dependebat. Hunc adeunt omnes, rogant, obſecrant, rem pulcherrimam ne infectam elabi patiatur, ſed optatum eius ordiatur initium. Paret ille & in tribu ſua (quæ vietorum erat) ſequenti 28. Auguſti, vbi tum contribules omnes ſexcenti ferè numero conuenerant, ciuium animos longo ſermone contra Magiſtratum vehementer concitauit. Id qua fraude & aſtu fecerit, non erit abs re ſubiungere, vt vel hinc Caluiſtarum genium diſcas.

Tribus contra Senatū à Caluiniſt. concitantur.

Non ignorabat homo callidus, non credituros ſibi ciues, quos diuerſum religionis ſtudium ſequi videbat, ſi quod de adempta libertate contra Senatum mouebat, nudè ac ſimpliciter proponeret. Itaque vt fidem mereretur, iuramentum interpoſuit, erectiſque digitis, ciuibus affirmauit, aliud ſe nihil vnquam ſpectaſſe, nec etiamnum moliri, quam quod ciuibus libertatem reſtitutam vellet, quam contra ius faſque per Senatum

Fraus Calniſt.

tum

tum ablatam querebatur. Quod cum ſemel atque iterum elata voce ingeminaſſet, creditum eſt homini, non modo à Lutheranis, quorum cum Caluiniſtis octoginta nec plures nominabantur; ſed & à Catholicis, quibus hactenus ſuſpectus fuerat; quaſi ſub vocabulo libertatis Caluiniſmum introducere conaretur. Atque tum ſtrepitu ac clamore domus impleri, contra Senatum fremitus edi, tumultuarique cœptum. Res ad publicam ſeditionem ſpectare videbatur, adeoque quorundam animi exacerbati erant, vt tribu egreſſi vim in publico Senatui minitarentur.

Conſulatu id temporis fungebantur DD. Ioannes Hardenraedt & Guilielmus Hackſtein, Iuris vtriuſque Doctor, viri cum reliquis virtutibus, tum longo vſu rerum, eruditione prudentia & pietate celebres. Hi propediem Senatores reliquos conuocare, de medijs conſulere, quibus tribus iſta (nondum enim ad alias malum peruaſerat) ſedari poſſet, vt Reſpubl. ſaltem in membris ſuis reliquis ſalua, priuſquam luxaretur, conſiſteret. Placuit è Senatoribus binos ad tribum amandari, qui motum in principio reprimerent, & ciuium animos placarent. Tentatum id, ſed fruſtrà. Nec enim petitiones admittebantur, nec monitis locus erat, quod continuò Caluiniſtæ ſuggeſtionibus ſuis omnia reprobrarent. De auctore tumultus inquiſitum. Deprehenſus Reinerus, & ad tuendam Senatus auctoritatem, ad carceres ire, ciuium more, iuſſus. Id vbi ad tribum, & mox ipſum Reinerum delatum, pariturum ſe abnuit, & ad ſocios conuerſus, potius mori malle in tribu, quam eam ſubire infamiam, idque pro aſſerenda ciuium libertate indignabundus ingeminat. Sed & contribules Catholicos compellans in ſui defenſionem nouo motu excitabat. Hic tum vidiſſes, quam omnia in peius ruerent, quam in Senatum quiſque inſurgeret, qui clamores, quæ minæ tota

Senatus diligentia pro componendo motu.

domo

omnes vnum illum ſeruare, tantum libertatis vindicem defendere, etiam armis ſi opus foret, & à Senatu vis intentaretur, tutari. Quid facerent Senatus Legati in tanta ciuium perturbatione, quos nec monitionibus, nec precibus flectere poterant. Re infecta abeunt. Interea malum augeſcit, & ad reliquas quoque tribus perrumpit. Fit vndique plebis concurſus, vndique motus inſurgit. Catholici cum alijs permiſti currunt, communem quaſi libertatem contra magiſtratum propugnaturi. Concurſus de tribu in tribum, in multam vſque noctem durat, & nemo non in motu terroreque degit. Senatus & ipſe in Curia conſidens, nihil non mouet, vt malum tam atrox ſopiatur. Res viciſſim per intermedios agitur. Redeũt Senatus legati, auctoremq; mot⁹ depoſcũt, quod eo præſente nihil effici poſſe demonſtrarent. Res mira, ſic omnium mentes vnus Caluiniſta faſcinarat, vt nulla Senatus petitio locum haberet. Eodem animo quo ante, hærebant, ſuffundentibus ſcilicet frigidam Caluiniſtis, qui ne quid Magiſtratui concedi videretur, vnicè allaborabant. Afflicta erat per vrbem rerum facies, miſerabilis Catholicorum, Eccleſiaſticorum cum primis, conditio futura apparebat, in quos omnis generis ludibria & contumeliæ per Caluiniſtas iaciebantur. Compita platearum referta ciuibus, expectantibus motus tam periculoſi exitum. Credo poſt hominum memoriam Rempublicam, vnamque religionem Catholicam de cuius extirpatione primario agebatur, in maiore periculo nunquam conſtitiſſe. Et ſanè actum eſſet, niſi benigniſſimus Deus multorum precibus exoratus, malo finem maturè dediſſet. Noluit is inſignem hanc Remp. quæ ab Apoſtolorũ temporibus per tot ſecula Catholicam fidem conſtanter tenuerat, tot hoſtilitatibus ſæpè expoſita & nunquam tamen euerſa fuerat, in eorum manus dare, qui eius exitium toto conatu machinabantur. Qui

Periculum Reip. Colon.

Digitized by Google

Ammani, Achitopelis, aliorumque conſilia cruenta, ne nocerent, euertit, is & Caluiniſtarum conatus prorſus infregit & eneruauit; idque optimo Senatui conſilium ſuggeſſit, vt quod in Reinerum de carcere decreuerat, ad tempus relaxaret. Quo facto ferocientes ciuiũ mentes mitigatę, tum quidem nonnihil conquieuerunt; tametſi quies iſta diuturna eſſe nequierit. Caluiniſtæ enim, quod turbas ament, & ſeditionibus gaudeant, non ante ab hoc ſeditioſe cœpto negotio deſiſtere potuerunt, quam & reliquas iterum tribus, ad quas & ſupra malum mature ſe diffudiſſe diximus, Vietorum cauſæ velut communi, vti aiebant, coniungerent. Qua in re hâc fraude vtebantur.

Caluiniſt. furor ad maiorem concitandũ tumultum.

Habent antiquitus omnes huius ciuitatis tribus pacta quædam vetera, ſiue tranſactiones, vt vocant, quæ ſuperiore ſeculo Senatum inter & ciues erectæ fuerũt, inq; publicas tabulas redactæ. His & aliæ quædam pro libertate ciuium literæ adiunctæ, vel quemadmodum vulgo loquuntur, transfixæ ſunt, quæ in qualibet tribu aſſeruantur. Has proferri ac diſcuti omnibus viſum, quod Caluiniſtę dicerent, Senatum propria auctoritate non pactorum tenore, quæ vellet agere, ciuibus pro libitu quæuis imperare, atque eam licentiam ſiue poteſtatem ſibi vſurpare, quæ nec pactis hiſce, nec transfixis literis comprehendatur. Iſta minimè toleranda eſſe, ſed ſub limam vocari debere, nec permittẽdum deinceps, vt maiorem ſibi licentiam ſumeret, quam pacta expreſsè præſcribant; alioqui futurum, vt cum quiſque ſe liberum putet, ſeruus Senatus habeatur, quod quam iniquum foret, poſſe quemlibet facilè apud animum ſuum reputare. Hęc & id genus alia in publico per plebis ora ſpargebantur, tanto ſanè periculoſius, quanto magis vera in tali tumultu credebantur.

Ad hæc tacere, præterquam quod ementita eſſent, cum grauiſſimis contumelijs & deſpectu diceren-

cerentur, Senatus nec debuit, nec voluit. Itaque rurſus legationem ad tribus inſtituit, vt quoquo pacto tumultuantium animos mitigaret. Ad hanc delecti ſunt, alter Conſulum & è Syndicis vnus. His in mandatis datum: Tribus omnes per ordinem ſalutarent; ciues officij ſui admonitos, à ſeditioſis machinationibus ad tranquillitatem & concordiam hortarentur; duos è qualibet tribu, quos illæ vellent, peterent, qui Senatui grauamina proponant, quibus ſe premi præter iuſtitiam arbitrarentur,. Qua re prudenter admodum ſaluti Reipubl. Senatus conſuluit, quæque ipſis tribubus optimè ceſſit, licet non deeſſent, qui inſolenter ſatis deputatos exceperint: quod aiunt in ijs tribubus contigiſſe, in quibus maior erat Caluiniſtarum numerus. In cæteris omnia moderatius acta fuerunt. Vt ergò quod Senatus pro communi cauſa tantopere vrgebat, effectum ſortiretur, duos quælibet tribus è ſuis conſtituit, qui commune ciuium negotium agerent. His poſtmodum octo alios nonnullæ tribus adiunxêre, qui conſiliariorum loco eſſent, ad quos duo iſti in conſultationibus recurrerent. Id à reliquis obſeruatum quoque fuit, qui cęterarum tribuum exemplo totidem delegerunt, quorum conſilio deputati, ſi quod arduũ occurreret, iuuarentur. Hoc modo ciuium ferocia imminui, malumque non parum reprimi cœpit, at planè ſopiri tam citò non potuit, quod conſultationes iſtæ multum temporis requirerent, & animos ſæpè perplexos redderent, tum pręcipuè quod & Caluiniſtæ quoque in hanc cauſam adſumpti, non hoc ſemper, quod è communi re ciuium erat, perpenderent, ſed pro inuehendo Caluiniſmo ſub plauſibili libertatis velo, alium negotij ſucceſſum molirentur. Accedebat præterea quod tumultus capita in tribubus adhuc morarentur, ad quos indies ſe multi frequentes conferebant. qui quod alij componebant, aliâ viâ euertere contendebant.

Media pro compoſitione facienda

In Nouembrem vſque & vltrà ad eum modum in tribubus hæſitabant & ſi quando ad operas ſuas domum inde ſecedebant, mox tamen reuertebantur, & ſæpe integros in otio dies hîc tranſigebant. Qua re multis & malo exemplo erant, & compoſitionis tractationem non parum retardabant. Aliam ergò viciſſim legationem à Senatu decerni oportuit, ne officio ſuo deeſſe videretur in dehortandis à malo ciuibus, qui ad eum modum ſeditioſis conſilijs multorum ſcandalo, ſeducebantur. Miſſi ſunt ergò ad tribus & inprimis ad Vietores, die decima menſis Nouembris horis matutinis congregatos, DD. Ioannes Bolandus Quæſtor & Ioannes Cronenburgius Syndicus, SS. Legum Doctor, qui Senatus nomine ab vlterioribus machinationibus præſentes dehortarentur. Et Cronenburgius quidem graui & prolixa oratione omnes officij ſui admonuit, rogauitque, viderent quid agerent, nec quo cœpiſſent pede progrederentur, nî ſe ſuoſque omnes & vnà totam Rempubl. in extrema diſcrimina conijcere vellent, ex quibus poſtea ne ipſi quidem ſeſe poſſent explicare. Exempla ab ijs ſumerent, qui & hoc & ſuperiore ſeculo ob id in grauiſſimas calamitates inciderint, quod contempto Magiſtratu ſeditioſorum potius ductum, quam ſana ſuperiorum monita ſequi voluerint. Non eſſe, quam quidam promotam velint, ac tantis clamoribus vrgeant, libertatis cauſam anguem, quod aiunt, in herbis deliteſcere, fucum eſſe & merum prætextum Caluiniſtarum, ſub quo ſtrophas ſuas & fraudes occulant, quibus freti, ciuibus in naſſam pertractis, Caluiniſmi vexillum publicitus erigant. Itaque proſpiciant ſibi, ne dum libertatem nimio affectu quærunt, religionem perditum eant, & quos amicos exiſtimant, hoſtes in propria viſcera accerſant. Meminerint, quid Eccleſiæ, quid Magiſtratu debeant, quibus iuramento obſtricti ſint, quoſq; aduerſum tales, quibus nunc velut

Senatus legatio vlt. ad tribus.

velut vindicibus libertatis,reuera autem hoſtibus patrocinētur,tueri teneātur. Atq; vt eſt eloquētis ingenij,ſic mentē & oculos Catholicis aperuit,vt plurimū de priore ferocia remiſerint,&miti⁹ atq; benignius reſponſum Senatui dederint. Id quod & in alijs tribubus vbi hęretici pauciores erant fecē re. Sed & quidam immiſſo in animum altius Doctoris ſermone,ſecum ipſi totius negotij ortum & progreſſum expendere cœperunt, quibus facilè fuit aduertere, vnde & à quibus profluxiſſet, nimirum ab hominibus ſeditionibus & Caluiniſmo deditis,qui ea propter alijs regionibus ac vrbibus exacti huc velut in tutum ſedes tranſtuliſſent. Ac tum deprehendere paulatim licuit, & in aperto intelligere datum, quorſum in hoc negotio Caluiniſtarum conſilia ſpectarent. Quin & quod mireris ſub idem tempus nunciatum ſcriptumque aliundè fuit, in Palatinatu, in Hollandia, imò & Geneuæ, varios de hoc ciuium tumultu ſermones ſpargi. Gloriari paſsim Caluiniſtas ac ſpem indubitatam facere, futurum vt ante natalem Domini, publicum eſſet in hac vrbe Caluinianæ religionis exercitium. Et hæc tota licet vrbe per omnium ora volitarent,non tamen àCaluiniſtis communis plebs deficiebat,apud quam quicquid diceres, pro fabulis habebatur,adeò technis ſuis atque verſutijs ineſcarant.

Deteguntur fraudes Caluiniſt.

Igitur cum is eſſet vrbis ſtatus,ea rerum publicarum conditio, & Paſtores officij ſui eſſe exiſtimarunt, malo huic maturè ſubuenire, ne, quod plerunque euenit,

Paſtorum ſollicitudo pro ſtudio pacis.

——— ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras

Paſtoribus mos eſt quempiam ex ſuorum numero, qui præter ſummam eruditionem & ſenio & autoritate præſtet,legere, quem Camerarium nominant. Hic Paſtores conuocare,& ſi quid in rebus

Digitized by Google

Parochialibus occurrat ordinare ſolet. Id muneris tum Caſparus Vlenbergius Lippienſis, ad D. Columbæ Paſtor, gerebat. Hic ad XIIII. Nouembr. in ambitum Monaſterij Franciſcanorum Collegas Paſtores conuocari curauit, quibus duo quædam propoſuit, vt ſępe occaſione oblata retulit, & in Paſtorum Annalibus ſcriptum reliquit; vnde & nos quædam de hoc tumultu deſumpſimus. Principio pericula commemorauit, quæ ex hoc inteſtino ciuium motu religioni Catholicæ impendere videantur: Et quia Caluiniſtæ, vt Magiſtratum de gradu deijcerent, Catholicos fraudulenter ſecum inuoluerent ignaros ſtropharum, quas homines aſtuti ſub huiuſmodi libertatis prætextu machinari ſoleant, vt hoc nomine magno in diſcrimine Catholica religio verſetur: Rogauit vt conſulerent iam, quid facto opus putarent. Itaque cenſuerunt Paſtores, tria cũ primis eſſe præſtanda. Primo cohortandum populum vt ad preces, quo Deus intentum Caluiniſtarum auertat conuertatur. Secundò admonendos illos qui per tribus ad actionis tranſactionem deſignati erant, ne Caluiniſtis nimium fidant, ſed potius eos fugiant, & pacem ſuadeant: Tertiò religioſis Ordinibus cæterisq; Cœnobiarchis inculcandum, vt & illi ſalutem Reipubl. huius commendatam ſibi habeant, ardenteſque pro ea ad Deum preces fundant, ne cum religione Catholica, hoc periculoſiſſimo tempore, ſemel & ſimul euerſa concidat. Profuit res iſta, & votis Numen annuit. Tribus enim pleræque ad concordiam ſenſim declinauere, ac ſeceſſione ab hæreticis facta, religionem Catholicam ſe defenſuras declarârunt. Victoribus quoque, apud quos malum primitus proruperat, prior fidei zelus redijt. Ex vngue leonem, caudam ex vulpe, quod diuerbio fertur, cognouerunt. Omnibus qui aut aliud, aut Lutheri dogma ſectabantur, quos eſſe ſummum octoginta in ea tribu ſuperius

rius retulimus, imò & ipſi Reinero totius fabulæ chorago liberè ſatis in faciem obiecerunt, quod in hac cauſa longè aliud propoſitum haberet, quam verbis hactenus præ ſe tuliſſet Cæſar etiam Rudolphus officio ſuo non deerat: ſed pro affectu ſuo ſingulari, quo hanc Remp. proſequebatur, omnem diligentiam adhibebat, vt ciues motu ſedato magiſtratui morem gererent. Quem in finem Moguntino & Treuirenſi Electoribus plenariam dirimendæ ciues inter & ſenatum controuerſiæ autoritatem dedit. Qui quod periculum in mora præuiderent, propediem ſubdelegatorum opera rem totam componere inſtituerunt. Appulerunt iſti huc publica omnium lætitia, ac Reip. ſumptu malo tempore in vrbe ſubſtiterunt.

His locus à ſenatu deſignatus fuit, quo in cum tribuum deſignatis, quorum è primarijs quadraginta quatuor, conuenirent. Huc tribus in hebdomada diebus, Martis ſcilicet, Iouis & Sabbati, ad conſultandum procedebatur. Cæterum adeò operoſa fuit & diuturna actio, vt tametſi nihil reliquum fieret ad ſummam diligentiam, quò negotium componeretur, tandem tamen re non confecta, diſceſſum fuerit. Procurabatur id, vt & ſupra diximus, à Caluiniſtis iſtis, qui in deſignatorum à tribubus numerum aſſumpti erant; quorum quidam eo jam audaciæ proruperant, vt ne in hoc ſibi loco, â calumnijs, quas in Senatum iaciebant, vllus temperaret. In eo ſtatu res longo tempore ſtetit. Interea multorum animi, iam ante mitiores facti, rurſum exacerbari, nouoque motu contra magiſtratum ferri cæperunt. Omnia ad ſummum breui peruenêre, quod plerumque, accidit, cum malum quod ſopitum creditur recrudeſcit; vt hinc Senatus & militem legere, & locis quibuſdam per vrbem vigilias conſtituêre compulſus fuerit. Neque enim recte amplius, vt ante agebant ſed magnis ſenſim in apertum clamoribus erumpebant.

Caluiniſtæ omnia interturbant.

pebant. Vna erat fere vox omnium, à quibus initium res traxerat: publicorum prouentuum officiorumque rationem nunc tandem à magiſtratu ciuibus reddendã, libros ac indices ſtricte examinandos nec permittendum de cætero, vt vel quicquã ſtatuatur, niſi & ad ciuium quoq; omnium notitiam prius deueniat. Sunt qui & multos maiora effudiſſe, meminerũt. Nimirum ſenatum loco ſuo mouendum, nouo ſubſtituto ex ijs, qui & maiore Remp. commodo promouere, & ciues in libertatem priſtinam adſerere tuerique commodius poſſent. Quod ne verbis tantum ac nudis clamoribus vrgere viderentur, laborarunt, vt quotquot poſſent, exteros & tenuioris fortunæ homines (quos ſcirent in omnem partem plerumque paratos eſſe) tribubus quibusdam, ſub opifici; ſui hic exercendi prætextu, infererent, quorum operá facilius poſtmodo, quod moliebantur perficerent. Horum numerus breui temporis ſpatio plurimum increuit. Quæ res ſeditioſorum conatus non parum promouebat. Menſem Martium ſtatuerant, quo publici motus initium facerent. Ne quid ergo viciſſim impedimenti in ea re foret, non iam à Senatu legatos ſibi expectandos eſſe cenſuerunt; ſed ipſi è ſuis ad reliquas tribus deputatos mittere cæperunt. Hi ad vnum fere omnes Caluiniſtæ vel Lutherani erant. Legationis ſuæ ſumma hanc eſſe dicebant: Nequaquam tolerandum, vt negotium nuper motum ita ſopiatur, obnitendum in cauſa hac omni modo Senatui, nec quicquam remittendum ante, quam libertas in integrum reſtituta ciuibus fuerit. Præcipue verò laborandum, vt ante omnia miles nuper conſcriptus, remiſſo iuramento, ex vrbe dimittatur, Portarumque claues vnà cum prouentuum libris, quos deinceps apud ſe in cuſtodia eſſe velint, examinareq; cupiãt ad tribus deferantur. Subdelegatos Cæſareo nomine ad compoſitionem faciendam huc miſſos, nulla deinceps

Caluiniſt. noua conſilia & fraudes.

Caluiniſt. legationes ad tribus.

Poſtulata tribuum contra Senatum.

ceps

ceps ratione admittendos. Conditiones hactenus propoſitas, quod ijs tantum mora & libertatis neglectus procurentur, abrumpendas. Armis perrumpendum, ſi alia via obtineri nil queat. Paratos pleroſq; ex ſuis contribulibus, quibus in votis ſit, extrem aquæque tentare potius, quam ad eum modum de cætero Senatus Imperio ſubijci turpe nimis eſſe in ciuitate libera, omnimoda libertate non perfrui: Quam quidem ſi ament, & omnibus ſemel redditam velint, nunc propalam teſtatum faciant, nec nutu & verbis tantum, ſed & re ipſa oſtendant; hoc & ipſis vtile, & apud poſteros glorioſum perpetuò fore. His & ſimilibus ſeditioſis declamationibus, hoc breui effecerunt, vt & in tribubus aliquibus apertè rurſum maioreque motu tumultuatum ſit, & excubiæ etiam ab armatis habitæ, Atq; tum denuò, ſi vnquam alias, trepidare omnes paſſim tota vrbe, & nemo non tebus ſuis metuêre, quas ſolent ijs temporibus, huiuſcemodi homines omnium primo inuolare. Iſta namq; in publico dicebantur: Catholicos omnes vrbe ſummouendos, & inprimis Eccleſiaſticos, in eorum domos impetum principio faciendum, bona omnium ciuibus communia fore. Initium eius rei ab ipſa Dominica *Reminiſcere* ducendum; quod tum pleroſq; omnes rebus diuinis operam daturos non ignorabant. Succeſſiſſet ſeditioſiſſimum hoc dolo negotium, ni ab inclita Republ. Deus tantum malum eo ipſo tempore auertiſſet. Cum enim Caluiniſtæ omnes in tribubus congregati ipſa Dominica *Reminiſcere* conſiſterent, iam iamque erupturi, ecce tibi Catholici, qui tunc paſſim concionibus intererant, ſic à verbi diuini concionatoribus admonentur, ſic ad propugnandam Senatus auctoritatem inflammantur, eumque zelum pro defendenda religione Catholica, quam Caluiniſtæ ſub ſpecioſo, vti ſæpè diximus, libertatis velo, extirpare moliebantur, concipiunt, ſic inquam in ſeditioſos commouêtur, vt qui paulo antè vnam rem,

Caluiniſt. voces in publico.

Catholicis Caluiniſt. fraudes aperiuntur.

Digitized by Google

vno ore vnâque manu & loqui & agere velle videbantur extemplo ab ijs reſiliant, & Senatui debitam reuerentiam honoremq; deferant. Ferunt id, Paſtorum quorumdam monitionibus effectum eſſe, quod ij pro concione, eadem Dominica, fraudes Caluiniſtarum, velumq; illud libertatis plenè detexiſſent. Quo quidem facto, omnes inde poſt peractum diuini cultus officium, illicò ex Eccleſijs ad tribus & forum confluxerunt, & quod verbis audierant, ipſo quaſi effectu deprehenderunt. Quod facili negotio fieri potuit, cum ad eam rem, tot alterius religionis homines, in tribubus congregatos viderent, eo tempore, quo ſolent Catholici ſacra frequentare. Senatus metuens ne inter ipſos ciues maius malum oriretur, actutum ex ſuis ad tribus rurſum amandat, qui omnia interuentu ſuo moderentur. Quin & Conſul ipſe, Ioannes Hardenradt, vno & altero comitibus adſumptis, in publicum prodit, & tribus per ordinem ſalutans, omnes officij ſui grauiter admonet. Ac licet præſens vitæ ſuæ adiret diſcrimen, noluit tamē deeſſe laboranti Reipublicę, quam hoc modo ſe poſſe ſeruare, cœleſtis auxilio Numinis confidebat. Quod ſanè, eo animo fecit, vt, qui eius Zelum feruorêque in fidei & politiæ rebus tum temporis diligentius obſeruarũt, hoc ei tribuant, quod ipſe inter cæteros hoc malum à viſceribus Reip. aſſiduitate ſuâ pars maxima depulerit, id quod & Caluiniſtæ non diffitentur, qui eũ vel eo nomine, vbi numero ſuperiores erãt, nullo pacto vel audire, vel admittere volebant. Fuêre, quod & maius eſt, qui etiam vim monēti inferre conati ſunt; quod prope eam tribũ factum eſt, ad quã numeroſior pars leuiorũ hominum clanculum peruenerat. Sed incaſſum erat, quicquid Caluiniſtæ agerēt. Nimis jam notũ erat, & cunctorum quaſi oculis patebat, quod hucvſque machinabantur, ſeceſſione nimirum Catholicorũ ab ijs facta, quos velut ſocios in cauſam fraudibus ſuis pellexerãt. Feruntur itaq; in tribubus ſuffragia

Conſulis Hardenraedt pro Reip. ſalute ſtudium.

gia

Digitized by Google

gia, de Catholicorum numero inquiritur, in ſtabiliendam Magiſtratus auctoritatem, frequentibus itur ſentētijs. Facilè hic aduerti potuit, quo quiſque in Remp. animo eſſet. Ex Catholicis nemo fuit, qui non erga religionem & magiſtratum ſtudium ſuum declararet. Soli Caluiniſtæ, nec magiſtratui morem gerere, nec à priſtina aſſerendæ libertatis ſententia recedere voluerūt; quod faciebant tantâ peruicaciâ, vt cum nihil in publico motu um ſequi, votoq; ſuo fruſtratos ſe eſſe viderent; omnia more ſuo interturbarint, quo minus & tum res ad optatum finem perduci potuerit.

Inſequenti tamen tempore ita Magiſtratus prudentiâ totum negotium tranſactum atq; compoſitum fuit, vt cum Senatu in gratiam ciues redierint, ſub motis vrbe authoribus, qui tantum malum, pro erigendo Caluiniſmi exercitio induxerant. Atq; id nunc gratia Dei Senatum inter ac tribus omnes concordiæ vinculum, is omnium affectus & amor, ea pietas ac deuotio, is in religione Catholica feruor & zelus, vt ſi ea omnia malorum conſilijs interturbentur, nihil tale, quod ſuperiori motui ſimile ſit humanitus, quicquid hoſtes moliantur, accidere poſſit. quod ne fiat is exorādus eſt qui hucvſq; vrbem nutu ſuo regit ac moderatur.

Finis tumultus eiectis ſeditioſis.

Cæterum eiecti vt diximus, qui in tantas calamitates ciuitatem hanc conijcere nitebātur, nec tum tametſi foris eſſent, quieuerunt; ſed noua conſilia perturbandæ Reip. agitauêre. Diſtat hinc non procul Mulhemium, ad ripam Rheni oppidulū, quod Iuliac. Duci paret. Huc ſua conuehere, & nidificare cœperunt. Quin & vallum eidem oppido circumduxerunt, quod ciuitatis inſtar propugnaculis cōmunire aggreſſi ſunt. Res ea Colonienſ. pernitioſa videbatur, & priuilegijs vrbis ſed & Imperij decretis ac receſſibus vetita. Inde Senatus Colon. cōqueri, Caluiniſtas ab opere dehortari, monere ne pergerent, ne nouis difficultatibus inuoluerētur. At actum egit. Quanto magis Senatus Colo. ab in-

Caluiniſt. noua moliuntur contra Colo-

cœpto

cœpto retraheret,tãto illi feruẽtiores in perficiũ-
dis operis erãt, imò & ciues ex vrbe ad ſe allicêre,
vt iſtuc emigrarent,auſi fuerunt, & templa & do-
mos extruêre,in quibus religionis ſuę officia exer-
cebant;quæ cum alijs omnibus, tum maxime Co-
lonienſ. qui eò diebus Dominicis cõmeabant, pa-
tebant.Senatus adPrincipes & Imperat.negotium
detulit, publicaſque ad omnes quærelas emiſit.Hi
Caluiniſtis inhibuêre,ne cœpto pede progrederẽ-
tur;ſed fruſtra quoq;.Deſiſtere nolebãt,qui in exi-
tium vrbis huius iam dudum conſpirârant. Nouo
metu tum rurſus Colonia angi, &quod grauius
quam ante fuerat vnquam, vulnus ſuſpirare. Sup-
plicat iterum Cæſari, vrget, inſtat, hoſtibus tam ſi-
bi pernicioſis maturè obſiſtatur, ne quid inde de-
terius conſequatur,. Quid fit? Interdictum Cæſa-
reum in omnes fertur; imperio proſcribendos, ſi
pergere auſint,&non extructa demoliantur.Mirũ.
Decretum Cęſaris riſum apud Caluiniſtas meruit.
Fuêre qui etiam in eum dicteria iacerent. Progre-
diuntur quotidie magis magisq; in cõtumacia. Vt
multa præteream,ipſum etiam Cæſarem ad maio-
rem deſpectum,velut altũ ſtertẽtem,non in inter-
ſigni ſeu tabula,non domus cacumine,ſed ſub gra-
dus deſcẽſu,capite manibus ad ſinum impoſito ex-
ſculptũ ſtatuunt, quaſi dormiens de ſe nihil cogi-
tet,& àColonienſ.omnia autoritate propria tran-
ſigantur. Quæ res tamen ipſis in neruum erupit.
Odit enim Numen,& punit,qui magiſtratui debi-
tum honorem non deferunt, ſed eius loco deſpe-
ctum fouẽt,Itaq; miſſo Imperij milite vallum cõ-
planatur,domus &templa demoliuntur,&Calui-
niſtis nidus ibi deſtruitur. Ad eum modum Reip. &
religioni non in vrbe modò ſed & tota Diæceſi,
conſultum fuit. faxit Deus, ſic deſtruantur & per-
eant, quicunq; de cætero de eius procurando
exitio conſilium ſumpſerint.

Demoliuntur Mulhemij Caluinidi.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google